nos queſumus eius ſuffra
gantibus meritis tuis ſem
per obedire mandatis. P.
Lcõ. Mulierez fortẽ. Grad.
Audi filia. Alla. ṽ. Hodie re
gina terreſtris ſublimata eſt. et ſo
ciata choris angelicis. Sequeñ.
Laudes egregias cler⁹ oīs
Canat. ⁊ turba popularis
fauorem dei prebeat. Quo adel
haidis ſucceſſit ſacrata ſuperis.
Preſentem vitã ꝯmutans per=
henni gloria. Que culmine im=
perij predita. ſecularez ſpreuit glo
riam. Et conterens illecebras.
domino ſe mactauit viuam ho=

K/E

Dv 39

Ex.l: C. Wenzel. Mog.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0002-6

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK
– Med.-Naturwiss. Abt. –
DÜSSELDORF

V 35

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0003-2

DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0004-7

*IOANNIS*

# MESVAE DAMASCENI, DE RE MEDICA LIBRI TRES,

*

*IACOBO SYLVIO ME*dico interprete.

*Index locupletiſsimus cùm capitum, tum omnium quæ ſcitu digna ſunt operi præfixus eſt: in quo prior numerus, paginam: poſterior, lineam indicat.*



*IN VIRTVTE ET FORTVNA.*

*LVGDVNI,*

APVD GVLIELMVM Rouillium, ſub ſcuto Veneto.

1550.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0005-3
DFG

# STEPHANO PONCHERIO

BAIONENSI EPISCOPO, tum integerrimo, tum doctiſsimo, Iacobus Syluius Medicus

Dv 39

*

S. D. P.

*INCREDIBILIS virtus tua, morúmq; integritas, & eruditio ſingularis, ſumma deniq; omnibus in rebus gerẽdis prudẽtia, non mediocriter nos cõmouerunt, Præſul digniſsime, vt hos labores noſtros nomini tuo dedicaremus. Acceſsit tuorum in nos beneficiorum & magnorum & multorum memoria, quam nobis immortalem fore monumento aliquo, & amplitudine tua digniſsimo, & conditioni meæ proprio maximè, hoc eſt ingenij mei partu aliquo recenti nec incelebri, planè teſtari viſum eſt: cuiuſmodi profectò eſt, quam dignitati tuæ nunc offerimus, Ioannis Meſuæ medici præſtantiſsimi interpretationem: opus ſanè quàm arduum & nuper impeditum, nunc autem cura noſtra expeditum ſic, atque expolitum, vt iam doctis non placere modò ſed etiam prodeſſe poſsit plurimum. Quàm verò, non ſit facilè rebus longa & obſcura caligine merſis, & velut illuuie ſordida obſitis, dare, aut verius reddere ſplendorem, norunt omnes. Hanc quoque difficultatem auxit deſiderium exemplaris alicuius, qua eſt lingua à Meſue ſcriptum hoc opus. Sunt enim qui Græcè putent ſcripſiſſe, quo tempore Godefredus Lotharingorum rex Syriam, & in ea Damaſcum, & Hieruſalem expugnauit. Sunt qui ſub Ha-*

driano Pontifice, anno Chriſti milleſimo centeſimo quin-
quageſimo octauo, floruiſſe contendunt. Alij Arabicè om-
nino ſcripſiſſe exiſtimant, quæ mihi ſententia magis arri-
det, cum & verſio vetus impolita quidem, ſed (vt conie-
ctare licet) fidelis, voces Arabicas non paucas ſeruarit, non
ſubſtituerit. Legiſſe tamen non Arabes ſolos, ſed etiã Græ-
cum neſcio quem in ſimplicibus ſæpe citatum & Hippo-
cratem & Galenum, ipſius ſcripta therapeutica omnia pla
nè cõuincunt. In quibus ſingulis exactiſsima vſum metho-
do Meſuen facilè deprehendet quiſquis attentè ipſa legerit.
Nam quomodo Galenus libris quinque primis ſimplicium,
methodum (quæ in vniuerſalibus verſatur, vt in particu-
laribus exercitatio) exquiſitam docet medicamentorum o-
mnium facultates inueniendi: libris verò reliquis eam me-
thodum in ſingulis ſimplicibus exercet, quòd ſine hac in
particularibus exercitatione nulla res perfecta cognoſcitur.
Ad eundem prorſus modum ſcriptor illuſtris Meſues libro
primo viam rationémq; ſcribit, medicamenta præſertim
purgantia (quòd horum in medicina vis ſit maxima, &
periculo, niſi diligenter cauetur, expoſita) deligendi, & ho-
rum vires ſi quæ ſint noxiæ, caſtigandi: libro deinde ſecun-
do eam applicat methodum ſimplicibus medicamentis pur
gantibus, non quidem omnibus ſed ætate ſua conſuetiori-
bus. Quomodo item Galenus libros ſcripſit de medicamen-
torum tum generalium, tum cuique parti affectæ familia-
rium compoſitione, & de antidotis: ſic Meſues lib. de anti-
dotis medicamenta ſcripſit generalia, ſectionibus duodecim
ceu claſsibus diſtributa. Deinde etiam cuique ſingularum
partium affectui proprium, libro quem ob id medicorum
vulgus de appropriatis appellat, nos medica Meſuæ opera,
& practica aliquoties vocauimus. Quæ fortaſſe aliquando
etiam expoliemus, ſi hunc laborem doctis non diſplicere in-

*tellexerimus. Sed quāta, Deus bone, in horum ſingulis Meſue libris emicat methodus diuiſione vbique exacta procedens, & vbi neceſſe eſt, diffinitione. Quòd ſi optimus eſt medicus, quiſquis optimè in medicis diuiſionibus exercitus, vt Galeno videtur, quis Meſuen medicum eſſe omnino præſtantiſſimum negabit? Nam librum primum in theoremata quatuor diſtribuit: deinde vnumquodque ita ingenio ſummo & acerrimo tractat, vt mirari ſubeat hactenus minoris quàm pro merito æſtimatum fuiſſe Meſuen. Quanquā eum ſemper Arabica familia prædicauit: Græca verò ferè aſpernata eſt, ſed verbis tantum: cùm aſclepiadarum permultis ſolenne hactenus fuerit poſt Hippocratē & Galenum, etiam Meſuen tractare, ex illóq; ceu ſylua quadam remedia omnis generis depromere continēter, quibus haud ſcio an meliora ſcriptores Græci habeant, quamuis & his accepta ſit referenda pars bona eorum quæ Meſues recenſet. Sed tamen is ipſe & eo priores medici Arabes præclara multa remedia à ſe inuenta multo vſu probarunt, quæ etiā in opus ſuum Meſues coniecit. Quid verò attinet commemorare nunquam ſatis laudatum ordinem in ſimplicibus ab eo ſeruatum. Cum enim autore Galeno ſemper ſit à mitioribus remedijs curando inchoandum, niſi morbus ſit extremus. Meſues operibus ipſis ſcripta communione iunxit, & prima ſcripſit medicamenta purgantia maximè clementia, & parte maxima Græcis prioribus incognita, magno mortalium incommodo, quippe qui Elleboro, peplio, colocynthide, & ſimiliter valentibus medicamentis purgabantur quanto cum periculo, abundè docet Hippocr. lib. 5. aph. 1. & de Elleboriſmo epiſtola ad Democritum, cum hæc mitiora nondum eſſent inuenta. Adde, quòd vbi ſimplicia ſingula verbis circunſcripſit & quæ parum cognita exiſtimabat, velut definiuit, quod vnumquodque habeat ſpecies*

Libro 1. ad Glauconem.

Lib. 5. meth.

*ac differentias, diuiſione explicat: deinde harum quanlibet deſcribit & ſuis coloribus bellè pingit, ſi eſt ignotior, poſteaquam vnaquæque ad agendum in corpus noſtrum facultatem ſit ſortita, ex ipſis qualitatibus primis, tum ex varia ſubſtantiarum inibi ſimul miſtarum natura, tum denique in multis ex totius ſubſtantiæ proprietate ſeu forma nobis incognita, doctè explicat. Addit etiam quid corpus noſtrum ab his immutetur, & quæ à quibus pati ſunt habilia, caſtigationes appellans, noxarum corpori noſtro à quibuſdam ipſis impendentium. Quas quidem caſtigationes nunc primis quoque aut ſecundis, aut tertijs qualitatibus, ſæpe etiam quartis, & ſubſtantiarum cõtrarietati & toti etiam ſubſtantiæ committit. An non eſt hæc methodus Hippocratis à Platone, à Galeno, à cæteris omnibus doctis viris exercita, quoties aliquid vel diſcere ipſi, vel alios docere voluerunt. In ſyrupis quoque ſimplices compoſitis priores deſcripſit: quia ſimplex compoſito & natura & doctrina eſt prius. In electarijs, quæ vocarunt delicata, & naturæ noſtræ familiaria magis, priora ſcripſit, deinde amara & magis medicamentoſa. Galenus præterea in libris de medicamentorum compoſitionibus paſſim medicos accuſat, qui ſimplicium menſuras & pondera in ſuis deſcriptionibus neglexerunt, aut etiam componendi modum: omnium tamen maximè illos, qui remediorum vires citra limitationem compoſitis adſcripſerunt: vt ad vocem perditam, ad ſurditatem, ad cephalalgiam remedium: cum horum affectuum quiſque ſit multiplex, variáſque ac ſæpe contrarias ſequatur cauſas, quarum cuique ſuum eſſe oportet remediũ: nullum omnium ſemper commune. At Meſuen quis admiratione & imitatione digniſſimum non ſuſpiciat, & merita laude exornet? cum in ſingulis remediorum ſuorum deſcriptionibus leget primùm, quibus morborum differen-*

Initio metho. & lib. de natura hominis in fine.

tijs, & à qua cauſa hoc remedium ſit ſalutare: deinde quanta cuiuſque ſimplicis portione conſtet: adhæc quónam modo inuicem hæc miſcenda ſint: postremò quãtum cuiuſq; remedij dandum ſit his & illis viribus: imbecillis ſcilicet minimam, valentibus maximã, et horũ medijs mediocrem δόσιν largiendam, cùm aliter quãtitas remediorum explicari non queat. Si igitur medicamentorum compoſitiones ſcribenti, facultas eorum ſaltem generalis, & coctionis ratio, & vtẽdi modus docẽda ſunt, vt Galeno viſum eſt. Hæc autem omnia Meſues ad viuum exequutus eſt, is profectò ad Galeni canonẽ medicamentorũ compoſitorum ſcriptor idoneus fuerit. Sed remediorum etiam idem pollentium et ſæpe iiſdem cõſtantium copia paſsim illuſit Meſues. Id autem qui Meſuæ vitio vertunt, Galenum & cæteros omnes medicos illuſtres accuſant, apud quos ſtomachica, ſtomatica, arteriaca, ſarcotica, colletica, colica, et id genus alia remedia inuenias plurima, omnino aut paulominus ſimilia. Meſuæ præterea vitio datur ab ætatis huius medicis, quòd Dioſcoridi & Galeno quædam adſcribat, in ſimplicibus præſertim & antidotis, quæ ipſis ignorata aut ſaltem indicta fuerunt. Sed ab hac calumnia Meſuen vindicare non fuerit difficile, ſi recipiamus, quod veriſsimũ putem, ipſius ætate, vt nunc quoque libros non paucos pro Galenicis receptos, quomodo in aliorum doctorum propè omnium ſcripta, libri aliquot ſpurij irrepſerũt. Hos autem ſua lingua verſos vt credi poteſt, habuit Meſues, ex his deſcripta quædam Galeno adſcripſit, quorum pars bona in ſpurijs illis Galeni libris, verſione veteri, etiam hodie legitur. Et nos Dioſcoridem aliquando vidimus cui primarum qualitatum ordines paſsim erant inſcripti, cuius diligentia neſcio: At certum eſt Meſuen in ſuo Dioſcoride, & ſuo Galeno hæc legiſſe. Toties enim memoria labi non potuit, ſed omnia hæc, ſi-

Lib. I. com. ph. g.

ue ex horum alterutro, vt dixi, ſuppoſititio deſcripſerit, ſiue ex alio quouis, quid attinet accuſare, cùm vera ſint omnia? Quæ tamen ex his & alijs quibuſdam parum rectè, ab eo ſcripta clamantur mitiora quædam, alia autem vera oſtendimus noſtris in Meſuen ſcholijs. Sed quid tempus occupo calumnijs in Meſuen diluendis, cum ſatius fuerit, merita laude hominem illuſtrare? An quæſo Manardus ætate noſtra medicus longè doctiſsimus obſcuram & ſordidam Meſuæ verſionẽ verius quàm Meſuen emaculare alicubi, paſsim clariorem reddere tentaſſet, niſi eximium aliquem illum ſcriptorem exiſtimaſſet? Manardi grauem ſentẽtiam Ioannes Tagaultius mihi in re medica præceptor vndequaque abſolutus confirmat, commentarijs duobus eruditiſsimis, priore in Meſuæ canones, poſteriore in ſimplicia, haud ita pridem editis. Quid quòd Petrum Briſſotum, omnium qui poſt Galenum floruerunt medicorum clariſsimum, non piguit pharmacopœis Meſuen publicè interpretari? Sed quid in re tam perſpicua teſtibus vtor parum neceſſarijs? quaſi verò non intelligant huius tempeſtatis medici, quantumuis Græcorum lectione exerciti, Meſuen tanquam coryphæum ſibi familiarem reddendũ eſſe: ex eo remedia propè omnia tam ſumenda quàm admouenda, corroganda eſſe, ſine Meſuæ doctrina humores non apparari, nõ vacuari, non obſtructa liberari, nullum propè opus medicum perfici. Hunc igitur tantorum nobis bonorum autorem colamus, contra maledicorum calumnias tueamur, iuſto ſemper honore proſequamur. Sic tamen vt neque Hippocrati neque Galeno æquemus, cæteris ipſum præponere non dubitemus, in therapeutica medicinæ parte. Hanc enim ſolùm quòd ſciam tractauit, eámque abſolutiſsimè, ſi opera ipſius omnia perlegeris: quanquàm fuſius cauſæ quædam ſalubres effectrices extendi poſsint, quàm in ſuis practicis

explicuit: tantum quantum rei propoſitæ conueniebat, edocuit. Quapropter Ioannes Capella ſenior, regis Gallorum Franciſci medicus, omnium medicorum, Græcorum Latinorum, Arabum lectione & longiſſimo medicorum operum vſu exercitatiſſimus, Meſuæ practicam cæteris iure optimo mihi præponere videtur: Ex quibus omnibus iam intellexiſti Præſul optime, quàm ſit non medicorum ordini modò & pharmacopœorum, ſed reliquis quoq; hominibus vtilis, et propè neceſſarius Meſues: tibi verò iucundus, nec incommodus, quòd medicorum libris non mediocriter delecteris, quoties tibi à negotijs tum pontificijs tum regijs vacat: & de his pronunties aliquid, præſertim quando tibi conſuetudo intercedit cum Emario Ranconeto collega tuo iuris prudentiſſimo, & omni diſciplinarũ genere exercitatiſſimo, medicæ rei amantiſſimo & ſtudioſiſſimo. Hunc igitur laborem noſtrum manu grata ſuſcipe, Præſul venerande, hunc diligenter, vt libros bonos ſoles, verſa, nec ſtudij & operæ in eo collocatæ (certo ſcio) vnquam pœnitebit. Malui autem hac epiſtola Meſuæ defenſionẽ et laudes meritas inſcribere, quàm tuas: quòd probè ſciam te omni genere laudis cumulatiſſimũ, hæc hominum de tua amplitudine elogia, non affectare: ſed Dei Optimi Maximi gloriam tibi ſolã expeti, quod hominis planè Chriſtiani teſtimonium eſt certiſſimum.

Vale.

*

# INDEX PRAECIPVORVM CAPITVM LIBRI PRIMI.

***


De medicamentorum delectu, indicatione ſumpta ab ipſorum propria eſſentia pagi.4.linea 1.
De medicamentorum delectu, indicatione ſumpta ab ipſorum facultate 11.12
De medicamentorum purgantium correctione. 17.22
Medicamentorum purgantium correctio, per ipſorum temperaturæ cõtraria 28.10
Medicamentorum purgantium correctio, per ipſorum effectus contraria, 22.17
De proportione medicament. inuicem miſcendorum. 25.8
Quibus modis ars medicamenta corrigit & coctionis differentiæ. 26.20
De lotione. 27.30
De infuſione. 28.22
De tritura. 29.9
Correctio ſymptomatum, à ſumpto purgante medicamẽto nondum vacuato excitatorum. 30.10
De medicamento illegitimè & moleſtè vacuante. 32.32
De medicamẽto immodicè vacuante 33.39
Trochiſci ad fluxum. 36.31
Electarium. 37.4
Curatio febriũ purg. ſuperueniẽtiũ 42.29
Cephalalgia poſt purgationem. 43.31
De vertigine poſt purgationem. 44.10
De viſus imbecillitate poſt purga. 44.35
De vẽtriculi imbecillitate poſt purg. 45.21
De ſiti poſt purgationem 48.28
De ſingultu poſt purgationem 49.35
De dolore ventriculi poſt purga. 50.23
De vlceratis inteſtinis poſt purg. 50.33
De cruenta deiectione poſt pur. 51.15
De teneſmo poſt purgationem 51.30
De laßitudine ſeu imbecillitate corporis poſt purgationem 51.38
De conuulſione poſt purgationem 53.8


## SIMPLICIVM MEDICAmentorum index libri ſecundi.


Abſinthium pag.70.22
Adiantum 77.37
Agaricus 86.39
Aloë 56.31
Ariſtolochia 120.28
Armenus lapis 99.38
Aſarum. 78.35
Alanus myrepſica 98.14
Bellericæ 62.33
Bryonia 116.29
Aßia fiſtula 64.33
Centaurium 95.24
Cnicus 97.20
Colocynthis 88.18
Cucumer agreſtis 94.5
Cyaneus lapis 100.29
Cyclaminus 118.39
Dracunculus 114.11
Elleborus 123.26
Emblicæ 62.15
Epithymum 73.35

Eſula 113.3
Eupatorium 73.15
Euphorbium 107.21
FVmaria 72.30
GEniſta. ſeu ſpartum. 122.28
HErmodactylus 91.34
Hyſſopus 75.28
IRis 92.38
Ius gallorum 79.20
MAnna 66.31
Myrobalani, Citrinæ, nigræ, & Indæ 60.4
NItrum 104.24
OPopanax 108.31
POlypodium 90.8
Pruna 76.20
Pſyllium 77.1
RHabarbarum 62.38
Ricinus 121.37
Roſæ. 68.7
SAgapenum 106.14
Salis genera 102.36
Sarcocolla 105.19
Scammonium 81.22.
Scilla 90.32
Senna 101.33
Serum lactis 67.16
Stœchas 71.34
TAmar indi 65.39
Turbith 85.16
Thymelæa 110.16
Thymus 74.35
VIolæ 69.32
Volubilis 80.9

INDEX LIBRI TERtij, de antidotis.

CONDITA 136.4

ACori 140.27
Bugloßi 145.25
Cepularum myrobalanorum 147.20
Cydoniorum 150.17
Cydoniorum aliud 153.20
Cydoniorum alterum 153.34
Cydoniorum tertium 154.4
Cydoniorum quartum 154.10
Citrorum 157.1
Citrorum alterum 157.22
Diacydonium factum cum ſucco cydoniorum 152.7
Diacydonium aliud 152.17
Diacydonium cholagogum 153.1
Diaſatyrion analepticum 137.33
Diaſatyrion alterum 138.20
Diazingiber 140.14
Emblicarum myrobalanorum 149.16
Eryngij 137.10
Fructuum 146.24
Fructuum aliud 158.3
Fructuum ſucci 158.18
Mellis roſati 143.32
Mellis violati 145.11
Pomorum 155.9
Pomorum alterum 155.17
Perſicorum 155.32
Perſicorum alterum 156.7
Prunorum 156.17
Pyrorum. 154.31
Radicis paſtinacæ. 139.15
Sacchari roſati 141.8
Sacchari violati 142.21
Sacchar. bugloſſati 143.7
Sacchar. roſmarinati 143.17
Seminum 146.3
Sorborum 156.7
Surculi conditi 141.4
Zingiberis 139.30

SAP

SAPAE 159.1
Sapa quid 159.17
Baccarum oxyacanthæ 163.15
Citrorum 162.14
Cornorum 163.19
Fructuum 162.16
Fructuum alia 162.22
Granatorum acidorum 162.10
Myrtinæ 162.27
Omphacīn, id eſt, vuarum immaturarum 163.7
Perſicorum 162.12
Pomorum 163.22
Prunorum 163.28
Pyrorum 163.27
Rhois, & mororū domeſticorum 163.19
Ribes 160.21

IVLEPI 164.14
Roſarum 166.16
Roſarum alterum 167.25
Roſarum & violarum 169.6
Violarum ſucci 168.25
Violatum 168.8
Zyzyphorum 171.14

SYRVPI 171.27
Abſinthij 205.28
Acetum ſcillinum 201.1
Acetatus ſimplex 189.8
Acetatus cum radicibus 190.18
Acetatus de ſuccis herbarum 191.31
Acetatus de ſuccis herbarum cum aromatibus 192.10
Acetatus cholagogus, & refrigeratorius 192.19
Acetatus diarhodon 191.34
~~Adiantinus~~ 186.22
Adiantinus alter thora. 186.22
Aqua mulſa 193.16
Byzantinus ad icterum, &c. 191.6
Calaminthæ 204.28
Calaminthæ alter 205.6
De cannis 186.3
Contra catarrhum calidum, coryzam, pleuritidem, tuſsim 187.9
Corticum citri 177.13
Cucurbitæ 173.25
Cydoniorum 173.1
Cydoniorum acidus 184.1
Dactylorum 181.3
Epithymi 209.12
Eupatorij 206.20
Fumariæ maior 208.1
Fumariæ minor 208.33
Glycyrrhizæ 211.27
Granatorum dulcium 174.24
Granatorum acidorum 174.9
Hyſſopi 212.20
Mannæ acidus 184.24
Menthæ 207.12
Myrtorum 179.18
Oenomeli, id eſt, vinum mulſum 195.12
Omphacij 178.16
Oxymeli ſcilliticum 202.24
Oxymeli ſcilliticum de radicibus 203.7
Oxymeli ſcilliticum Democriti 203.12
Oxymeli vacuans melancholiam 200.6
Oxymeli ex liguſtico 200.19
Oxymeli ex calaminthe 200.27
Oxymeli phlegmagogum 199.32
Oxymeli de radicibus 199.7
Oxymeli ex aqua, aceto, melle 196.17
Oxyſaccharum ſimplex 204.1
Papaueris ad catarrhum & tuſsim cauſam inſomniæ 187.27
Papaueris ad tuſsim ſiccam, phthiſim, catarrhum inſomniæ cauſam 188.16
Perſicorum 173.11
Pomorum 172.5
Pomorum acidorum 182.31

Pomo

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0015-9

Pomorum alius acidus 182.83
Pomorum alter acidus 183.8
Prunorum 171.17
Prunorum acidorum alter 182.21
Portulacæ 184.32
Praſij 213.9
Pyrorum 172.26
Quinque radicum 191.22
Saporis de pomis 183.14
Stœchados 210.29
Succi citri acidi 175.18
Succi ozalidis 181.16
Succorum fructuum acidus 184.8
Succorum & aquarum fructuum acidus 184.15
Thymi 210.4
Violatus 186.10
Vuarum purgatarum 181.1
Zizyphorum 186.27

ECLEGMATA 214.1

AMigdalarum 222.27
Ad aſthma & tuſſim anti. 220.32
Bryoniæ radices 221.6
Diakaryon id eſt, ex nucibus 220.1
Diacodyon 215.29
Diamorum 219.14
Ad gutturis intemperiem calidam &c. 214.16
Papauerinum 214.26
Papauerinum aliud 215.3
Phthiſicis ſaluberrimum 222.16
Pineorum nucleorum 222.34
Pulmonis vulpis 222.2
Scillæ 220.26
Ad tuſſim expertum, & raucedinem à frigore vel pituita craſſa 221.14

DECOCTA 224.1

APozema adianthi albi 225.9
Aquæ fructuum 225.26
Eupatorij 227.1
Epithymi 227.7
Diacaſſia 228.23
Fumariæ 225.34
Myrobalanorum 226.22
Stœchados 226.32
Thymi 226.10

INFVSA 227.20

AQuæ caſei 227.20
Hieræ 228.6
Hieræ aliud 228.12
Hieræ tertium 228.16
Succi herbarum 228.1

ELECTARIA 230.1

ALkanzi 257.5
Alharif 278.27
Alharif alterum 279.4
Alſebran 287.33
Anacardinum 257.34
Aromatum 235.8
Aromaticum roſatum 243.1
Aromaticum moſchatum 244.6
Aromaticum caryophyllatum 244.11
Aromaticum nardinum 244.26
Athanaſia magna 263.5
Baccarum myrti 246.34
Cinnamomi 246.20
Citri 240.14
Confirmans 256.33
Διὰ βρυωνίας Democriti 286.30
Diacalaminthe 247.7
Διὰ κόκκου Κνιδίου 287.13
Diacoſten 256.10
Diacurcuma magna 254.17
Diacurcuma minor 254.34
Diacydonides 289.13
Diacyminum 244.37
Diacyminum alterum 245.12
Diagalanga 241.25
Dialacca magna 255.15


Dia

Diamoruſia 255.3
Diambra 246.1
Diamanna autori deſcripta 277.23
Dialacca minor 255.33
Dianiſon 245.28
Diaphœnicum 284.32
Diaphyſalidon 288.20
Diarhodon commune 242.4
Diaſulphur 264.21
Diatrion pepereon 247.25
Epiſcopi 283.32
Eupatorij 288.8
Gemmarum 236.19
Granorum tinctoriorum 238.6
Hamech bilem purg. 284.14
Hamech alterum 285.12
Hamech lætificans 239.29
Hiera picra 266.8
Hiera Hermetis 271.16
Hiera Archigenis omnibus deſcripta 272.8
Hiera Archigenis Paulo aliter deſcripta 273.18
Hiera diacolocynthidos Rufi 274.12
Hiera ab autore inuenta 277.12
Indum maius 279.19
Indum minus 280.3
Laſeris 257.18
Mannæ Galeno inuentum 278.13
A' Meſuæ inuentum 256.16
Moſchi dulce 240.28
Oxalidis 250.5
Philonis antidotus 258.27
Philonis Antidotus deſcripta ab Hamech 262.4
Pſyllij 283.5
Regium 249.24
Regium alterum 249.32
Rhabarbari 256.3
Roſatum cholagog. 285.32
Roſatum Gabriëlis 243.13
Roſatum minus 244.1
Seminum 249.7
Styracis 265.14
Theriaca Antidotus diateſſarωn 250.25
Tryphera antidotus, Sarracenica magna 251.1
Tryphera antidotus moſchata 251.27
Tryphera antidotus Galeni 251.37
Tryphera antidotus minor Phenonis 252.15
Tryphera antidotus alia minor 253.9
Tryphera Perſica 253.16
Xylaloës 239.16
Zazenea antidotus 262.17

CATAPOTIA 290.1

Agarici 301.18
Aromatica autoris 290.1
Bdellij maiora 303.18
Bdellij minora 303.29
Bdellij autoris 303.33
Ad catarrhum coryzam, tuſsim etiam 303.7
Colocynthidos 297.35
Diarhodon 293.35
Euphorbij 300.9
Eupatorij maiora 295.13
Eupatorij minora 295.22
Ad febres bilioſas 301.27
Fœtida maiora 298.20
Fœtida minora 299.1
Halicacabi autoris 296.13
Hermetis ex trochiſcis colocynthidos duplicia 297.21
Hermodactylorum maiora 304.21
Hermodactylorum minora 304.30
Hermodactylorum autoris 305.3
Inda Haly 296.35
Lapidis Armeni 302.27
Lapidis Cyanei 302.17

Opopanacis 304.9
Optica maiora 300.24
Optica minora 301.6
Philagrij 297.28
Polychreſta autoris 194.6
Polychreſta maiora 294.27
Polychreſta minora 295.4
Rhabarbari 195.26
Rhabarbari alia 395.33
Sagapeni 299.8
Sagapeni aliud 299.16
Sarcocollæ 298.12
Sebellia 305.8
Stomachica 292.3
Stomachica alia 292.17
Stomach.alia 293.9
Stomach.alia autoris 293.16
Stomach.alia 293.24
Stomach.item alia 293.29
Thymeleæ 300.15
Turbith aurea 302.1
Turbith alia 302.12

TROCHISCI 307.18

Abſinthij 312.26
Aloës ligni 316.29
Aniſi 314.5
Aniſi alij 314.12
Cancami 314.21
Caphuræ 311.22
Capparum 317.1
Colocynthidos 315.15
Cyperi 316.21
Diarhodon 309.17
Electri 317.16
Eupatorij 313.35
Galliæ moſchatæ 308.3
Galliæ Sebellinæ 308.20
Galliæ aromaticæ 308.34
Galliæ magnæ 309.14
Halicacabi 318.3
Hamech 316.1
Oxyacanthæ 313.12
Oxyacanthæ alij 313.18
Ramich 310.28
Rhabarbari 312.8
Roſarum 309
Roſarum & eupatorij 310.11
Roſarum multorum ſcriptis celebratis 310.17
Santalorum 315.26
Santalorum alij 315.33
Sigillatæ terræ 314.28
Spodij 312.24
Spodij alij 312.32

PVLVERES 319.20

Aloës ligni 319.23
Aloës ligni alius 320.1
Aromatum 320.14
Baccarum myrti 320.34
Diarhodon 320.7
Impinguare expertus 320.22
Ad tuſſim 321.5

OLEA 325.1

Amygdalarum dulcium 327.7
Amygdalarũ amararum 337.16
Anethinum 349.25
Auellanarum nucum 339.10
Baccarum viridium terebinthi 343.21
Baccarum lauri 343.1
Balaninum 341.6
Balſamelæon 344.16
Καρύινον, ex nucibus regijs 338.15
Ceraſorum 342.14
Chamæmelinum 348.19
Chryſomelorum 339.24
Κίκινον Latinis ricininum 341.31
Cinnamomi & ſabinæ & pulegij 353.22
Cnici 342.4
Coſtinum 355.30
Cyprinum 356.9



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0018-6

Croci 358.12
Cucurbitæ 352.5
Cucurbitæ ſeminis 346.9
Enulatum 353.15
Euphorbij 359.8
Fraxininum 365.17
Frumenti 364.10
Gagatis ſacratum 365.22
Irinum 350.30
Iuniperi 364.25
De lactucæ folijs 351.26
Lactucæ ſeminis 346.7
Laurinum 343.1
Lentiſcinum 343.27
Leucoij lutei 351.15
Liliorum 350.19
Lini 345.22
Maſtichinum 354.33
Meliloti 349.4
Meinum 352.10
Myrtinum 353.1
Nardinum benedictum 354.7
Nucis Indicæ 342.9
Nucleorum ceraſi ſylueſtris 342.20
Nymphæatum 351.28
Ouorum 363.17
Papauerinum 345.32
Papaueris per impreſſionem 351.22
Perſicorum 340.11
Philoſophorum 366.13
Piperum 358.22
Piſtaciorum & ſtrobilorum 342.27
Pomorum citreorum vel aranciorum 358.5
Pomorum mandragoræ 353.8
Ranarum 362.4
Ricininum 341.31
Rutaceum 353.29
Roſatum completum 347.1
Sambucinum 351.9
Sampſuchinum 356.17
Scorpionum 361.11
Seminum citri & arancij 342.22
Seſaminum 345.7
Σικυόνιον 357.16
Sinapinum 364.19
Styracis 355.18
Thymi 357.1
Thimelææ 356.28
Violatum 349.6
Viperinum 361.1
Vulpinum 360.10

VNGVENTA 372.6

Aegyptiacum 382.18
Arabicum, idem quod diaphœnicum Arabum pollens 375.9
Aureum 381.13
Baſilicon magnum 379.26
Baſilicum minus 380.6
Bdellij 380.22
Cantharidum 378.13
Ceruſæ 381.24
Κεράσεως magnum 375.34
Κεράσεως paruum 376.23
Cyclamini magnum 376.31
Cyclamini paruum 377.28
Diaphœnicum Arabum 374.17
Diaphœnicon 373.13
Ad Nicodemum relatũ mirabile 375.19
Palmeum 372.26
Panni linei Heben Zezar 378.1
Papaueris 379.19
Philagrios 381.4
Pollens idem quod vnguentum ex bdellio 380.32
Pſoricum Alexandri 383.19
Pſoricum medicamen compoſitum ad fiſtulas, &c. 383.30
Roſatum 378.20
Ad ſcabiem expertum 384.8

Sericinum 382.12
Tripharmacum 383.3
Violatum 379.13
Vlcera ſanans 384.1

CERATA 386.9

ALexandri 391.3
Alexandri alterum 391.15
Andromachi 391.29
Diapente 390.30
Euphorbij 392.4
Galeni ſantalinum 388.19
Galeni ſtomachicum 389.19
Oeſypatum 387.1
Oeſypatum ex Phylagrio 387.18
Oeſypatum ex Paulo 387.32
Santalinum 388.3

EMPLASTRA 393.1

ALexandri ex alliis 404.11
Ariſtarchi 404.22
Andromachi cauſticum 399.32
Ad Andromachum relatum 399.19
Baccarum lauri 397.3
Diachylon 394.18
Diachylon magnum 395.16
Diachylon paruum 396.28
Diaphœnicon 403.34
Diaphœnicon Alexandri ibidem
Fermenti Democriti 401.26
Galliæ 398.4
Galliæ alterum 398.32
De meliloto 405.16
Oribaſij 405.1
Oribaſij alterum 405.8
Sinapinum 400.25
Ventriculum & hepar calefaciẽs 397.27
Vulnera ſanans 406.15
Zachariæ filij 403.1

FINIS.

*eſſe in vſu multo, †mediocri, O nullo ſignificat.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0020-6

# IOANNIS MESVAE DAMASCENI

*

## *LIBER PRIMVS,*

## SEV METHODVS MEDICAmenta purgantia ſimplicia deligendi & caſtigandi, Theorematis quatuor abſolutus: *IACOBO SYLVIO* Medico interprete.

*IN NOMINE DEI MISERIcordis (cuius nutu ſermo recipit gratiam, & doctrina perfectionem) principium ſit verborum Ioannis filij Meſuæ, filij Hamech, filij Hely, filij Abdela Regis Damaſci.*

*Pia Meſuæ inuocatio. Genealogiæ modus Hebræorum bibliis conſuetus.*

### *PROOEMIVM.*

DE CASTIGANDIS MEDICAmentis ſimplicibus purgatoriis mentio à quibuſdam veteribus habita, ſapientes pleroſque impulit in eius rei inquiſitione multam ponere operam: ac de inuentis à ſe multi multa ſcripſerunt, ſed capita tantùm quædam rerum ſparſa, nullaq; Methodo cohærentia. Ob id rogauerunt nos amicorum integerrimi, quorum amicitiæ multa debemus, vt imperfecta & diſperſa huius inuentionis pręcepta perficeremus, in opusq; vnum exacta Methodo transferremus. Quorum iuſtis precibus victi, commentarium hunc aggredimur, confiſi auxilio,

*Medicamentorũ purgãtiũ, ceu viribus maximorum, ratio habenda eſt maxima. Cauſa propè eadẽ impulit Hipp. ſcribere lib. rat. victus*

ac bonitate Dei, qui ſit benedictus. Ergò pie Deus, horũ præceptorum collectionem compoſitionemq́ue fac felicem, qui ex theſauris largitatis tuæ, ſummaq́; tua benignitate, omnia fortunas & felicia facis. Opus autem hoc in libros duos diuidemus, quorum priore vniuerſalem caſtigandorum certis quibuſdam rationibus medicamentorum ſcientiam trademus: poſteriore verò vbi cuiuſque medicamenti purgantis eſſentiam, [ſpecies, delectum,] facultates, caſtigationem particulatim executi erimus, finem faciemus. In hoc autem priore Libro quatuor theoremata, ſeu propoſita docere ſtatuimus.

*

*acutorũ: & Gale. therapeuticã Methodum.*

*Meſuæ pietas.*

*Methodus eſt in vniuerſalibus, nat. priorib. Exercitatio in particularibus. Gale. in Meth. & lib. ſimpli. & alibi paßim.*

# THEOREMATA
## PRIMI LIBRI
### QVATVOR.

*

1 *Quæ in medicamento purgante deligendo ſunt obſeruanda, ac æſtimanda: primò, propria ſcilicet ipſius eſſentia: ſecundò, facultas.*

2 *Qua ratione vis medicamenti malefica priuſquàm ſumatur, corrigenda ſit. Quod duplici fit ratione: vna quidem, admiſto ei altero medicamento, & eo ipſi contrario, vel tota ſua ſubſtantia ſeu proprietate ſua, vel temperie, vel effecto: admiſto, inquam proportione iuſta. Altera verò ratione per quadruplicem artificis induſtriam. 1. coctionem, 2. lotionem, 3. infuſionem, 4. trituram.* Lib.3. ſimpl. cap.14.

3 *Quibus remedijs propulſemus incommoda tria in nobis à medicamento excitari ſolita purgandi tempore.*
*Primum materias ab eo moueri, ſed non vacuari.*
*Secundum, eas vacuari quidem, ſed moleſtè & illegitimè.*
*Tertium, vacuari vltrà quàm conuenit.*

4 *Quibus auxilijs ſanemus affectus in corpore poſt purgationem relictos, quales ferè ſunt tredecim, ſinguli capitibus ſingulis à nobis traditi, 1. Febris, 2. Cephalalgia, 3. Vertigo, 4. Viſus obtuſitas, 5. Ventriculi imbecillitas, 6. Sitis, 7. Singultus, 8. Ventriculi dolor, 9. Inteſtinorum vlceratio, 10. Deiectio cruenta, 11. Teneſmus, 12. Corporis laxitas & debilitas, 13. Conuulſio.*

# THEOREMA PRIMVM.

*

*Medicamentum purgatorium humorẽ ſibi familiarẽ trahit ſimilitudine totius ſubſtantiæ, ſed adiutũ calore, Gal. lib. facul. natu. & ſimp. Quod Galenus vocat totius ſubſtãtiæ ſimilitudinem, ſeu qualitatis proprietatẽ ſola experiẽtia noſcẽdã, Meſues virtutem cœleſtem ſeu formã ſpecificam, ſeu occultã qualitatem, appellat.*

MEDICAMENTVM eſt purgatorium, non à temperamento, neque vt contrarium agens in contrariũ, quatenus contrarium: neque vt ſimile trahens & euellens alterum, aut, vt contrarium: neque vt leue ſurſum, graue deorſum, agitans purgandam materiam, ſed quia talem [cœlitus eſt ſortitum facultatem.] Omnis enim res (vt à Philoſophis dicitur) facultate duplici eſt dotata & prædita: vna quidem elementari, qua calfacit, refrigerat, [humectat, ſiccat,] non autem purgat: altera verò cœleſti, hacq; vel communi, vel ſibi propria, & temperiem illam dirigente, & qua hoc medicamentum eſt purgatorium, illud hanc, vel illam vacuationem prouocat, aliud aliam atque aliã habet virtutem. Quæ omnia poteſt medicamentum à cœleſti virtute ad temperaturam accedẽte. Rebus enim omnibus natura (vt inquit Plato) proprietates quaſdam indidit, quibus hæ ipſæ quod ſibi eſt proprium agunt, idque pro formæ natura & motione inſita, cùm nullius rei actio propria eſſe poſsit vlla, niſi quam forma ipſa excitat & dirigit. Hoc autem demonſtrare, medici non eſt, ſed philoſophi, altiora ſpeculantis. Abſurdum igitur fuerit exiſtimare, à ſimili trahi ſimile: abſurdius, à contrario: contraria enim mutuò ſe expellunt, non attrahunt. Medicamentum præterea humores purgat, ſed naturâ ejus actionem inchoante, limitante, dirigente. Nam ipſa humorum vacuatio naturæ eſt opus, ſed per medicamentum ipſius naturæ artificis inſtrumentum. Natura enim (vt ait Hippocrates) morbos curat, non medicus: medici verò munus præcipuum eſt, naturæ inſtrumenta ſuppeditare: quæ ſi opus naturæ, aut quantitate, aut qualitate maleſica vincunt, immo-

*Medicamentum qualitatibus ſenſui alicui manifeſtis ſimilem ſibi humorem non trahit, ſed tota ſua ſubſtantia ſeu qualitate occulta ſimilem.*

*Medicamentum poteſtate calidum eſt, actu verò calidum fit à noſtro calore natiuo, tuncq; attrahit humorem quemuis, priùs tamen ſequi paratiorem, ſubſtantia verò tota priùs familiarem, deinde ſequi promptiorem.*

dera

** Medicamentum purgans largius ſumptum, largiori tantùm vacuatione per ſe nocet: per accid. verò ſpaſmum, ſyncopem, tremorem, &c. inducit.*

deratiùs agunt magno naturæ incommodo. Quantitate verò ſi plus quàm natura exigit, vincant, noxam multitudinis inuehunt: ſi autẽ qualitate malefica, non multitudinis modò noxam, ſed aliam quoque atque aliam excitant. Quapropter tua intereſt, *medicamẽta malefica à ſalubribus diſcernere. †Sunt autem malefica quædam toto genere, quorum virtus effrenis omnibus eſt cognita, vt thymelæa, lathyris, euphorbium. Alia [ſpecie tantùm, vel accidente maligna, eaq́;] in multis generibus, vt turbith nigrũ, agaricus niger, & durus, colocynthis vnica in planta ſua, ſcammonium Scenіticũ, à quibus [ambobus] abſtine, niſi ſi quando in magnis affectibus eſt his [priùs omni ratione correctis] vtendum, idq́; cum formidine, & præmeditatione. Morbis enim quibuſdam venena ſunt ſalubria, vt vipera elephantiaſi, malefica tamen vi eius modis omnibus, vel ſaltem quibus nobis licet, fracta, vt dicemus [lib. 2.] quãquam ſtolidi quidam, præcipuè ruſtici, & idiotæ improuidi, quibuſdam non caſtigatis vtuntur, ignorantes, quãtam noxam principibus corporis partibus, ᵃ & virtutibus ipſum corpus gubernantibus, afferat venenum illorum pernicioſum. Neque tantùm hæc deleteria ſunt vitanda, ſed omnia quoque alia medicamenta etiam benigna, niſi dicendæ pòſt (ſi per Dei gratiam mihi licuerit) conditiones obſeruentur. Huius autem obſeruationis in ſecernendo ᵛ medicamentum benignum à malefico, methodus verſatur in conſideranda medicamenti ſubſtantia, temperatura, ſequentibus temperaturam qualitatibus, tactilibus, olfactilibus, guſtatilibus, [viſibilibus] tempore, loco natali, vicinia medicamenti alterius, numero. Ab his enim ſingulis differentiis diſpoſitio quædam propria & virtus medicamento acquiritur. Porrò à medicamenti ſubſtantia differentiæ ipſius ſunt obſeruandæ, ſi id eſt leue, graue, rarum, denſum, craſſum, tenue, lentum, friabile. Per quæ medicamenta bona à malis ſecernere poteris. Quæ enim ſunt inter hæc facultate valentiora, qualia ſunt omnia trahẽdo purgantia, quò ſunt leuiora, eò meliora, grauiora autem maligna. Ob id ſcammonium, colocynthis, euphorbium, agaricus, nitrum, aloë, & ſimilia leuiora ſunt præſtantiora: ſimiliter quæ humiditatem habent excremẽtoſam, vt agaricus, turbith, polypodiũ, ſcilla,

*† Medicamẽtorũ purgãtiũ qualitate malefica noxiorũ differentiæ.*

*Gale. initio lib. 11. ſimp. & fine lib. 2 ad Glauc. & in vſu theriaces.*

*ᵃ Medicamẽtũ, vt materias cæteras, ſalubre faciũt, quãtitas, qualitas, tempus, Gal. lib. 1. et 4. ſan. tuẽ. et alibi paſſim.*

*ᵛ Medicamẽtũ maleficũ à benigno ſecernes, ſubſtantia, quantitate, qualitate, actiõe, ſitu, tempore.*

1 *Qualitates hæ tactiles, quia ſubſtãtiæ per ſe nõ ſenſibili ſũt pximæ, ipſũ declarant.*

& ſimilia leuiora ſunt meliora. Contrà verò grauiora ſunt meliora, vel quibus coacta eſſe ſubſtantia debet (vt hermodactylus, iris, cyanus lapis:) vel quæ comprimendo purgant (vt myrobalani, ſpecies rhabarbari, abſinthium, abſinthij ſuccus) vel quæ leniendo purgant & lubricando (vt pſyllium, pruna, myxa, caſsia fiſtula:) vel quæ plena, non vacua eſſe oportet, qualia caſsia fiſtula, tamar Indi, balanus myrepſica, cnicus, granum nil, [quod cartamum Indicum quidam vocant,] ricinus, & ſimilia. De ſubſtātia rara, vt de leui: de dēſa, vt de graui eſt iudicandum. Quamuis autem ſubſtantia friabilis eſſe tenuis, & lenta eſſe craſſa videatur, tamen id abſolutè verum non eſt, cùm ex his quæ ſubſtantia ſunt craſſa (vt idem de tenui pollicear) quædam lenta & friabilia inueniantur, vt ex aloë craſſa quædam lenta, alia friabilis. Idem oſtendunt ſcammonium, ſalis ſpecies, & nitrum. Sagapenum quoque eſt lentum & tenax, ſed tenue: & item anacardus. Non eſt igitur vnicum tenue, friabilis cauſa, neq; craſſum lenti & glutinoſi, ſed à puritate & impuritate cum tenuitate & craſsitie iuncta, proficiſcitur vtrunque: nam purum & tenue eſt friabile, impurum ſimul eſt craſſum, & lentum. Præter illa quorum eſſentia eſt humida lenta, vt ſaccharum, ſaccharum candum, manna. In his enim quod purius & tenuius, eſt glutinoſius.

A temperamento autem medicamentum benignum à malefico ſecernitur, per qualitatum primarum actiones & opera:
2 nam medicamentum calidum, calfactio, tenuatio, rarefactio, maturatio, coctio, viarum apertio, & ſimilia effecta propria conſequuntur: ſi autem immodicè calidum eſt, morſus, deſiccatio, ſitis: ſi denique eſt ſummè calidum, inflammatio, vſtio cauterij modo, morſus acerrimus, attractio immodica, cōſumptio, phœnigmos, id eſt, rubrificatio. Frigidum autem frigefactio, cruditas, & ſimilia: ſi ſupramodum eſt frigidum, coarctatio, obſtructio: ſi extremè frigidum eſt, cōgelatio, [ſtupefactio] mortificatio. Humidum item, humectatio, lubricatio, lenitio, glutinatio: ſi admodum eſt humidum, obſtructio flatus, nauſea, & ſimilia [præſertim ſi etiam glutinoſum ſit.] Siccum denique, ſiccatio, rarefactio, emaciatio, coarctatio cauitatum, cutis corrugatio, cutis ſciſsio, furfuratio, & ſimilia. Propterea medicamentum purgans calidum, ſalubrius frigido: humidum ſicco, & etiam calido. In ſumma quanto medicamentum eſt temperamento hominis medio propinquius, tan

*Quæ medicamēta purgantia commendāt. Leuitas. grauitas, tenacitas.*

*Abſtergēdi potentia, & in guſtu aſperitas & lenitas, notæ ſunt medicamenti conſiſtētiæ, li.9. ſimpl. initio, in terra Samia.*

*Raritas. Denſitas Tenuitas. Craſsities. Lentor. Friabilitas.*

*Effecta calidi ordine 1. & 2.3.4.*

*Effecta fri. ord.1. & 2. 3.4.*

*Effecta humidi ſicci: plura de his initio lib.2. de ratione comp.med. ſcripſimus.*

*Vita enim à calido in*

tanto ſalubrius: quãto remotius, tãto malignius. †Quod ſi qualitatibus his à media hominis temperatura extremè recedat, venenum potius eſt dicendum, quàm medicamentum.

Tactus index eſt certus, mollis, duri, aſperi, lenis: molle eſt, quod cedit noſtræ carni: durum contrà, cui noſtra caro cedit: illud quoq; facilè patitur, alteratur, corrigitur: hoc difficulter. Aſperum quoque à ſiccitate eſt, lene ab humiditate: ob id quæ medicamenta purgantia, præſertim virium violentarum, ſunt lenia, ſunt ſalubriora, & alia ſimiliter, præſertim quibus & lenibus & aſperis in eodem genere eſſe contingit: aſpera contrà. Sic colocynthis, abſinthium, fumaria, elaterium, agaricus, & ſimilia lenia probantur, aſpera improbantur.

Medicamenta bene olentia ſunt ſalubriora, quia odor ille bonus, partes principes facultatum, ceu fontes roborat, ſpiritus inſtaurat, & facultates animamq; exhilarat: grauis contrà ob id effecta moleſta, & difficilia illi ſuccedunt.

Sapor autem præter cætera obſeruandus in iudicando medicamento purgante ſalubri, aut inſalubri. Nam hic medicamenti virtutem immutat, & modicè diuerſam facit: hoc autem loco de ſaporibus tantum nobis eſt dicendum, quantum ad diſcernendum medicamentum bonum à malo pertineat, quatenus ſcilicet eos propriæ quædam & puræ diſpoſitiones omnino conſequantur.

Acre enim medicamentum facile inflammatur, mordet, penetrat, aperit, vrit, vlcerat, flatus diſſipat, tenuat, incidit, ſeparat, reſoluit, è longinquo attrahit, ſiccat, emaciat, ſitim facit: ob hæc omnia citò & valenter agit, & ſua tenui eſſentia amarum medicamentum, & cætera imbecilliter aut tardè purgantia, celerat, & purgantiora reddit.

Amarum autem ſiccat, conſumit, vlcerat, aperit orificia venarum, hæmorrhagiam mouet, à putredine vindicat, terget, incìdit, torminoſum eſt, conturbat, reſoluit, attrahit, ſed tardiùs, quàm acre: flatus diſſipat, ſitim excitat, valenter agit, ſed tardè, ſuaque craſſa ſubſtantia acre obtundit.

Salſum verò incìdit, terget, tenuat, liquat, mordet, à putredine vindicat, conturbat, ſubuertit ventriculum, & ad vomitum impellit, ſiccat, ſitim excitat, aſperat, expurgat radendo, aperit, & hæc omnia opera imbecillia & tarda efficit: ob hæc, ſuamq; mediocrem ſubſtantiam, omnia imbecilliter, & tardè ſoluentia roborat.

*humido: mors à contrarijs, ob id intemperies fri. ſic. pernicioſior, licet aliæ etiã immodicæ nocent. 3.*

*†Sequentes temperaturam qualitatis.*

*Tactiles aliæ in ſubſtantia ſunt dictæ.*

*Olfactiles.*

*Guſtatiles ſapores temperamentũ certius indicant, quàm odores, colores lib. 4. ſimpl.*

*Effecta ſaporum ſeu temperamẽtorum, quæ ipſi ſapores ſequuntur.*

*Acris.*

*Amari.*

*Salſi.*

*Pinguis.* Vnctuoſum item lenit, lubricat, laxat, mollit, abominabile eſt, & nauſeabundum, flatus gignit, obſtruit, Hæc omnia imbecilliter & tardè perficit, ſuaq́ue mediocri ſubſtantia acre, amarum, ſalſum reprimit.

*Dulcis.* Dulce lauat, lenit, obſtruit, flatulentum eſt: omnia autem hæc præſtat imbecilliter, nec citò, nec tardè, ſed in horum medio: acre autem amarum, ſalſum quoque reprimit, ſed inſipidum roborat.

*Acidi.* Acidum penetrat, aperit, incìdit, diuidit, tenuat, terget, denſat, aſperat, extinguit colorem, citò agit hæc opera: ſed in medio valentium, & imbecillium eſt: ſua denique ſubſtantia tenui acre obtundit, dulci & inſipido vigorem addit.

*Acerbi, auſteri.* Stypticum intrò cogit, denſat, repellit, roborat, diuiſa glutinat, tardè & imbecilliter agit, ſuaq́ue ſubſtantia craſſa prædicta omnia obtundit, quibus acre, [amarum,] & ſalſum vires addunt.

*Inſipidi.* Inſipidum denique lubricat, flatulentum eſt, obſtruit, denſat, congelat, calorem extinguit, & hæc omnia tardè, & debiliter, ſua tamen ſubſtantia mediocri, acre, amarum ſalſum, acidum reprimit.

*De medicamentis purgantibus iudicia ex ſapore.* Propter hæc, quæ medicamenta purgantia ſunt ſolùm & omnino acria, vt euphorbium, thymelæa, ſunt maligniora, quàm ſynceriter amara, vt colocynthis, cucumer agreſtis. In horum medio ſunt acria ſimul & amara, vt ſcammonium. Innocentiora his ſunt acria ſimul & ſtyptica, vt thymum, epithymum. His adhuc mitiora, quæ amara, ſimul & ſtyptica ſunt, vt rhabarbarum, abſinthium, fumaria, [aloë:] in horum medio acria & amara, & ſimul ſtyptica, vt ſtœchas. In ſumma quanto medicamentum ab acri & amaro ſapore recedit longiùs tanto eſt benignius: quoq́ue acris & amari medicamenti proportionem ſtyptica ſubſtantia magis vincit, eò eſt ſanius medicamentum. Saluberrima quoque ſunt dulcia, vt caſſia fiſtula, manna: & inſipida, vt pſyllij viſcago: & dulcia ſimul & acida, vt pruna, tamar Indi. Minus his ſalubria, dulcia & amara ſimul, vt violæ: meliora, quibus ad dulcedinem & amaritudinem acceſsit ſtyptica ſubſtantia, vt roſæ: ſtypticitas enim medicamenta omnia purgantia reddit ſalubriora. Quibus autem natura deeſt, ſalubre aliquid ars naturæ imitatrix & miniſtra, id ſufficere debet, quo autem modo, dicemus poſteà.

*Alimẽta medicamẽtoſa ſunt meliora. lib. 8. compo. ph. part. in cõp. Andromachi cyphoidibus.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0028-2

*Viſiles. Gal.cap.vlti.lib.4.ſimpli.*

Ex colore autem ſecretio medicamenti benigni à maligno certa, & vniuerſalis ſumi nequit, quanquam ex accidenti in quibuſdam generibus ſit ordinata & ſcientifica: vt agaricus, colocynthis, turbith, alba ſunt præſtantiora: nigra, malefica ſcammonium ſubalbum aut varium, eſt bonum: nigrum verò, malum: roſa exactè rubra, melior, & alia aliter, vt in ſimplicibus ſingulis docebimus. De his autem qualitatibus temperamentum ſequentibus, ſi plura requiris, lege philoſophiam naturalem.

*4. Tempus.*

Ad medicamenti quoque delectum rectè iudicandum, & bonum ſit an malum expendendum, tempus iuuat, tum quo medicamenta ſunt præcipuè colligenda, vel non colligenda: tum quanto virtus medicamentorum durare poteſt.

Quædam enim recentia ſunt meliora, quàm vetera: alia contrà, dum antiquata ſunt, euaſerunt meliora: alia in horum medio ſunt.

Meliora ſiquidem recentia ſunt, primò ſtyptica & amara: (nã cùm ipſa ſint ſiccißima, vetuſtate adhuc ſicciora euadũt, ob id deteriora) ſecundo loco, quorum facultas imbecilla eſt, aut ſuperficiaria, aut facilè reſolubilis, ob raram corporis medicamentorum texturam. Antiquatis enim his tempus vires omnes reſoluit. In contrariis horum contrà res habet, hoc eſt, antiquata ſunt præſtantiora, & acria ſimiliter. Tempore etenim calor eorum inflammabilis & ſuperficiarius (quo hæc, dum recentia ſunt, mordent & vrunt) expirat, acrimonia autem à reliquo obtunditur.

*Salſa recentia nauſeabunda ob largam humiditatem putãtur, ob ſiccitatẽ verò auctã antiquata mordẽt. Epithymũ, rhabarbarum etiã trima, ſunt adhuc recentia.*

Media autem recentium & antiquatorum, dulcia, inſipida, & ſalſa ſunt præſtantiora. Nam ſalſa recentia turbant ventrem, & euertunt ad nauſeam & vomitum: veterata eadem, morſu violenter pungunt. Reliqua duo recentia quidem ob largum humorem excrementoſum ſunt flatulenta: [vetuſta verò, exanimata ſunt.] Recentia verò & antiqua intellige pro cuiuſque generis natura, [non eodem dierum, menſium, vel annorum numero metienda:] nec quæ germini proxima ſunt recentia, nec iam vetuſtate putrentia, & velut iam cinefacta: veterata hîc intelligo, ſed minus diu, aut magis, poſt collectum ſeruata. Quo autem ſint tempore medicamenta colligenda, quandiu & viribus integris ſeruari poſsint, poſteà Deo auſpice dicemus.

*Lib. 2. in ſingulis ſimplicibus.*

*5. Locus*

Locus autem natalis, quia mendicamentis ſimplicibus mul

tis non modò promptam generationem & felicem præſtat, ſed & propriam quandam virtutem impertit, in medicamentorum delectu, maximi faciendus eſt. Natura etenim (vt Plato inquit) locis quibuſdam, aliquas virtutes proprias impertiuit, quas illa rebus in ſe genitis & creſcẽtibus communes faciant, ſed tantum diuerſas, quantũ cauſæ harum differunt, & artifex natura eſt multiplex. In locis itaque liberis, excrementaq; nulla ſortitis, plantæ proprietatem perfectionemque aſſequuntur generi ſuo debitam: in non liberis, excrementorum naturam induunt, & à perfectis degenerant. Attrahunt enim ſinguli ex terra alimentum ſibi familiare, & conueniens: vitis (verbi gratia) dulce: lupinus, nitroſum: colocynthis, cucumer agreſtis, amarum, ex partibus terræ aduſtis natum. Eius autem rei inquiſitio, ſermonis non eſt præſentis, ſed altioris.

*In Timæo.*

*Triticũ, vinũ, &c. in agro non ſtercoriſato vel aliter corrupto, melius & durantius, licet parcius.*

Ob id plantæ humido excrementoſo præditæ natura, in locis [humidioribus quidem, deteriores:] ſiccioribus verò, præſtantiores euadunt: ſicciores contrà, in locis ſiccioribus, peiores, [meliores, in humidioribus:] ſic agaricus, hermodactylus, turbith, in locis humidioribus damnantur: & thymelæa, cucumer agreſtis, colocynthis in ſiccioribus & calidioribus mala ſunt & venenoſa: abſinthium item maritimum eſt maleficum vt ſcammonium ex regione Scenitarum: Antiochenum verò eſt præcipuum: [quæ enim immoderatius calidæ ſunt, vt ſcammonium, in locis calidioribus, peiores etiam euadunt, & frigidæ ad portionem.]

*Abſinthium ſeriphium ſeu marinũ etiam damnant Dioſcor. et Gal. libro 6. ſimpli.*

Adhæc terræ, & per hanc plantis virtutem magnam impertit, & variam non ſol tantum, ſed aliorum quoque corporum cœleſtium aſpectus, hunc locum & illum aliter atque aliter afficiens. In quo cauſarum genere, quædam plantæ locum & cœlum habentes ſuæ temperaturæ contrarium, ſunt meliores: aliæ ſimili emendantur: ſic guaril, & aquaticum ſi ſymbrium, & quæ aliæ humido abundant excrementoſo, ſub cœlo ſuæ naturæ diſsimili meliores ſunt, turbith quoq;, agaricus, ſcammonium, ſub diſsimili ſunt meliora. Plantæ præterea nõnullæ ex alterius cuiuſdam vicinia * vel cõtactu, meliores aut peiores euadunt: ſic hermodactylis ſcilla, aut raphanus vicina, vigorem addit: & thymus epithymo, & quercus polypodio, & ſennæ ruta. Contrà autem maligniora euadunt, ſcammonia, eſulæ aut tithymalis propinqua: polypodium, lapidibus: epithymum, ozimo. Numerus quoq; plantarum vel fru-

*Guaril protatur lacerta ſylueſtris, coitũ valde prouocãs, ſed huic loco non cõuenit agẽti de plãtis. 6*

** Vicinia et contactus.*

ctuum

ctuum, vires eorum mutat:nam caſsia fiſtula ſingularis & ſola eſt præſtantior:cōtrà ſola colocynthis,ſcilla,cucumer agreſtis,deterior:vis enim plantæ & terræ,diffuſa, multiſque diſtributa,eſt remiſsior:tota verò in vnicam plantam, aut fructum ſolum coacta, valentior. Eodem pertinet fructus quantitas,quòd in paruum virtus coacta, eſt valentior: in magnum ſoluta,imbecillior:ob id colocynthis magna eſt melior.

### *De medicamentorum delectu, indicatione ſumpta ab ipſorum facultate.*

MEdicamentum purgans à noſtro calore in energeian reductum,motu violento vacuat:neq; enim vacuaret, niſi naturæ vim afferret:vacuat autem proprium & familiarē ſibi humorem, non etiam alium quemuis,niſi actio eius,ob quantitatem iniuſtam [& qualitatem alienam] effrenis ac immodica euaſerit. Quanquàm verò omnia propè medicamenta purgantia genere ſunt deleteria,ac ſua violētia naturæ noſtræ grauiſsima:ipſa tamen natura, quibus poteſt modis,illorum motibus facultates noſtrum corpus diſpenſantes purgando diſſoluentibus occurrit:dum corporis excrementa illis trahentibus,non modò facilis permittit,ſed etiam his per medicamenta expellendis,tanquam onere leuata, recreatur,nō minùs quàm ſi ipſa motu ſuo naturali expelleret. *Apho. 2. lib. 1. & Apho. 4.6.7.8.9. lib. 4.*

Porrò fit purgatio duobus potiſsimùm modis (vt libro primo Aphoriſm. meminit Hippocrates) interdum vomitu agitata ſurſum ad ſtomachum materia: frequentiùs, deiectione, excrementis ad aluum deturbatis. Ne putes autē medicamentum purgans ventriculo receptum ad humorem vacuandum penetrare,ſed vi attractrice ſibi inſita delectu quodam cognatum humorem & familiarē,ex venis & corporis meatibus ſenſum latētibus,ad ſe in ventriculū & inteſtina,rapere:quo modo Magnes ferrum,& ſuccinū feſtucam,& alia quædam alia attrahunt. Hoc autem humore ventriculi & inteſtinorum natura dum grauatur,eum expellit: quanquàm ad ventriculum rariùs repat:vomitu,ſi ſtomachum agitet:aut deiectione,ſi ad pylorum declinet,vacuandus:frequentiùs ad inteſtina,propter multas cauſas. *Cōmod. ſex deiectionis.*
Materia enim ob inſitam grauitatē ad inferna ruit. 1
Præterea venarū meatus,excremētis expellēdis dedicati, plures ad inteſtina,quàm ad ventriculū feruntur. 2
Tertio loco 3
inte

inteſtina vacuandis excremẽtis deſtinauit natura, nõ ventriculum. Excremẽta enim ad partes ignobiles, & propinquas ſedi, à natura tranſmitti, fuit melius, quàm ad nobilem particulã, & à ſede remotum ventriculum: in quem ſi repant, ea deĳci quoq; per inteſtina præſtat, quàm per gulam euomi: quòd pylωrum, inferiorem ventriculi portam expulſioni, gulam verò attractioni, dedicauit natura. Ex quibus apparet, eandem naturam medicamenti purgantis opus deiectione potiùs, quàm vomitu moliri: omnis enim partis actio contra primum naturæ inſtitutum facta, eſt improſpera.

*Gale. Apho. 21. lib. 1.*

Eſt igitur medicamentum purgãs aut vomitorium, aut deiectorium.

*Medicamentum purgãs duplex, Vomitorium.*

Vomitorium eſt, quod ſtomachum (id eſt, os ventris ſuperius) ſuæ ſubſtantiæ proprietate debilitans, & in ipſo immorans, ad ipſum ex hepate inteſtinis, & partibus cæteris, materias attrahit, à quibus offenſus ſtomachus, & ad nauſeam euerſus, vomitu per os expellit, motu ſcilicet ſuæ naturæ cõtrario.

*Deiectoriũ.*

Deiectorium eſt, quod in ventriculo manens: ab hepate, & cæteris partibus humorem ſibi familiarem, ad inteſtina potiùs attrahit, propter commoda priùs dicta, à quo quidem humore irritata naturalis inteſtinorum facultas, ipſum, vt ſolet alia excrementa, ad ſedem protrudit. Sicq; vomitorium medicamentum, eſt tantùm vomitorium: & deiectorium nihil aliud, quàm deiectorium. Eſt autem quando deiectorium fit vomitorium (vt etiam aliquando contrà, vomitorium fit deiectorium) illudq; ob naturam vel medicamenti, vel ægri, vel vtriuſque ſimul. Medicamentum enim, ſi ventriculo ſupernatat, aut ſtomacho moleſtum eſt, ipſumque valenter agitat & ſubuertit, aut nimis abominable eſt, fit pro deiectorio vomitorium. Adhæc, cui ſtomachus tum eſt imbecillus, cùm ſumitur medicamentum deiectorium: cuiue ſtercus iam ſiccius inteſtinis obſtructis, pertinaciùs hæret: aut inteſtina ipſa arctata & anguſtiora reddita ſunt, aut flatus aliquis medicamentum ſubleuat, vomitoriũ euadit. Poſtremò corporis aut animi motus aliquis immoderatior: vel fœtor: vel rei abominabilis aſpectus, & ſimilia, medicamentum diectorium reddunt vomitorium. Vtì contrà, quod natura ſua eſt vomitorium, euadit deiectorium, cauſa ſimiliter medicamenti, vel ægri, vel vtriuſq;, ſed ratione diuerſa. Si enim medicamentũ ex ſua natura promptè ad aluum deſcendat, aut ei grata quædam ſint admixta: ſi item

*Medicamentum ex deiectorio fit vomitorium tribus cauſis.*
*Medicamenti.*
*Aegri.*
*Vtriuſque.*
*Medicamentum ex vomitorio fit*

item ſtomachus tunc eſt robuſtus, aut ob inanitionem & vehementem famem valẽter appetit, aut aluus natura eſt lubrica & facilis: ſi denique iucunda quædam obiecta externa apprehenſionem medicamenti prohibeant: id pro vomitorio fiet deiectorium. Huc accedit, quòd natura in melius omnia prudenter dirigens, rem vomitoriam efficit deiectoriam, propter dicta priùs commoda. Ex vomitoriis prætereà quædam ſunt vehementia, alia clementia, quædam mediocria. Vehementia quidem, quæ naturæ ipſi vim magnam afferunt, vt vomitu vacuent: qualia ſunt elleborus albus, ſtruthium, thymelæa, balanus, myrepſica minor, lathyris, ricinus, thapſia, ruta agreſtis, & cucumer agreſtis, & ſimilia. Clementia, vi nulla, aut minima naturæ moleſtia, vomitum cient: cuiuſmodi ſunt, aſarum, flos myricæ, ſemen cæparum, anethi, atriplicis, melanthij, rapæ, rhaphanidis, rhaphanus, ſal, & ſimilia. Mediocria ſunt, nux vomica, cnicus, nitrum, ſal gemma, ſal Indus, balanus myrepſica maior, & ſimilia. Medicamentum autem deiectorium vacuat facultate propria ſibi inſita, eaq; aut diſſoluente, vt ſcammonium, turbith: aut per adſtrictionem exprimente, vt myrobalani: aut leniente, vt caſsia fiſtula, manna: aut lubricante, vt muccago ſeminis pſyllij. Cæterùm quæ diſſoluendo purgant & deiiciunt, ferè eadem vel attrahunt, vel eradicant: attrahunt quidem, à ſupernis partibus materias: eradicant ab infernis. Reliquis verò tribus deiectoriorum generibus facultas purgatrix inſita, eſt admodum imbecilla: ob idq; parum perſpicua, vt quæ ſolum materias, quibus ipſa occurrunt, euacuet, neq; hepar tranſcendat. A' capite autem per accidens vacuare videri hæc poſsint, quòd materias ad ipſum tolli conſuetas vacuant. Medicamenta enim purgantia iuuant per ſe, quædam etiam per accidens. Per ſe enim, quæ ex ſua temperie, & propria facultate commodant, vt pituitæ turbith: bili flauæ tamar Indi, temperatura & proprietate opponuntur. Per accidens verò, id eſt, alio aliquo interueniente, quando quædam ab aliquibus fiunt contra propriã ipſorum facultatem, vt hæc ab his poſſe fieri non facilè credatur, vt ſcammonium cùm ſit calidum, corpus tamen refrigerat, per accidens ſcilicet, ſeu per calidæ materiæ vacuationẽ: qua enim cauſa præſente fit hoc, eadem abſente fit contrarium. Facultas prætereà medicamentorum, in materias oſtenditur, quando ea humorem ſibi familiarem delectu quodam educunt: non autem (vt quibuſdã viſum

*deiectorium tribus cauſis. Medicamenti. Aegri. Vtriuſque.*

*Vomitoriorum differẽtiæ tres, à maioris & minoris ratione ſumptæ.*

*Deiectoriorum differẽtiæ quatuor Trahendo. Comprimẽdo. Leniendo. Lubricãdo.*

ſum

ſum eſt)eum,qui cæteris in corpore ſit largior,& poſt hunc, alium copia illi proximum. Nam omnia medicamenta purgantia pituitam ferè vacuarent, vtpote in nobis vtraque bile propè ſemper largiorem:quod falſum eſt: imò humorem abſolutè non vacuant,ſed hoc genus medicamenti,humorē hunc ſibi familiarem delectu quodam expellit,eumq; interdum tenuem,craſſo in nobis relicto:interdum contrà.Cuiuſq; enim medicamenti purgantis actio inſita,& bene directa,hæc eligit,illa relinquit:hunc vel illum humorem reſpicit,nō omnē: nec vltrà quàm paſſurus humor exigit,tranſgreditur , niſi immoderatius agat.Rei cuius abundè ſcientem te naturalis philoſophia reddiderit. Medicamentum igitur omne,humorē ſibi familiarem primum educit: deinde illum,qui ad ſequendum magis eſt habilis,poſteà alium ſequi paratiorē: poſtremò ſanguinem,quem ceu theſaurum quendam natura,quandiu poteſt,retinet,trahique prohibet:tandem verò victa,trahentibus permittit expellendum.In hac autem humorum ſucceſsione, primum ſibi cognatum trahit medicamentum,ſuo iure directum:alios verò tanquam degenerans,ob actionis vehementiam:quomodò ſi quis iraſci facilis, ira ſic incitetur, vt furiat. Tunc enim rectas actiones ſuas,vltrà quàm par eſt,& quàm ſtatuerat,tranſgredietur. Hoc autem ordine vacuant materias hæc purgantia medicamenta , vt cholagωgum bilem primùm trahat,hinc pituitam, poſteà atram bilē,poſtremò ſanguinem:phlegmagωgum pituitam primùm educat,poſteà bilem flauam,hinc atram,poſtremum ſanguinem : Melanagωga deniq;,bilem atram primùm,deinde flauam , tertiò pituitam,ad poſtremum ſanguinem. Nullum enim medicamentū facultatem habet primam,& per ſe hæmagωgam,id eſt,qua ſanguinem abigat & vacuet,quem natura vſq; ad poſtremum retinet, neq; trahi permittit, niſi coacta vi medicamenti immoderatiore. Quòd ſi ſanguis iam corruptus eſt,ac computruit,ſanguis eſſe deſiit,& portione tenui in bilem flauā abiit, craſſa in atram,vt inquit Gale.quam vtranque medicamento purgante vacuari poſſe,nemini ambigitur.Omnia autē,quæ ſummè & effreni virtute purgant medicamenta,ſanguinem tandem,non tamen propria vi educunt,ſed vel excoriatis venis,vel orificiis venarum,tam latè apertis , vt ſanguis effluat: vel ſua vi immoderatiore,extremam vacuationem moliente. Qualia ſunt,aloë mala , cucumer agreſtis, centaurium,colo-

*Hippoc. lib. de natu. humana.*

*Lib. 2. de different. febr. cap. 12.*

cynthis vnica in planta vna, ſcammonium è regione Scenitarum, euphorbium, thymelæa ſeu granum gnidium, præſertim paruum. Sunt tamen medicamenta quædam, ſanguinem purũ & clarum efficientia, vt lupulus, adiantum albũ, rhabarbarum Sceniticũ, ſerum lactis, præcipuè caprarum bono paſtu educatarum: ſuccus roſarum, caſsia fiſtula, abſinthium, fumaria, aloë, ſuccus bonorum fructuũ, vt damaſcenorum, aſphodelus, potiſsimumque ipſius ſuccus, & ſimilia. Medicamenta autem præcipuè cholagωga ſunt, aloë, ſcammoniũ, abſinthiũ, eupatorium, lupulus, myrobalani citreæ, fumaria, rhabarbarum, ſerum lactis, ſuccus roſarum, violæ, caſsia fiſtula, tamar Indi, manna, pſyllium, pruna, ſuccus fructuum bonorum. Phlegmagωga verò magis ſunt, myrobalani cepulæ, emblicæ, bellericæ, ſal gemma, colocynthis, turbith, ſtœchas, iris, ſarcocolla, balanus myrepſica, ricinus, hyſſopus, thymus, opopanax, ſagapenum, euphorbium, ariſtolochia, cnicus, centauriũ, eupatorium, agaricus, cucumer agreſtis, hermodactyli, ſcilla, cuminum, aſarum, polium, polypodium, vrtica, zingiber, ſerum lactis, mel, ſaccharum rubrum. Bilem atram propriè & potiſsimum vacuant, epithymum, ſtœchas, myrobalani nigræ, polypodium, eſula, calaminthe montana, ſenna, elleborus niger, ſal Indus, ſal naphthicus, ſal niger, lapis cyanus, lapis Armenus, & ſimilia.

Humores quoq; vſtos, ſenna, myrobalani nigræ, fumaria, lupulus, volubilis maior, ſerum lactis, & ſimilia.

*Medicamenta quæ, quas partes reſpiciant. Gale. lib. 5. ſimpli. cap. 23.*

Aquas denique, turbith, thymus, adiantum album, euphorbium, ricinus, cucumer agreſtis, centaurium, ariſtolochia, ſal, ſal gemma: aquam autem rufam, iris cucumer agreſtis, agaricus, ſagapenum, granum gnidium, eſula, æs vſtum, & ſimilia. Medicamentorũ quoq; facultas quædã eſt partibus quibuſdã familiaris, eas iuuans, & humoribus ſuperfluis expurgãs. Expurgantur autem hi humores à vẽtriculo, & inteſtinis facillimè: à venis meſaraïcis, minus promptè: & his adhuc ægriùs ex venis ſimæ hepatis [& gibbæ.] Difficulter item à venis tenuibus ſingularum corporis partiũ: difficillimè à iuncturis, præſertim cùm ipſi dictis partibus diu immorati ſunt, & impacti tenaciùs adhærent. Cùm autẽ medicamenta ſoluendo purgantia poſsint à partibus remotis, ſupernis quidem attrahere, infernis verò eradicare: tria verò reliqua purgantium genera materias potius obuias educunt, [illis in parte difficulter vacuan

*Partes quò longius abſunt à ventriculo & inteſtinis et meatus habent anguſtiores, eò ægrius purgantur.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0035-0

cuanda,his in ea quæ promptè vacuatur,vtendum eſt:] obſer-
uata ſimul proprietate medicamento cuiq; purgãti inſita,hãc
vel illam partem magis reſpiciẽte. Vt partes capitis, agaricus,
colocynthis,ſtœchas,aloë,ſcylla,epithymum,myrobalani cæ-
pulæ & Indæ,ſal Indus,lapis cyanus,lapis Armenus,reſpiciunt
magis,& ab his materias potius vacuant.Vt thoracem,& pul-
mones,agaricus,thymus,hyſſopus, volubilis, manna,caſsia fi-
ſtula,ſarcocolla,iris,colocynthis, & ſimilia. Ventriculum , &
inteſtina, abſinthium,aloë, myrobalani , & quæ alia obuias
tantùm materias educunt. Splenem verò,agaricus,ſenna,epi-
thymum,elleborus niger,ſtœchas,eupatoriũ,abſinthium , ca-
laminthe montana,ſal Indus,ſal niger,& ſimilia. Hepar item,
agaricus,volubilis maior,lupulus,ſerum lactis,rhabarbarum,
eupatorium,abſinthium,& vtriuſq; ac roſarum ſuccus,myro-
balani,tamar Indi,fumaria,iris, granum gnidium,ſenna,eſu-
la,æs vſtum,ſagapenum,ſarcocolla, & ſimilia. Iuncturas de-
niq; ac partes alias remotas,hermodactylus, ſarcocolla,opo-
panax,ſagapenum,euphorbium,colocynthis,turbith,ſal gem-
ma,ſal Indus,centaurium, cucumer agreſtis,elleborus niger,
polypodium,& ſimilia. Ab ipſa verò cute,materias educunt ac
expurgant ſerum lactis,fumaria,colocynthis, epithymũ,aga-
ricus,polypodium,myrobalani Indę,volubilis,& ſimilia. Præ-
ter iam dicta,indicatio ab aëris temperie magni eſt momenti
ad rectum medicamentorum purgantium vſum. Nam aëre
multùm calido aut frigido,à medicamentis purgantibus ab-
*Aph.5. li.4.* ſtinendum eſt,quod inſinuauit Hippocrates,Sub cane,& ante
canem difficiles medicationes pronuntians:quia(vt inquit Ga-
lenus)natura ab aëre calidiſsimo inflammata [nec acrimoniã
medicamenti purgantis ferente]febres excitantur,& virtus à
multo calore externo reſoluta,& infirmata,à medicamento
*Gale. hæc o-* purgante magis deiicitur. Adde quod aër externus,balnei mo-
*mnia in cõ-* do,calore ſuo præſertim immoderatiore medicamenti intrò
*mentario* trahentis,vim ad cutim attrahens [purgationi obſiſtit.] Quòd
*eius Apho.* ſi æſtate vacuandum eſt,purgabis(vt etiam iubet Hippocra-
*Aph.4.li.4.* tes)ſuperiorem ventrem,vt hyeme inferiorem. Rectè ſiqui-
*Cõmẽtario.* dem ( inquit Galenus) imperat Hippocrates æſtate vomitu
*Hæc nõ ha-* purgandum corpus:quia tunc bilis flaua abundat,& tota ani-
*bet eo loco* malis natura,ob ambientis caliditatem omnino magis ad ſu-
*Galenus.ſed* periora mouetur:humores enim per anni partium diſpoſitio-
*in natura* nem ſibi ſimilem augentur,aut minuuntur per cõtrariam ſibi
*humana.*

aër

aëris temperaturam, vt æſtate bilis flaua augetur: calida item & acria [& leuia] facilè ad ſuperiora feruntur. Dandum igitur medicamentum hoc tempore, quod bilem per ſuperiora educat. In hyeme verò augetur pituita, quæ cùm grauis ſit, ad inferiora repit: dandum igitur tunc medicamentum, quod per inferiora educat. Medicamenta igitur æſtate vitanda ſunt, quæ acria & valentia ſunt, purgantq; diſſoluendo: hyeme verò purgantia lubricando. Illa enim febres, vlcerationes, dyſenterias, promptè excitant: hæc diarrhœas, & lienterias. Acria verò illa non in æſtu ſolùm, ſed etiam frigore vitanda, quia vt in illo excoriationem & febres (vt diximus) promptè excitant, ſic in hoc hypercatharſin, hoc eſt, purgationem immodicam & virium diſſolutionem.

# THEOREMA SECVNDVM.

*

## *De medicamentorum purgantium correctione.*

MEDICAMENTORVM purgantium tam bonorum, quàm maleficorum differentias priùs demonſtrauimus: nunc autem horum malignitatē auferre, vel ſaltem obtundere, & quibus poterimus modis corrigere, partim malitiam eorū, & exceſſum frangentibus, partim ſalubrem aliquam facultatem afferentibus, Dei benedicti beneficentia adiuti, tentabimus. Corrigimus autem medicamentum purgans maleficum, aut miſto ipſi altero facultatem habente contrariam ipſi exceſſui, aut arte aliqua, & induſtria melius ipſum reddendo. Verùm facultatis contrariæ miſtio tribus modis perficitur, vt inquit Democritus. Aut enim malitiam à proprietate innatam, vt qualitatem venenoſam, & vitæ noſtræ inimicam, aliis proprietatē oppoſitam natura ſortitis, emendamus: aut intemperiem eorum calidam, frigidam, humidam, ſiccam, contraria qualitate miſta, permutamus: aut denique effectis ipſorum noxiis pòſt dicendis, contraria opponimus. Duo præterea omnino obſeruantes t

*Corrigendi medicamēti ratio duplex.*

*Miſcendorū cognatio quædā ne-*

*ceſſaria eſt ad ſui mutationem & vnionem.*

*Ariſt. lib.1. de generatione, cap.7.*

primùm, vt medicamẽtis prædictis ſit quædam proprietatum inter ſe concordia, & cognatio, qua ſeſe mutuò afficiant, vt tranſmutatione abſoluta, ex his duobus contrariis virtus vna conſurgat: vt exempli gratia, zingiber, turbith ipſi vim miram imprimit: & raphanus, hermodactylis: raphanus autem cum turbith, fruſtrà permiſcetur: quia his duobus inſita non eſt inter ſe concordia. Scammonium quoque cor proprietate ſua & calore ipſum inflammante, ac multum diſſoluente, lædit: licet verò ambra cor roboret, & cryſtallus inflammationem extinguat, & galla partes diſſolutas cogat, tamẽ nullum eorum rectè ſcammonio miſcetur: quia hæc, ac ſcammonium agendo inuicem & patiendo in vnius virtutis concordiam non conſpirant, nec contendunt. Quæ verò medicamenta proprietatibus ſuis concordent, ac ſymbolum habeant, ab his diſce, qui rerum variarum arcana ſcrutantur. Secundum tibi obſeruãdum eſt, vt proportione idonea miſceas hæc, medicamento corrigendo oppoſita, inuicemq; agere & pati idonea: vt ex his iam conſentientibus, medicamentum reſultet vnum, velut pacatũ, pugnæ omnis expers, magnarumq; virium. De his autem proportionibus, quantum operi propoſito expedit, poſteà dicemus.

*Correctio medicamentorũ per alia oppoſitã proprietatũ virtutẽ habentia.*

Medicamento purganti proprietatem quandam laudabilem, quæ miſcentur oppoſita conferunt: quorum propria virtus ab ipſorum forma proficiſcens, in his atque aliis varia, aliquam medicamenti noxam peculiariter reſpicit, ac corrigit: qualia ſunt triplicia. Medicamenti enim purgantis virtutem vel imbecillam augent, vel violentam minuunt, vel malignam permutant.

## *Canon primus.*

SIquidem medicamentorum actio imbecilla eſt intendenda, miſto proportione iuſta eorum aliquo, quæ actionis vigorem ipſi tribuunt, ob agendi inuicem ac patiendi proprietatem cognatam: ſeu ob totam ſuam ſubſtantiam, non ob caliditatem vel frigiditatem. Quomodo corallium ſanat ſtomachi imbecillitatem, pæonia epilepſiam, non quia illud frigidum, hæc calida: aut quia illud graue, hæc leuis: ſed quia hanc virtutis dotem vtrunque eſt ſortitum: ſic ſerpens iuueneſcere facit, magnes ferrum attrahit, & alia ſimiliter. Porrò medicamenti facultas purgatrix eſt imbecilla, quando debiliter, & minùs quàm opus eſt purgat, aut tardè purgat, tum ſcilicet primùm,

cùm corpus cibo aut ſomno reficiendum eſt: imò interdum die poſtero:& interdum humores mouet,nõ vacuat:interdum coctionem vitiat,cibum crudum, aut tantùm coqui cœptum, vnà ſecum detrahens,ac deturbans.Si igitur medicamẽti purgatio ſit debilis,imperfecta,parcior quàm opus eſt (vt turbith reuerà pituitam tantùm tenuem vacuat: epithymum parum aut nihil vacuat,niſi eius larga vis ſumatur:manna, hermodactylus,& alia multa debiliter vacuant)robur facultatis ei addendum eſt per ea,quæ ipſi ſunt familiaria, & ſeſe mutuò ferunt, vt ex vtriſque conflata virtus vna, purgationem abſolutam perficiat: vt turbith , zingibere adiutum, pituitam craſſam, & ſuccum crudum vacuat, alioqui per ſe non vacuaturum. Epithymum cum ſero lactis, vel hydromelite, vel ſale Indo, vel ſale gemma, vel myrobalanis nigris potentiùs purgat. Manna cum thymo,aut ammi, aut cardamomo, laudatã & abſolutam facit purgationem. Hermodactylus cum cumino,aut pipere, item hermodactyli puluis cum ſucco ſcillæ, vel raphani in trochiſcos coactus, materiam craſſam & lentam à iuncturis mirè educit. Si autem tardiùs & longo pòſt tempore purget medicamentũ,(vt agaricus,aloë, hermodactylus, turbith,& ſimilia)miſce purgationem tutò accelerantia,vt agarico oxymeli, ſalem gemmam: aloë, aromata: hermodactylo, ſcillam, raphanum:turbith,zingiber.

### *Canon ſecundus.*

MEdicamẽti malignitatem permutamus,his miſtis, quæ proprietate quadam id præſtant. Malignitas autem medicamenti in eo parte plurima eſt, quod corpus & ſeneſcere cogit,& vſu crebro lædit partes ipſas principes virtutũ nos gubernantium,ceu fontes,& ſpiritus,caloremq́; natiuum,harum motores, infirmat. Quapropter medicamentis ſoluendo purgantibus miſcere cogimur, quæ cor & alias partes principes,quadam proprietate roborant: illaq́ue purgantia ſalubria reddant, adeò vt miſtis vtriſque corpus ſit ſanum, & iuueneſcere videatur. Qualia ſunt cardiaca,ſtomachica,cerebrica,& quæ alias quoque partes principes,& viſcera roborare cognoſcuntur.Cor nanque in omni vacuatione imprimis roborandum eſt:(quòd ipſum cor,ceu vitæ baſim, ſymptomata purgationi ſuccedentia primùm infeſtent)ſecundo loco ventriculus,vt qui medicamentum primus ſit ſuſcepturus. Aliarum ve-

rò partium robori non admodùm, nec primò ſtudemus, niſi cùm ab ipſis vacuandum eſt. At medicamentũ facultate cardiacum, quadruplex eligendum eſt: vel roborans tantùm, vt poma dulcia, & aromatica, xylaloë, doronicum, & ſimilia: vel alterans purgantis medicamenti temperiem, tam calidam, vt dum ſcammonio roſa, ſantala, & ſimilia, miſcentur: quàm frigidam, vt dum tamar Indis miſcetur macis, & ſimilia: vel roborans, & ſimul purgationem adiuuans, vt ſuccus roſarum, & violarum, & myrobalani emblicæ, & ſimilia: vel purgantis violentiam, & immodicam vacuationem exoluens, ac remittens, vt ſuccinum, ſpodium, & ſimilia. Stomachicũ verò etiam miſcendum medicamentis diſſoluendo purgãtibus, vt ſtomachum, [& hepar] facultatis naturalis fontes, muniat & tueatur: cuiuſmodi eſt, maſtiche, ſpica nardi, & ſimilia: vt etiam à medicamentis excitatam intemperiem corrigat, calidam, frigidam, humidam, ſiccam. Quam in rem victus quoque ratio idonea iuuat, à nobis contra hæc inſtitui conſueta.

*Liber ſecretorũ Galeno aſcriptus eſt: hãc enim nucem ignorauit.*

Miſcendũ item cerebricũ aliquod medicamẽtũ: quamobrẽ pleriq; medici (vt ait Galenus) hieris miſcuerunt nucem moſchatam, cerebrum, & neruos roborantem: quod idem præſtat ſtœcas, gallia, caſtorium, & ſimilia. Hepaticum ſimiliter miſcendum, & aliis partibus familiare medicamentum, qualia plurima inuenias in tabulis medicamentorum ſimplicium.

## *Canon tertius.*

MEliorem medicamenti purgationem reddunt, quæ ipſius virtutem ad partem purgandam inſita ſibi proprietate deducunt. Natura enim medicamenti actionem dirigit, & hanc & illam ipſius virtutem diſtinguit & dirigit. Medicus autem naturæ ipſi, rebus inuicem, quàm optimè fieri poteſt, miſtis, ſuffragatur. Domini enim benedicti opere factum eſt, vt rerum ſumptarum proprietates natura dirigat, aliter tamen atque aliter: vt exempli gratia, agaricus cum ſtœchade aut acaro, capitis affectibus prodeſſe certò cognoſcitur, hepatis autem, intybus & cichorium agreſte, ſpica nardi, thoracis, thymus, & hyſſopus. Confidimus igitur naturam ad partes virtute medicamentorum varia egentes, hoc & illud tranſmiſſuram, cùm ſint hæc inſtrumenta ipſi auxiliantia, quæ natura ſapiens diſtinguit & dirigit: quomodo, exempli gratia, artifici norma, & perpendiculum ſubſeruiunt, illa ad angu-

ſum conſtituendum, hoc ad operis rectitudinem. Sic naturam confidimus his vel illis partibus, hac virtute rei ſumptæ neceſſariò egentibus, porrecturam, præſtaturamque. Præſtantiora igitur medicamenta purgantia efficimus, miſcendo quæ illorum virtutes ad partem vacuandam deducunt. Illa verò ſunt, (vt diximus) quorum virtus huic vel illi parti eſt familiaris. Hoc autem loco docere libet medicamentorum cum partibus cognationem, quæ aliorum medicamentorum virtutes ad partes ipſas perducit. Ad caput enim medicamenti purgantis facultatem deducunt, nux moſchata, pæonia, ſtœchas, acorus, xylaloë, ſal Indus, ſal gemma, balſamum xylobalſamum, carpobalſamum, anacardus, thus, ladanum, buthur ſcenden, myrrha, chamædrys, chamæpitys, ſchœnu anthos, ſcilla, ſpica nardi, caſtorium, gentiana, thymus, hyſſopus, opus Cyrenaicus, ſtrobyli, piper, maiorana, ſagapenum. Ad thoracem verò & pulmones, iris, thymus, hyſſopus, crocus, glycyrrhiza, eius ſuccus, vuæ paſſæ, adiantum, ſcilla, ammi, cardamomum, ſuccus braſsicæ, ius galli antiqui, naſturtium, amygdalæ, ſtrobyli, auellanæ, pulmo vulpis, ſeſeli, opopanax, myrrha, ſagapenum: raphanus, calamus aromaticus, aſphodelus, volubilis maior, laurus, calamintha ſabina, violæ ariſtolochia [ vtraque, ] tragacantha, gummi, thus, mel, ſaccharum, morum, fœnum græcum, marrubium, lilium, & ſimilia.

Ad hepar item, ſpica, aſarum, aniſum, fœniculus, & eius ſuccus, intybus, cichorium agreſte, amygdalæ amaræ, folium, daucus, eupatorium, abſinthium, cancamum, caſſutha, † grana quatuor, cinnamomum, aſparagi, decoctum cicerum, chamædrys, arnogloſſa, volubilis, iris, laurus, ſchœnu anthos, chamæmelum, fumaria, ſerum lactis, petroſelini & fœniculi ſuccus, polium, ſcilla, & ſimilia. Ad ſplenem, daucus, calamintha, ſpica nardi, tamarix, capparis, cyclaminus, cortex ſalicis, ſal gemma, ſal Indus, iris, acorus, praſium, rubia tinctoria, abſinthium, eupatorium, aniſum, fœniculus, aſparagus, caſſutha, aſplenon, ſcilla, aſarum, volubilis, ſcordium, agnus, chamæpitys, amygdalæ amaræ, ariſtolochia & ſimilia. Ad iuncturas denique medicamenti purgantis vim deducunt, zingiber, ruta agreſtis, opus Cyrenaicus, opopanax, thapſia, cardamomū, aqua porri, ſuccus braſsicæ, acorus, triplex piper, ſcordium, chamedrys, chamæpitys, thymus, amomum, polium, & ſimilia. Quæ ad alias quoque partes deducunt, virtutem me-

*† Semen cucumeris, cucurbitæ, melonis, citreoli.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0041-3 DFG

dicamenti ex tabulis medicamentorum ſimplicium, collige, nobis præſtantiora & præcipua ſcripſiſſe ſuffecit.

### *Medicamentorum purgantium correctio, per ipſorum temperaturæ contraria.*

MEdicamenti purgantis temperiem immodicè calidam, vel frigidam, vel humidam, vel ſiccam, [vel harũ coniugatione aliqua noxiam] contrario aliquo valentiore, imbecilliore, æquali, pro ſcopis, & indicationibus variis permutamus. Hac autem de re fuſiùs ſcribere non ſtatui, quæ pleniùs apud Haly ſenem, & Alchindum legere potes.

### *Medicamentorum purgantium correctio, per ipſorum effectis contraria.*

MEdicamenta valenter purgantia, opus excitant violentum, & effecta ſæpe malefica, & noxia ſymptomata, naturamque proſternentia, qualia ſunt conturbatio, animi deliquium, morſus ſtomachi, flatuum generatio, inflatio, punctio, inciſio, vlceratio, venarum in orificiis apertio, attractio immodica, viſcerum lubricitas, congelatio, ſiccatio, corrugatio, inuiſcatio ſeu adhęſus, obſtructio, arctatio, & ſimilia. Quibus per ipſis effectis contraria eſt occurrendum: qualia plerunque ſunt odore aut ſapore, aut tota ſubſtantia iucunda, ob id medicamentum melius & ſalubrius reddentia. Odor enim iucundus, medicamentum reddit melius, quòd agitationem, & nauſeam ſedat, cor & cerebrum roborat, animum gaudio exhilarat: fœtens verò atque grauis, contraria molitur. Odoratum verò purganti medicamento opponatur, calidum aut frigidum, quantum ipſius medicamenti intemperies poſtulat [& ægri, morbi, aëris.] Medicamenti quoque actionem temperant ſapores iucundi, & medicamenti effecto contrarij: acerbus, auſterus, acidus, dulcis, vnctuoſus, ſalſus, amarus, acer: prudente medico coniectore, qua horum differentia ſit opus, ad frangendos medicamenti purgantis exceſſus varios. Res enim acres, vt aromata, flatus à medicaméto excitatos, tenuãt & diſsipant: ob id ipſi hæc miſcentur, vt daucus, fœniculus, piper longum. Fœniculus, aniſum, polypodium, & ſimilia, ſcammonio miſta, materiã craſſam, lentam incidendo, apparant ſcammonio expellendã, id quod ipſum forſan per ſe nõ effecer

cer

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0042-9
DFG

cerit. Scilla hieris magnis ratione eadem addita eſt vt materias euulſu contumaces vacuent. Piper quoque hieris, & thapſia, & acria alia catapotiis fœtidis, vim quandam trahēdi à partibus remotis impertiuntur. Eadem acria medicamenti purgationem imbecillam aut tardam celerant, & efficaciorem reddūt: ob id ipſi turbith miſcetur zingiber: rhaphanus: hermodactylis: cnico, cardamomum: quod neceſſariò humorum congelationem tollit, & obſtructiones aperit, medicamentoq́ue penetrandi virtutem impertit, cùm eam per ſe non haberet: quo fine ſcordium & diuretica acria magnis medicamentis miſcentur. Medicamenta item amara, medicamentum acrimoniâ purgatorium, non modò ſubſtantia ſua quadantenus frangunt ac reprimunt, ſed etiam purgationem adiuuant: ob id rectè quidam ſcammonio aloën miſcuerunt. Amara præterea ſtomachum firmant, & flatus diſsipant, medicamentum [corpusq́ue ſumentis] à putredine imminente & præſente vindicant. Salſa item medicamenta purgantem vim debilem ac tardam celerant & perficiunt: ob id ſalem gemmam, & alias ſalis ſpecies, rectè agarico miſcuerunt, & epithymo, & aliis purgantibus permultis. His enim vigorem, & facilem actionem, craſſas & lentas materias incidendi, & tenuandi, & tergendi facultatem impertiuntur, ſiccitatem intendunt, ob id ſitim excitant, eaq́; putrere & putrefacere prohibent, & fieri cœptam putredinem emendant, humores partibus merſos & imbutos exiccant, obſtructiones liberant, flatus diſsipant, quoſdam tamen conturbant, aliis contrà turbationem ſedant. Vnctuoſa verò medicamentum lubricando purgatorium, magis lubricum faciunt, & quod adhærere eſt procliue, ſimul lubricant, & tardius purgans citò deturbāt, acrimoniam morſumq́ue pungentium frangunt, aſperitatem leniunt. Quibuſdam tamē nauſebunda ſunt, & ſtomachū infirmant. Dulcia medicamentū purgans etiā priùs abominabile, efficiūt gratius, magiſq́; tum lauans, tum tergens, tum expurgās: turbationem ſedant, acrimoniā & morſum ſerrantem frangunt, purgationē tardam celerant, & ne medicamentum adhæreat, lubricando prohibent, corpus roborant. Ob hæc ſunt velut fundamentū & materia compoſitionum. Quibuſdam tamē inflammationem pariunt, aliis flatus. Inſipida purgans medicamentum lubricant, eiusq; inflammationem extinguunt acrimoniā obtūdunt, morſum ſerrantē auferunt. Acida medicamenti purgā-

*Vide lib. 7. ſimpli. centaurium maius.*

*Amara cā coſtomacha Gal. vt abrotonum, ſeriphium, niſi ſimul aſtringant, vt aloë, abſinthium.*

*Mel, ſaccharū. & dulcia alia cur compoſitis miſcentur.*

tis calorem,& ab eo cordis, ventriculi,& corporis reliqui inflammationem extinguunt,morſum,& acrimoniam obtundunt,nauſeam & conturbationem ſedant,vim penetrandi, & incidendi, & tenuandi augent. Styptica omne medicamentum purgans,præcipuè quod acrimonia ſoluit, & immodicè trahit,& venas proprietate innata ſic aperit,vt ſanguis effluat, & viſcera excoriat, vel ea immodicè lenit & lubricat, melius reddunt tribus de cauſis:prima, quia medicamento ſic purganti repugnant ſubſtantia ſua,non modò craſſa, ſed frigida,qua illius acrimoniam & inflammationem frangunt.Ob id rectè maiores ſcammonium in malo cydonio coxerunt, & eidem ipſum etiam commiſcuerunt:Secunda, miſtis quoque ſtypticis,facta ventriculi compreſsio,citiùs & faciliùs,purgatorium illud vehemens à corpore propellit: quocirca rectè etiam ſcammonio,myrobalanos miſcuerunt.Sptyptica denique cor,ventriculum,reliquasque partes nutritorias,ne à vehementibus illis lædantur muniunt,roborant,nauſeamque ac ventriculi ſubuerſionem ſedāt. Non ſolis autem purgantibus valenter, ſed omnibus quoque aliis miſta ſtyptica , ipſorum actionem reddunt ſalubriorem. Dulcia verò omnibus commodè miſcentur,præterquàm ſalſis. Vnctuoſa commodè miſcentur acribus, amaris, mordentibus, pungentibus, vlcerantibus,ægrè lubricantibus:dulcibus autem,& inſipidis, incommodè:acidis autem miſta,ventriculum ad vomitum promptiùs euertunt. Acida ſalubriter miſcentur acribus, vrentibus, mordentibus,dulcibus,& aliis incendi aptis: inutiliter, amaris,ſalſis, ſtypticis, vlcerantibus, ſerrantibus. Inſipida vtiliter miſcentur acribus,amaris,ſalſis,ſerrantibus,mordentibus, vlcerantibus,inflammantibus:ſtypticis inutiliter. Salſa inutiliter miſcentur acribus, amaris, dulcibus, vnctuoſis: præterquàm quibus actio imbecilla,aut tarda, vigore ob id indigēs. Omnia enim tardè ac imbecilliter purgantia, ab acri & ſalſo vigorem accipiunt. Amara & acria quadantenus vtiliter miſcentur:ſalſis verò,vlcerantibus,ſerrantibus,ſiccantibus,inutiliter. Poſtremò glutinoſa omnia,ſua ſubſtantia,medicamentorum malignitatem frangunt,& exulcerare viſcera,venarumq; ora aperire , interpoſitu ſuo prohibent. Quapropter tragacanthum,aut maſtiche,aut bdellium,rectè miſcentur aloë, colocynthidi,cucumeri agreſti,& ſimilibus. Hanc in rem quoque ladanum eſſe mirum prædicant nonnulli,præſertim ſi pau-

*Gal.in lib. 3.ſimpli. cap.14.*

co

co oleo roſato ſolutum, colocynthidi miſceatur. Alia aliorum ſunt remedia à nobis particulatim dicenda in ſingulis ſimplicibus purgatoriis.

### *De proportione medicamentorum inuicem miſcendorum.*

PRædicta autem medicamenta proportione quantitateq; idonea ſunt permiſcenda, vt ex his licet diuerſa potentibus, vna tamen facultas conſurgat. Qua igitur menſura vnum alteri miſcendum ſit, vt ſalubre fiat medicamentum, indicatione ab ipſorum proprietate tantum ſumpta, hic breuiter docere ſtatui, non etiam à quantitate & qualitate. Id enim liber Haly ſenis & Alchindi abundè docet: quod autē breuiter perſequi ſtatuimus, eſt huiuſmodi. Omne medicamentum purgans aut violentum eſt, vt ſcammonium, euphorbium granū gnidium, & alia multum acria: aut imbecillum, vt caſsia fiſtula, manna, violæ, & alia ſimiliter dulcia & ſalubria: aut mediocre, vt ſubacria ſubamara, & alia violentorum & imbecillorum media, quorum magna eſt latitudo, ac per magis & minus in bonitate & malignitate differentia. Adhæc omne alexiterium (Bezahar Arabes vocant) quod medicamentum† purgans emendat, aut valenter, aut imbecilliter, aut mediocriter iuuat: id eſt, medicamenti purgantis noxam oppoſitu ſuo frangit, vel intemperiem corrigit, vel virtutem [cordis] regit. Valenter autem iuuant, quæ præterquàm quòd hæc tria præſtāt, etiam nos nutriunt, vt dulcia. Parum iuuant, quæ vno modo, vel duobus iuuant, tamen non nutriunt corpus, ſed ipſum alterando permutant, vt amara, ſalſa, ſtyptica, & ſimilia. Mediocriter iuuant, quæ pluribus modis commodant, & quadantenus nutrire poſſunt, vt vnctuoſa, inſipida, ex auſtero dulcia, vt dactyli, cydonia: aut dulcacria, vt mel: aut acidodulcia, vt* meſa: aut dulcia, & ſimul inſipida, vt poma. Si eſt igitur medicamentum violentum, alteri plurimum iuuanti miſcēdum: amboq; proprietatibus inter ſe ad miſtionem concordant, & cōſentiunt. De vtriuſq; quantitate ſic ſtatues, vt quod plurimum iuuare confidis, largiùs miſceas, ceu à quo commodum expectas: violentum autem parcius, vt à quo propter actionis vehementiam, noxa corpori aliqua impēdet. Id quod Democritus his verbis volebat: Medicamentū ex violento imbecillum,

*†Medicamētū eſt noxiū ſubſtantia ſua maleſica, qualitatibus primis, vel alijs cor lædētibus, ob id trifariàm corrigitur.*

**Granata, vel fructus alij acidorū, & dulciū medij.*

efficias oportet. Quia medicamentum alteri proprietatibus concordanti miſtum, quantitate idonea eſt ſalubrius, non correctum autem, malignius. Quod ſi medicamentum violentum, alteri parum iuuanti miſcendum eſt, vtrunq; eſt minuendum: illud quidem ob impendentem noxam: hoc, quia tã tùm illius temperaturam alterat, vel [actionem] immutat.

Si autem medicamentum imbecillum alteri valde iuuanti miſcendum eſt, illud vtpote ob debilitatem innoxium, eſt augendum, vt ei quantitas vigorem & robur adiiciat (quod etiam voluit Democritus, medicamentum ex imbecillo valentius faciendum, imperans:) augendum quoq; quod magnopere iuuans eſt, ob dictam priùs cauſam. Si deniq; medicamentum imbecillum alteri parum iuuanti miſcendum eſt: illud augendum, hoc minuẽdum, propter dictas priùs cauſas. Hæc de miſcendorum quantitate tibi cognoſcenda ſunt: quanquàm ſunt, qui alia quoque addant, ſcopis aliis intenti.

## *Quibus modis ars medicamenta corrigit: & coctionis differentiæ.*

*Artifex medicus his modis noxas medicamẽtorũ quaſdam corrigit.*

MEdicamenti purgantis malitiam ars reprimit, & facultates nouas impertit, quatuor modis, coctione, lotione, infuſione, tritura. Coctio, vna eſt elixatio, altera aſſatio. Elixatio medicamenti humorẽ excrementoſum coquit, reſoluit, flatus ab eodem craſſos, mordaces ad nauſeam ventriculum euertentes, diſsipat: eius denique acrimoniam, motus in corpore moleſtos, vim validè ſerrantem, excoriantemq; frangit, & prohibet. Propterea ſcammonium in pomo vel cydonio coctum, vel in vaſe vitreo cum ſucco roſarum, & oleo amygdalarum dulcium, eſt præſtantius, vt mox in ſimplicibus dicemus. Attractio quoque medicamenti vehementior & malignior elixatione obtunditur, vt cum medicamentum maleficum intra cauitatẽ alterius benigni coquimus, vt illius virtus in hoc fracta maneat: qualiter, exempli gratiâ, ſi radicem raphani, radicibus ellebori transfixã, ſub cineribus coquimus, & eam damus edendam. Habet enim virtutẽ ellebori purgatricem, ſed multũ repreſſam. Sapam quoq;, aut ſyrupũ roſatum, quibus incoctum ſit ſcammoniũ, propinamus. Id quod philoſophi appellant ſeparationẽ rei, ſecũdum ſpeciem, à re quæ eſt ſecundum materiam, [hoc eſt formæ, & virtutis ſpecificæ, à materia tranſſumptionẽ.] Præterea medicamentorũ multorũ

ma

malignitas reprimitur ipſorum coctione in herbarũ, vel ſeminum, vel aliorum, ſuccis & aquis ſua facultate illorum violentiam permutantibus. Cæterùm coctionẽ non ſuſtinẽt omnia æqualem, ſed quędã debilẽ, alia valentẽ. Quorum enim virtus facilè reſoluitur, quia vel imbecilla eſt, vel in ſuperficie eſt poſita, vel in ſubiecto raro conſiſtit, omnia eiuſmodi parum diu, nec valenter coquẽda ſunt, quòd virtus eorum à coctione immodica reſoluitur. Talia ſunt, ſemina quatuor [frigida maiora,] adiantum album, epithymum, violæ, & flores [propè] reliqui.

*Coquenda parum.*

Contrario his modo affecta medicamẽta diu coquenda ſunt. Omnia enim craſſæ eſſentiæ cocta, fiunt clementiora: omne item medicamentũ, arte & legitimè coctũ, parte plurima eſt benignius. Sic omnia acria decocta, fiunt meliora (horum enim violentiam, ſi qua ineſt, coctio frãgit) niſi ſi qua horum virtutẽ habent aut imbecillã, aut ſuperficiariam. Quæ deniq; inter hæc duo extrema ſunt media, mediocrem quoq; decoctionem ſuſtinent. Purgantia autẽ humiditate multa, aut lubricando, vel nihil vel minimum coctio iuuat. Præter hæc coctio facultates medicamentorum diuerſas omnium optimè permiſcet, vt ex his omnibus vna reſultet, velut concreta, faciens actionem: quarũ ſi qua erit imbecillior, minus valenter coquenda eſt: vegetæ verò magis. Calorem enim coquentem temperabis proportione & natura, tum ſubſtantiæ, tum facultatis coquẽdorum medicamentorũ. Flammeus enim ac vehemens calor, medicamenti facultatem reſoluit.

*Coquenda multum.*

Aſſatio autẽ, in frixorio vel patella facta coctio, medicamenti virtutẽ nunc auget, vt aſſata ſcilla purgantior euadit: nũc minuit, vt pſylliũ per aſſationem humiditate lubrica ſpoliatum, minùs purgat.

*Aſſationis facultas.*

Alia quoq; multa fiunt aſſando meliora. Eſt quando medicamenti facultatẽ vnam aſſatio reprimit, & alteram vegetiorem reddit: vt myrobalani, rhabarbarum, aſſando virtutem purgatoriam remittunt, aſtrictoriã intendũt: ſunt enim ambo duplici hac facultate prædita. Sic balanus myrepſica, cùm ſit vomitoria ſimul & deiectoria, per aſſationem excoquitur humiditas eius excrementoſa & nitroſa, ad nauſeam ventriculum cogens: remanet autem virtus deiectoria.

*Meſues in ſimplicibus.*

*Lib. 6. ſimpli. Meſues in ſimplicibus.*

## *De lotione.*

LOtio medicamenta multis modis meliora reddit, nunc acrimoniam eorum ſuperficiariam auferẽdo (vt ex aqua

aut muccagine tragacanthi lotum ſemen vrticæ, guttur, & partes alias, quas permeat, adurere deſinit: ſal quoque naphthicus [id eſt, Sodomites] aqua cucurbitæ aut ſimili lotus, fit clementior:) nunc facultate eorum maligniorem auferendo, ſalubriorem verò relinquendo, (vt lapis Cyanus & Armenus moleſtè vomitoria, & deiectoria, per lotionem multam vomitoria eſſe deſinunt, tantùm clementer fiunt deiectoria & cancamum lotum clementius purgat, tamen obſtructiones vt illotum liberat: & aloë lota potẽtius roborat partes nutritorias minùs aluum ſubducit: non lota contrà:) nunc facultatem eorum valentiorem efficiendo, (vt aloë ex aqua aromatum lota, potentiùs roborat: ex decocto autem valenter purgantiũ, vt agarici, turbith, & ſimilium, ſi lauetur, purgantior euadit: lota denique ex aqua bdellij, aut tragacanthi, ora venarum ſic aperire, vt ſanguis inde effluat, deſinit:) nũc partes impuras auferendo. Quibus autem medicamentis virtus in ſuperficie eſt (vt intybo, cichorio agreſti, roſis, & ſimilibus) illa lotione diſſipatur: [ob id lauanda non ſunt,] cætera magis & minùs lauentur, quatenus ſcilicet eorum virtus ferre poteſt.

*Meſues in ſimpl. cap. de aloë.*

## *De infuſione.*

INfuſio quoque medicamenta efficit meliora, facultatem eorum nunc maleficam auferendo, (ſic granum gnidium & eſula aceto macerata, acrimoniam ſuperficiariam ſerrantem amittunt: & turbith lacti recens mulſo infuſum & ſiccatum ventrem turbare deſinit:) nunc bonam augendo (ſic turbith, ſucco cucumeris agreſtis maceratum, materiam craſſam à partibus remotis valentius educit: & hermodactylus aceto ſcillato aut ſcillæ ſucco, aut rhaphani infuſus, à iuncturis potenter trahit & agaricus oxymelite maceratus, fit purgantior:) nunc in liquorem cui infunduntur transferendo, (vt liquor cui infuſa ſit aloë, aloës virtutem adipiſcitur, & in aliis ſimiliter: quod multis de cauſis facimus: interdum vt medicamenti virtus ad partes remotas promptiùs penetret, vt cũ decoctum aromatum cui infuſa ſit aloë propinatur: interdum vt virtus illa mitior fiat, vt dum ſcammonium panno ligatum incoquitur ſyrupo vel ſapæ, vel alij ſucco: interdum vt facultas vna ſeparetur ab altera, vt rhabarbarũ, & myrobalani infuſa, virtutem deiectoriam liquori tranſmittunt, aſtrictoriam retinent) nunc nouam, vt lubricam impartiendo, ſic medulla



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0048-3
DFG

colocynthidos muccagine tragacanthi imbuta, ventriculi villis adhærere deſinit, citò permeat, nec ſedi, nec veſicæ nocet: ſic ſcammonium oleo violato infuſum, & ſimilia. Nec tamẽ medicamentorum omnium virtus ſola in eum liquorem cui infunduntur, tranſit: ſed quorundam, vt caſsiæ fiſtulæ, tamar Indorum, & ſimilium aliqua quoq; ſubſtantia.

### *De tritura.*

TRitura medicamentis admodum cõfert, multa quidem craſsis, vt ſcammonio craſſo: pauca verò tenuibus, & texturæ debilis, & virtute citò exhalabili præditis, vt ſcammonio Antiocheno: mediocris denique amborum mediis, quantoq́; medicamẽti eſſentia craſsior, tanto largiore tritura eget: quanto tenuior, tanto parciore. Confert autem medicamentis tritura, vt in vnum melius miſceãtur (quæ res theriacæ & aliis compoſitionibus eſt multũ vtilis & neceſſaria) vt aliquam facultatem nouam adipiſcantur (ſic Galenus cuminum læuiſsimè terendo effecit vreticum, quod priùs erat deiectorium. Nã purgatoria acria interdum tenuiſsimè puluerata promptiùs per ora vaſorum penetrant in partes vrinarias, & alias remotiores, per eaſq́ue vacuant) vt denique vis quædam malefica obtundatur. Colocynthidis enim medulla quantum tenuiſsimè fieri poteſt puluerata, innocenter purgat. Quòd ſi portiones quædam craſsiores ſenſuq́; perceptæ ſumantur, villis, ventriculi & ſpiris inteſtinorum adhærent, humoreq́; inibi reperto imbutæ tument, & partes dictas tumefaciunt ac vlcerant, vt inquit filius Serapionis. Fiat autem tritura omnis clemẽter & pro terendorum ſubſtantiæ ratione: Quæ enim eſt immodica, virtutem diſſoluit. Rhabarbarum verò contrà quàm dictum nuper ſcammonium habet, nam purius & grauius eſt melius, probeq́ue tritum, vegetius euadit: rarum verò & laxum impenſius pulueratum, vim purgatricem propè omnem amittit.

*In dioſpolitico lib. 4. ſanit. tuenda.*

*

# THEOREMA TERTIVM.

*

*Correctio ſymptωmatum à ſumpto purgante medicamento nondum vacuato excitatorum.*

SYMPTωMATIBVS formidandis, iiſdemque cauſis multorum morborum & ſenij & mortis acerbæ, à medicamẽto purgante orientibus, occurrendum eſt. Ea autẽ ſunt humorum prauorũ commotio citra vacuationem, vacuatio illegitima & moleſta, vacuatio denique immoderatiſsima & multò largior, quàm neceſsitas poſtulet. Quorum cauſa eſt incompetentia & vitium, vel ſumentis, vel medicamẽti, vel accidentium vtriq; ſuperuenientium. Quæ tria ſi cõmoderatè ſe habent, magni ſunt momenti ad corpus incolume ſeruandum. Vitio autem ſumentis purgatio malè procedit, quia is vel eſt ex eorum numero, quibus eſt interdictus medicamentorum vſus, vel materiam vacuandam non æquauit, nec obedientem naturæ coquendo reddidit, nec meatus, per quos facienda erat vacuatio, aperuit, & leues ac lubricos reddidit. Quæ præparamenta cùm præceſſerunt, reuera corpus ab impendente periculo ſecurum reddunt. Medicamentum autẽ improſperæ vacuationis eſt cauſa, quando eſt genere malignum, aut notas nõ habet omnes boni medicamenti, aut nec proportionem artificialem, cuius antè meminimus. Vitanda igitur tibi ſunt medicamenta quæ nec arte, nec ratione alia fieri meliora poſſunt: eligenda verò alia, obſeruatis conditionibus, & modis proportionum prædictis. Vitio deniq; accidentium ſuperuenientium vitioſa fit purgatio, ſi in victus ratione, per ſex res non naturales, tibi notas, æger deliquerit. Medicamentum autẽ humores prauos commouet, ſed nõ vacuat, aut tardius vacuat ob ipſius actionem remiſſam & debilem: vel ob materiam expelli contumacem, quæ commouetur quidem, ſed expulſioni reſiſtit, & latiùs in corpore ſpargitur & increſcit: vel ob imbecillam ſumentis virtutem, non potentem in medicamentum agere, quo fit vt nec medicamentum in virtutem & naturam agat, vel ob

flatus craſſos medicamentum leuantes, & in poros corporis impingentes (vnde febres putride, ſyncope, & mors feſtina) vel ob facultatis expultricis imbecillitatem: vel ob meatus, per quos vacuandum eſt, obſtructos aut conſtipatos. Quibus cauſis omnibus qua ratione optima proſpicias, accipe. Si ob naturæ imbecillitatem id contigit (quod ſenſu deprehendere potes: aut enim ex morbo reualeſcit homo, aut alia ſimili cauſa imbecillus eſt) & medicamentum lauando & lubricando eſt purgatorium, cibo naturam mox roborante, dato & potu aquæ minimum frigidæ: medicamenti actio adiuuatur. Si ob flatus, & malam humorum qualitatem (quod præcedentia flatuum ſigna, aut intemperiei cum humore æqualis vel inæqualis declarant) clyſteribus aut vomitu vacuandum eſt: deinde flatus diſſoluendi aut mala qualitas contrario eſt alteranda. Si facultas expultrix eſt imbecilla, aut medicamenti actio debilis aut remiſſa, data aqua modicè frigida, & hora pòſt adſtringente aliquo, vt cydonio, pyro, vel ſimili: medicamentum potenter ad inferiora detruditur. Ob inteſtinorum obſtructionem, clyſteribus affectui conuenientibus medendum eſt, & aliis conſtipatam aluum expedientibus. Quibus auxiliis, ſi purgatio non procedat, nulla inde noxa inſignis metuenda eſt. Si autem medicamentum purgans comprimendo non vacuet, aquam frigidam priorum nonnulli propinandam cenſent, quòd adaucta per aquam grauitate, citius lubricet ac deſcendat medicamentum. Quod verum eſt, ſi libera habent inteſtina: ſi verò obſtructa ſint, aut in ſuis anfractibus arctata, augetur per aquam frigidam anguſtia. Id quod cùm intellexeris potabis tepidam, quòd hæc præterquàm quòd anguſtiam non auget, lubricare cogit medicamentum huiuſmodi. Non eſt igitur id auxilium abſolutè, & ſine limitatione ſcribendum. Omne enim medicamentũ comprimendo purgans niſi vacuet, inteſtina præſertim tenuia & alios meatus exiles lædit. Quapropter vacuãdum eſt prædictis tum lubricantibus: tum ad inferiora trahentibus. Si autem medicamentum ſoluendo purgatorium, & ob id fugiendũ, non vacuarit, quàm potes celerrimè à corpore expellatur vel vomitu, vel potiùs deiectione, ad quam clyſteribus etiã potenter attrahentibus ipſum reuelles, ſi ad ſuperiora moueatur: tale enim niſi citò vacuetur, anguſtiam, æſtuationẽ, conuulſoriũ quendam motum, in quo partes extenduntur & retrahuntur, totius

*Vt Galenus ſe feciſſe narrat in iuuene, qui ſcammoniũ ſumpſerat. lib. 2. alimẽtorum paulò antè cydonia.*

*Hæc de purgante per lubricationem medicamento.*

cor

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0051-8
DFG

corporis moleſtiam violentam, cordis morſum, præfocationē in quibuſdam, ſcotωma, capitis & oculorum dolorem tantum: vt hi foras elidi videantur. Præter dicta auxilia horum medicamentorum malignitatem frequenter obtundit, & acrimoniam frangit, Rufo autore, potus aquæ vehementer frigidæ, & in eadem ſeſsio, & quæcunq; eius vehementiam, acrimoniā, inflammationem, furioſum impetum frāgunt: adhæc theriacæ, & cætera partim paulò antè dicta, partim dicenda. Si autē medicamentum benignum eſt, tamē non vacuarit, ſed anguſtiam, vētris tormina, æſtuationem corporis, capitis dolorem, vertiginem, ſcotωma ſeu oculorum obtenebrationem, pandiculationes, oſcitationes excitet, citò expellatur, ſumptis primū aſtringentibus, ipſum deturbaturis, vt cydoniis, maſtiche, & ſimilibus: deinde balanis & clyſteribus ad inferiora trahētibus. Plurima enim talia medicamentum infrà valenter compellunt. Sed in clyſteribus pro vario affectu compoſitis, ſpes omnia hæc deturbandi, & à magnis periculis vindicandi magna eſt. Quòd ſi hæc non profuerint, & ſymptomata praua multiplicentur, & materia tenuata ſeorſum feratur, ſecanda neceſſariò vena eſt, præſertim brachij interna, deinde vena malleoli: phlebotome enim ad hæc eſt efficax. Vomitus autē tunc prouocandus vel intendendus, quando à medicamento ſtomachus per os ventriculi (quod etiam cor nominant) mordetur, & nauſeam aut ſingultum ſuffocatorium, excitat medicamentum genere ſtrangulatorium: non neglectis etiā tum clyſteribus, præſertim ſi vētrem aut hypochondria angit medicamentum, & torminibus ac æſtuatione fatigat.

*Aſtringentia ſi poſt alia ſumantur ea deturbāt Gal. lib. 1. & 2. Aliment. & libr. 6. Sanit. tuendæ.*

## *De medicamento illegitimè & moleſtè vacuante.*

Medicamentum illegitimè & moleſtè purgat, quod vacuat quidem, ſed non quos humores vacuari oportuit: idque prætereà facit cum ſubuerſione, vomitu, torminibus, æſtuationibus. Si autem vacuat corruptum quidem & impurum, non tamē quem volebamus humorem his ipſe alio purgante ſumpto, eſt vacuandus: alioqui latiùs in corpore ſpargetur & increſcet, ob agitationem & commotionē in eo factam, & aliarum materiarum affluentium, in ipſum conuerſionem: quomodo in lacunam dum diuerſa tum pura, tum impura afflu

*Aph. 9. li. 2.*

*Vt alexiteria iuuat alterādo & vacuando. lib. 5. ſimpl.*

affluunt, eam ſubuertunt, & totam tandem impuram reddũt. Quòd ſi non corruptum humorem, ſed benignum & neceſſarium vacuat medicamentum, æger, æſtuat, vexatur, viribus immodicè deiectis languet, natura expulſioni repugnante, (quorum nullum adeſt, vbi excrementa ſola vacuantur) proinde mox eius medicamenti vires frange, ipſumque à corpore lubricando deturba: quæ duo aqua calida in horas pota præſtat, aliaq; idem potentia plenius trademus. Si autem vomitũ & animæ ſubuerſionem medicamentum excitat, vomitoriũ, vel natura, vel quia eſt abominabile, aut à flatibus leuatur, aut ob ſtomachi imbecillitatem, aut ſtercus ſiccius, aut inteſtinorum anguſtiam: ſi ob hæc poſtrema clyſtere idoneo ſtercus molliatur, & inteſtinorum ab his obſtructio liberetur: qui ſi non ſufficit, vomitu expellatur medicamentum. Quòd ſi ſumptum eſt abominabile medicamẽtum, aut ſtomachus eſt imbecillus, ob idq; vomitus timeatur, à corporis & animi motibus, quantum potes, abſtine, donec in medicamentum ipſum natura vndique agat, aliter in naturam nõ acturum: odoretq; æger flores, & alias plantarum partes ſuauiter olentes, mentham, ſampſuchum, citri folia & fructum, apium, abſinthium, cydonia, macianum, roſas, bolum aqua roſarũ & aceto aſperſum, lutum quo panni abluuntur, roſis recentibus, & aqua roſarum nutritum. Extrema quoque fricuiſſe, & vinculis dolorificis aſtrinxiſſe, manus item ac pedes aquæ calenti multum mordenti impoſuiſſe, iuuat. Si autem medicamentum eſt ſtypticum, mordere [aliquid prædictorum] quaſi lambendo bibere, faciem aqua roſata, vel alia redolente leuiter aſpergere, gaudere, delitias curare, præſertim nauſea incipiente, vomitũ prohibet. Vbi verò anima eſt ſedata, ambulet, ac paululũ moueatur, quò promptius medicamentum deſcendat, vt docuit Hippocrates. Tormina autem medicamentum excitat, quod ſtomachum & partes, quas permeat, pungendo lædit, vel intemperie ſua afficit, aut quod immodicè trahit humorem tam benignum, quàm malignum. Ob id vim eius citò obtũdimus, ipſumq; citò à corpore expellimus, vt à nobis partim dictum eſt, partim mox dicetur.

*Cauſæ medicamẽtũ ex deiectorio vomitorium facientes priùs dictæ.*

*Apho. 14. & 15. lib. 4.*

*Remedia vomitus.*

*Abſinthium Ponticũ ſeu Romanum intellige ex Gale. lib. 6. ſimp.*

*Aphor. duobus prædictis.*

## *De medicamento immodicè vacuante.*

*Gale. libr. 3. ſim. cap. 26. & 27.*

HYpercatharſis, hoc eſt, à medicamento purgante vacuatio immodica, fit ratione ſumentis, medicamenti, acci-

dentium vtrique ſuperuenientium. Ratione ſumentis, quòd is vel excrementis ad fluendum paratiſsimis redundet, vel venarum facultate retentrice ſit imbecilla, vel orificiis earum amplioribus, vel ex iis eſt, quibus purgatio eſt interdicta, quos in libro de pharmacia declarauimus. Ratione verò medicamenti, quoniam id aut qualitatem habet alienam & deleteriã, venenoſamque, aut largiùs ſumptum eſt, aut proportione ſui ventriculi, & inteſtinorum villis adhæret, aut venarum ora mordet, pungit, aperit, aut cor intemperatius reddit, quas hypercatharſeωs cauſas ex his quæ præceſſerunt, diſcernito. Ratione denique illorum quæ vtrique ſuperueniunt: auſtralis enim conſtitutio, vt inquit Gale. ſi vincat, aperit, rarefacit, humores ad fluendum idoneos reddit: aquilonia quoque, ſi præpoleat, fluxiones etiam comprimendo & exprimendo excitat: quapropter per hos flatus, qui promptè tunc fluxionibus tentantur, purgandi non veniunt. Potus quoque largior aquæ frigidæ, ac errores alii quidem in ſumendis, admouendis, educendis, faciendis, hypercatharſim * promouent. Huic immodicæ vacuationi ne vires proſternat, reſiſtemus, per auxilia dictis fluxus cauſis (quas præcedentia declarant) contraria: qualia ſunt: quæ medicamenti virtutem frangunt, obtundunt, incraſſant, compingunt, motu moleſto exuunt, expellunt vomitu, oppoſito ſcilicet motu fluxui ventris: adhæc quæ retentricem vim venarum, & orificiorum laxiorum & inteſtinorum roborant cogendo & conſtringendo: quæ denique cor ipſum roborant, & animam recreant, exhilarantq́;: his enim omnibus tota hypercatharſeωs curatio perficitur.

*Aph.5. li.3.*

** Hypercatharſeωs remedia cauſis ipſius cõtraria.*

## *Canon primus.*

SI igitur fiat ob medicamenti actionem immodicam, frangenda virtus eius eſt, ipſumq́; citò à corpore expellendum per lauantia, vt aquam calidam, aut aquam hordei, aut muccaginem ſeminum pſyllij & cydoniorum: vel tergentia, vt ſaccharum rubrum, mel decoctum vuarum paſſarum, hydromel, & ſimilia: vel comprimentia, vt cydonia, ſylueſtria poma (maciana vocat) pyra, maſtichen, myrobalanos, & ſimilia. Eadem ratione cum medicamentum aliquod violentum, præſertim expulſu difficile, deturbãdum eſt. Rufus primùm propinat muccaginem propoſito affectui idoneam, cum aqua tepida, & pauco oleo amygdalino: horis poſteà duabus aliquid com

*Remedium triplex medicamẽtum ex corpore pellit.*

comprimens exhibet: ſic medicamenti virtutem totam à corpore expellit, vt nullum ipſius veſtigium ſuperſit. Addit Galenus, aquam calidam lauare expurgare, medicamentumq; purgatorium etiam ſi alicui parti hæſerit, deturbare: frigidam verò, quòd villis viſcerum adhæret, magis impingere. Serum denique lactis caprini cum melle, & pauco ſale medicamentum probè expellit, vt Ioannitius ait, vt nullum eius maneat veſtigium.

*Libr. 3. rat. vict. acutorum.*

*Canon ſecundus.*

INteſtinorum verò ac venarum, & in ipſis orificiorum atque etiam corporis pororum vim retentricem firmamus, ſumptis modo quo poteris optimo, vel etiam clyſtere ſi opus eſt, iniectis rebus odoratis ac conſtringentibus, cogentibus, contrahentibus. Quæ propè omnia maſtiche præſtabit: cogendo enim & contrahẽdo roborat. Si igitur maſtichis drachmæ duæ aut tres cum ſucco cydoniorum bibantur, medicamentum reliquum expellent comprimendo, ac tandem aluum adſtringent, vt Hamech viſum eſt. Adhæc ſtomachum & ventrem reliquum, oleo roſato, quàm pati poteſt calidiſsimo, illeuiſſe, pulueremque maſtiches, & gallæ, aut roſarum, superſparſiſſe, in id eſt mirificum. Idem, Hamech autore, præſtabit tragacantha aſſata à drach. tribus, ad drach. quatuor, ex lacte dulci, aut acido, ſi affectus id exigat, cocta, & pota. Adhæc ſemen naſturtij toſtum, à drach. duabus vſque ad aureos duos, cum ſucco cydoniorum aut myrtorum, coquendo impinguatum, in id eſt omnium valentiſsimum, præſertim ſi ſemen non ſit tritum: nam terendo lentorem amittit. Coriandro autẽ tibi eſt vtẽdum, cùm incraſſare, & compingere materiam ſtudes: ſphragide verò Lemnia, & ſanguine draconis, cùm vlcus ſuſpicaris: ſpodio autem, & adipibus, & muccagine ſeminis pſyllij, cùm pungens, & mordax, & excorians dolor eſt ſedandus, & reliquum medicamentum expellendum. Acacia verò, & ſanguine draconis, & ſuccino, cùm ſanguinis deiectio ſiſtenda eſt. Succo item barbæ hircinæ, quando venarum, pororum, orificiorum amplitudo laxior materias inteſtinis permittit. Narcoticis denique, cùm eſt ſtupefaciendum, ſomnus conciliandus, materiæ incraſſandæ. Id quod poſtremum eſt tentandũ, ac in deploratis, & magnis, & periculoſis cauſis, vbi cætera nõ ſatis contulerunt. Porrò inter cõſtipantia, in vnũ cogentia,

roborantia, ſiſtentia, primas tenent maſtiche, roſa, ſemen roſarum, xylaloë cruda, balauſtium, acacia, ſuccus barbæ hircinæ, galla, gummi, lutum Lemnium, ſpodium, acini granatorum, rhus, ammi, ſemen portulacæ & arnogloſſæ, fructus tamaricis, & coriandri folia, & grana myrti, cyminum, vel aniſum aceto infuſum & torrefactum, cortex thuris, coagulum leporis, ſanguis draconis, ſemen naſturtij aſſatum, gallia, fructus rubi, & ſimilia. Ex compoſitis verò in idem ſymptωma vtenda ſunt ſaccharum roſatum, cum maſtiche, & gallia, & ex cydoniis malis compoſitiones, & alia id genus. Inter quæ noſtrū electarium Diacyminum eligimus ad cohibendum alui fluorem, medicamentum purgatorium in corpore frigido ſequentem. Nam viſcera calfaciendo roborat, flatus diſsipat, hæmorrhoidum quoque fluorem & flatus compeſcit. Eſt autem eiuſmodi. Ligni aloës, ſpicæ nardi, galliæ moſchatæ, cyperi, calami aromatici, ana drach. duas: cymini Carmani aceto horis 24. macerati & torrefacti, drachm. tres: ſeminis porri torrefacti, drach. vnam & dimidiam: myrobalanorū emblicarum, ſucco cydonij maceratarum & toſtarum drach. duas, & dimidiam: ſeminis naſturtij toſti drach. ſex: ſeminis vuarum paſſarū drachm. quinque: baccarum myrti tenuiſsimè tritarum, drachm. ſexdecim: balauſtij, concharum vſtarum, thuris fructus tamaricis, ana drach. duas & ſemiſſem, ammeos drach. tres: tere omnia tenuiſsimè: & iterum vino odoro frangantur, & ſiccentur: deinde frangantur aqua cydoniorum, aut aqua baccarum myrti, & hypociſthidos, & ſiccentur, vbi erunt probè perſiccata in vaſe vitrato, iterum tere, & miua excipe. Dantur drach. tres cum ſyrupo cydoniorum, aut myrtino.

*Cōpoſita in hypercatharſin corporis frigidi.*

*Electarium Diacyminū.*

*Diacyminū.*

## *Trochiſci ad fluxum.*

IN eundem fluxum, præſertim diuturnum, efficaciſsimi quoque ſunt hi trochiſci noſtri. Balauſtiorum, corticum glandium aceto maceratorum & toſtorum, rhois, baccarum myrti, hypociſthidos ana drac. duas, cymini Carmani, gallarū aceto maceratarum & toſtarum, capitum granatorum, fructus tamaricis, macis, xylaloës, galliæ aromaticæ, maſtiches, ſpicæ, ana drach. vnam ſeminis oxalidis, gummi, boli armenicæ, ſeminum vuæ, paſſerum toſtorum, ana drach. vnam & dimidiam: ſe. coriandri aceto macerati & toſti, drachm. duas, cum vino pontico: finge trochiſcos ponderis drachm. vnius,

quo

quorum vnus datur cum ſyrupo cydoniorum,vel aliquo ſucco ſtyptico.

*Electarium.*

SI verò à medicamento purgatorio aluus immodicè fluat corpore calidiore,ſumat hoc electarium.Baccharum myrti drach.duodecim,roſarum,ſpodij,rhu,ſantali albi,luthei,rubri balauſtij,gummi,ana drach.vnā & dimidiam.granorum granati acidi aſſatorum drach.ſeptem:coriandri aceto macerati & aſſati drach. quatuor, ſeminis roſarum, oxalidis, plantaginis ana drach. vnam:omnia hæc probè trita frange omphacio ſolo, vel ſucco mirti, & aceto ſimul, & ſiccata excipe miua,facta ex ſucco cydoniorum & aceto.Dantur drach.tres cum ſyru.cydoniorum acidorum.Ad affectum eundem,etiāſi inteſtinorum vlceratio adſit, mirè valent hi trochiſci, à nobis compoſiti.Spodij drach.ſeptem ſeminis roſarum, & roſarum ipſarū,acatiæ, balauſtij, ſanguinis draconis,ana drach.duas & ſemiſſem:ſeminis oxalidis drach.vnā & ſemiſſem:oxyacāthæ, carnis rhu,ſeminis plantaginis & portulacæ,aſſati, ana drach. vnam & ſextam drach.vnius,gummi aſſati drach.vnam, fiāt trochiſci ponderis drach.ſemiſsis.Datur cum decocto hordei excorticati.Ad eandem hypercatharſin cum ventriculi hepatis & aliorum viſcerum imbecillitate, epithema hoc ſalubre ſum expertus.Acaciæ,hypociſthidos,rhu,gallæ,ladani,calami aromatici, roſarum & ſeminis ipſarum, ſantali albi & rubri, galliæ moſchatæ,ramic, [id eſt, compoſitionis ex gallia moſchata, & paſsis vuis] maſtiches, xylaloës,ſpicæ, thuris, coſti, myrrhæ,cyperi,abſinthij,ana drach.duas:probè omnia terantur.Tunc tortellorum de ſeni drach.tres,dactylos ſiccos duodecim numero,gummi aſsi drach.quinq;.†myuæ glutinoſæ vncias tres:horis 24.macera:aquæ roſatæ,vini auſteri, ſucci roſarum,ſucci foliorum myrti, & foliorum rhamni ana, vnc. vna & dimidia:calfacta poſt coque igne lento, ad mellis ſpiſſitudinem: tunc iniectis pulueribus tere in mortario, donec glutinoſum euadat,extende, linteo,aut alutæ,& ſuffi xylaloë & ventri toti impone.Alterum recipit,roſarum,& ſeminis earum,pulpæ rhois,ſantali albi & rubri,ſpodij, ſanguinis draconis,ſuccini,balauſtij, gallæ,acaciæ,hypociſthidos, galliæ,moſchatæ,corticū mādragoræ,capitum granatorum,ana drach. tres:caphuræ drach.vnā,& tertiam drach.vnius: puluera tenuiter,tunc acccipe ſucci extremitatum vitis,vncias duas:ompha-

*In hypercathaſsi corporis calidi compoſita.*

*Ex fructu rhu, recenti pulpa ſeparanda.*

*Cortex hordei deterſorius eſt, ob id vacuationē promoueret. Epithema, id eſt, ſcutum ſeu emplaſtrū partis alicuius.*

*Ramic, in trochiſcis dicetur.*

*Eſt panis liquore idoneo, vt aqua roſarū, merſus & aliquoties aſſatus vt biſcoctus.*

*†Hæc Myua cydoniorū longa coctione lenteſcit.*

cij vnc.ſemiſſem:ſucci extremitatum myrti & aceti ana vnciam vnam:quibus infunde horis 24.hordei excorticati vnc. duas,gummi vnc.vnam, granorum myrti tenuiſsimè tritorũ vncias tres: quibus adde miuæ acetatæ vnc.tres: coque igni lento ad viſcoſam ſpiſsitudinem,tunc in mortario ſpecies tundendo permiſtæ intendantur linteo,'& cum xylaloë ſuffiatur, & ventri toti imponatur. Eſt enim ſanum hoc & expertum epithema. Clyſteribus quoq; ſi affectus poſtulat, vtendũ idoneis, qualis fuerit optimus ex butyri drac.triginta:ſanguinis draconis drac.tribus, aut pluribus, aut paucioribus,pro neceſsitate.

*Canon tertius.*

Reuellimus item medicamentum ad loca ſedi immodicè fluenti oppoſita, vt cutim, balneo & frictione ſudorem prouocantes: vt cœla, vinculis ipſorum dolorificis, & cucurbitulis: vt veſicam per vretica,& per os vomitoriũ dantes. Præſtantiſsima autem inter hæc ſunt frictio & balneum, præſertim ex aqua dulci, cui chamæmeliũ, abſinthium, ſampſuchus, folia citri & ſimilia incocta, efficacius ipſum reddiderũt, quia poros dilatant,& corpus roborãt. Ne autẽ cum imperitis quibuſdam adſtringentia incoquas, corpore enim denſato materiæ & vapores intrò compelluntur,quæ res fluorẽ auget. Præcipuo igitur ſtudio poros rarefac, & foràs quibus potes modis attrahe, vt per cutim materia, & vapores acres expirent: id quod ſudor in balneo,vel aquæ calentis vapore,præſtabit. Frictiones autem fiant primùm lenes,pòſt etiam valentiores, ne tamẽ ægrum lædant:identidemq; repetantur, donec multus reddatur ſudor,idemq; frequentiſsi. tergendus eſt: hoc enim modo promptius effluit, cum in poris diu relictus cõcreſcat,& alterum vel ſudorem vel vaporem exitu prohibeat. Fricuiſſe etiam extrema multùm iuuat. At verò vulgus medicinæ imperitũ,omnes à medicamẽto indiſcriminatim lauat, ignorans balneũ foràs trahere(vt Galenus ait)& materiæ reliquias virtute medicamenti purgantis ad inteſtina omninò repentes, in oppoſitũ mouere,ac facultate ſua ad totũ corporis habitũ reuocare: tunc quidem facilè erit iuuare,vt promptiùs reperet, vel ſaltem exolueretur:nunc autem difficile:Prætereà dãnandum eſt balneum,licet ipſius virtute attractio materiæ ad exteriora,eaque ignobilia ſperatur: ipſa enim tranſmittitur ab ignobilibus partibus inteſtinis, ad ignobilem cutim, ſed per

*Non fiant duræ, quia denſant. ſed multa potius quæ digerunt li.2. & 3. ſanitat.*

*Apho.lib.4. ſub cane.*

partes nobiles,hepar & venas, cùm præſertim natura melius vacuet propinqua,maximè ſi viæ adſint conuenientes. Materia enim vacuanda eſt per partem, ad quam magis declinat, præcipuè ſi ea erit idonea, inquit Hippocrates. *Lib.1. apho. 21.* Errant igitur omnes ſine diſcrimine,poſt ſumptum medicamentum lauantes,obſtructionesq́; & cutis vitia excitant. Reuera autem balneum nequaquam ſalubre eſt,poſt medicamentum purgatorium,niſi cùm immodicè vacuat:tunc enim auertendo materiam fluorem ſiſtit. Poſtquam verò in balneo diu ſudatum eſt adſtringentibus vires ſunt firmandæ, ne laxata purgando viſcera,materias recipiant, & vt materiæ ad oppoſitum conuertãtur. Si verò hæc non contulerint,corpus eius totum pannis lineis aqua infuſis tam diu in balneo vndique percutiat,donec ipſa cutis rubeat & infletur,tunc fricetur vt ſudet. Sedere autem in balneo,ſuper calidos lateres,aut lapides leues raros: aliis verò hypochondria,ventrem,lumbos calfacere,in id multùm confert.

Extremorum item ligaturæ per inſtitas dolorificæ, & frictiones materiam per aluum fluentem in contrarium auertunt præſertim ſi ab alis & inguinibus cœptæ deſcendat. Idem præſtant diuretica,hoc eſt,vrinam mouentia. Mictus enim noctu plurimus,paruam ſignificat deiectionem, vt inquit Hippocra. *Aph.83. lib.4.* quoniam vrina largior, vt etiam ſudor, multam deiectionem ſiſtit, materia ab inteſtinis, & ſima hepatis,ad renes vel poros partium retracta, & ob ſtercus ſiccum, & ad excretionem pigrum relinquente, vt Humain viſum eſt. *Is fuit Ioãnitius Aph. expoſitor.* Vomitum quoque in hoc affectu prouocare in contrarium reuellit [vt à longo alui profluuio habito, ſpontinus vomitus ſuperueniens morbum ſoluit.] *Aph.15. lib. ſexto.* Quomodo enim fluor alui vomitum, aliquando,ſic vomitus fluorem alui curat,autore Hippoc. quando ſcilicet materia illorum cauſa ad oppoſitum trahitur, vt ait Humain. Auertunt etiam alui profluuium cucurbitulæ, hypochondriis,lateribus,ventriculo,lumbis,affixæ.

*Cano quartus.*

MOleſtam autem humorũ in corpore agitationem & fluctuationem quiete, & ſomno ſedamus:cum enim vacuationem ab elleboro immodicam ſiſtere voles,ſomnum impera & quietẽ,inquit Hippoc. *Aph.15.li.4* corporis ſcilicet ac animi, vt Heben Meſues interpretatur, idq́; ſenſuũ obiectis celebribus, & iucundis homini adlubitis. Somnus etiã inducendus eſt animũ

demulcentibus melodiis,& cantionibus, & muſicis omnibus inſtrumentis:ad hæc remediis ſomnificis,& reliquis delirium ſedantibus.Somnus enim profundior,& quies omnes humorum agitationes maximè ſedat, vt contrà indicat nauigatio turbari motione corpus,vt inquit Hippoc.Præterea in hoc affectu à cibo & potu omnino abſtinendus homo eſt,niſi ſyncope,hoc eſt,virium præceps lapſus,timeatur:hi enim humorum agitationem augent,non remittunt.

*Aph.14. lib.4.*

### *Canon quintus.*

SCopus tibi ſit præcipuus, animũ exhilarare, corq́; roborare,ſumendis,admouendis,educendis,faciendis.Hominem igitur in domo temperata compone,non autẽ frigida(quoniam frigus humores intrò compellit,quos foras ad cutim traxiſſe fuerit ſalubrius)neq; item calida, quòd calor corpora reſoluendo infirmat vires, ac deiicit.Cibus autem & potus, omnis eſt tibi deligendus, qui animum recreet , ac ipſum cor roboret,de quo poſteà pleniùs dicturi ſumus.

### *Canon ſextus.*

HVmores verò congelare,& narcoticis vti perfugium eſt vltimum:tuncq́; ſolum, quando prædicta omnia nihil contulerunt,& curatio propè deplorata eſt: narcotica autem fortia tibi vtenda ſunt,qualia antidotus theriace & Philonis, & ſimiles:at verò grauiſsimè errãt,qui horum affectuum initio narcoticis vtuntur: hæc enim verè non curant, ſed velut cõgelatã materiã intus cohibent,quæ non multò pòſt impetu maiore ruit,quàm prius,relictis in corpore per hæc congelationis,& mortis quibuſdam rudimentis.Vera autem curatio fuerit cauſæ fluorẽ excitantis ablatio,partibus intereà & facultatibus nos gubernãtibus,in vnũ reductis,& roboratis,vti diximus.Vbi verò neceſsitas inuitat, præſertim quando prædicta omnia nõ cõtulerũt,narcoticis vti cogimur,priùs tamẽ caſtigatis ſecundũ modos & conditiones,quibus ipſorũ nocumenta emendantur,eaq́; quã plurima:vitæ enim ſunt omnino cõtraria(congelant nanq;,& ſtupefaciũt, & mortificant)præcipuè ſi ſimplicia ſint,& eò magis ſi ſint recentia.His autem narcoticorum noxis,ars tribus remediorum miſtis generibus præcauet,& horum actiones tutas reddit.Primo loco miſcentur, quæ narcoticorum congelationẽ reſoluunt, & auferunt, vt caſtorium,piper,crocus,hæc enim ſunt velut theriaca narco-

tico

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0060-8
DFG

ticorum: piper quidem & caſtorium reſoluendo, & diſsipādo, crocus autem coquendo, & narcotici vim cohibendo. Secunda miſcētur, quæ facultates noſtrum corpus diſpenſantes firmāt, & ſpiritus inſtaurant, vt ſpica, doronicum, zedoaria, & alia tum cardiaca, tum ſtomachica, vitæ, ſeu dictis facultatibus commodantia. Tertia miſcentur narcoticis, quæ materias de parte in partem fluentes agitatasque ſiſtunt, & cohibent, vt myrrha, thus, gummi iuniperi, & ſimilia. His enim narcoticorum malignitas reprimitur. Verumtamen ſi narcoticis abſtinere potes, præſtantius quidem fuerit: ſin vti cogaris, potui ne da, ſed emplaſtris adhibe, aut ſi per hæc parum proficitur, balanis aut clyſteribus. Quòd ſi potui dare cogeris, cum præmeditatione & cautè dabis idque antiquatum potius, quale ſcilicet minùs eſt noxium, virtute narcotici, coctione & rerū aliarum miſtione, cocta & fracta. Veſpere autem dormituris tempeſtiuè datur, quia ſomnum conciliat agitationes ſedantem. Dant item nonnulli manè, preſertim, quando ægrum inſomnia non torquet, tuncque minùs crebram deſurgendi neceſsitatem, morſum excrementorum obtudendo, faciunt. Sed narcoticorum vſus eſt fugiendus mox à cibo, & in plenis corporibus aut impuris: purgatis autē eſt tutior. Caue itē ea dare diebus ſimul multis, ſed tēpus interpone, quo roborātia dabis, quæ vitæ ſeruent theſaurū. Adde quòd narcotica, oculis quoque & ſenſoriis aliis nocent, niſi horum noxam ſtudioſè vites, vt dando tam paruam quantitatem, quæ viribus noſtris non officiat. Pauco enim & ſæpe quàm multo ſemel vti, præſtat. Quod autem ad dolorum inſultus attinet, ante hos norcotica adhibere eſt ſatius: quanquàm interdum in ipſa commotione violenta, vt colico dolore vehementi, exhibere oporteat quod ſignificauit Galenus, dum colico dolori multum vehementi, interdum neceſſariam magis eſſe dicit, per ſtupefacientia falſam curationem, præſertim cùm magna eſt doloris intentio, quàm veram, ne vires interim reſoluātur, & collabātur. Hæc verò narcotica fuerint vſu tutiora, primùm quod ſcripſit Iſraëlita valenter adſtringēs, ob id ſalubre ad fluorem alui, à medicamento vel alia cauſa excitatum: recipit thuris drach. vnam: coaguli leporis drach. duas: opij drach. vnam: gallarum drach. tres: fiant ex eis trochiſci drachmæ vnius. Datur autem vnus potui. Catapotia quoq; hæc filij Zezar, ad alui fluorem & fluxiones ad viſcera vel à viſceribus, recipiunt bdellij, gummi

iuniperi, opij, thuris minuti, myrrhæ, croci, ana: fac catapotia ciceris magnitudine, da veſpere à tribus ad quinque. Noſtri prætereà trochiſci ſunt efficaces ad immodicum alui fluorem à medicamento purgante excitatum, vel alia cauſa & ad choleram morbum. Nam & vomitum à cauſa pręſertim frigida ſtringunt, & facultates corpus gubernantes roborant, & ſomnum conciliant: recipiunt verò cyperi, thuris minuti, ameos, gallæ, croci, gallıæ moſchatæ, caryophyllorum, balauſtij, chamæpityos, malicorij, myrrhę, ſpicæ, ana drac. duas hyoſcyami, opij, ana drach. vnam, & dimidiam: fac trochiſcos aurei vnius: datur vnus. Sunt & alij noſtri trochiſci in præſentem ſcopum efficaciſsimi, hoc eſt, ad ſtupefaciendum, & omnē alui fluorem & vomitum à cauſa calida. Recipiunt ſpodij, ſeminis roſæ acaciæ, hypociſthidos, balauſtij, ſanguinis draconis, gallæ, croci, ana drach. duas: boli drachmam vnam & dimidiam: opii, hyoſcyami, ana drachmam vnam: fac trochiſchos drachmæ vnius: datur vnus cum aqua roſarum.

# THEOREMA
## QVARTVM.

*

QVARTVS nobis ſcopus ſupereſt, correctio ſcilicet noxarum in corpore à medicamento poſt purgationem relictarum, capitibus tredecim abſoluenda.

### *Curatio febrium purgationi ſuperuenientium.*

CAPVT I.

DE morborũ purgationi immodicæ ſuccedentium curatione agamus, primumq; de febribus. Has autem medicamentũ purgans excitat, vel quòd ipſum immodicè calidũ &
1 acre intemperiem calidã ſiccam in corpore relinquat, vel quod
2 materiam commouit, non expulit, hæc autem velut cõculcata putreſcit, & febrem excitat vel quòd ſumpto valenti medi-
3 camento purgante, motus vehemens corporis aut animi ſu-
4 peruenit: vel quia frigoris occurſu pori ſunt denſati, qui vaporē
5 tranſpiratione prohibuerũt: vel quia ſol humores iã motos in-
6 cendit: vel quia poſt medicamentum purgans homo cibũ celerauit, quo factum eſt, vt medicamenti aliquid cũ alimēto in venas penetrarit, & fluxũ valentē concitauit, aut materiã cõ-

culcauit,& ob id putredini parauit:vel quia quæ materiã coquere & expulſioni parare debebãt,antè nõ ſunt ſumpta. Quapropter medicamentũ purgans,dũ crudã materiam trahit,interdũ naturã diſſoluit,nec vacuat humores, ſed conculcat & putredini parat. Atq;, vt ſummatim dicã,error omnis in victus ratione febres has excitare poteſt. Has autẽ febriũ cauſas præceſiſſe cũ certò intellexerimus, abigere per cõtraria, ſi adhuc perſeuerant,oportet:niſi febris magnitudo curãdi ordinẽ interpellet. Interdum enim cauſæ febriũ gignentis maior eſt habenda ratio:interdũ febris,præſertim cùm malignior eſt. Quę duo tibi diligẽter ſunt diſcernẽda. Quòd ſi cauſa febris eſt frigus,poros dẽſans,adhibe quæ diximus poros aperire, & vapores tranſpirabiles reddere:quas ad res ſudorem prouocaſſe eſt imprimis ſalubre. Si autẽ vel ſolis æſtus, vel medicamẽti calor vehemens & acer,febrim excitat, calorem hunc extingue refrigerantibus,& acrimoniam obtũde remediis poſt dicẽdis. Si prætereà materia vacuanda tãtùm eſt,cõmota & inde cõculcata putret,æquetur,& expulſioni parata vacuetur. Si à motu corporis aut animi poſt medicamentum febris eſt,cura vt diariam ab his cauſis natam. Si à feſtina comeſtione ſequuta eſt febris à cibis abſtinẽdo curatur. Si prætereà febris eſt multũ ardens,calorẽ flammeũ extinguentibus cura, aërẽ appara,cibũ, potum,vnguenta,emplaſtra cordis,& hepatis frigida ſuffice, & odoramenta frigida,& medicamentã cardiaca frigida. Poſtremò balneis temperatis corpus humecta & vtere reliquis omnibus,quæ cõtra febrium ardorem à peritis ſcripta ſunt. Si autem pigra febris eſt,interdum eius cauſa æquãda,expulſioni paranda, vacuãda:eſt quando febris maius eſt momentum.

*Curatio ſtatim ſe exhibet poſt effectricis cauſæ cognitionem, libro 7. meth.*

## *Cephalalgia poſt purgationem.*

### CAP. II.

DOlor capitis à purgatione fit,vaporibus in caput ſublatis,à medicamento purgante:præſertim violento,aut imperfectè vacuante,aut materiã mouente quidem in capite,ſed non educentè:aut à cauſa aliqua externa ſuperueniente,vt capitis calore,frigore, & ſimilibus. Eius autem doloris curatio eſt quoque in promptu, cauſa ipſius cognita. Si enim à vapore eſt ſurſum aſcendente, ad contraria is reuellitur dictis prius remediis. Si verò iam ſit elatus, idemque calidus, humeralem venam incidimus. Si autem frigidus eſt, curandus quomodo aliĩ dolores à cauſa frigida. Ad id autem ſecta malleoli vena reme

me

medium eſt præſtantiſsimum. Si denique craſſus eſt vapor & frigidus, curatur remediis morbo conuenientibus, tibi non ignotis. Verùm ſi materia eſt mota, tandem vbi cocta erit, vacuetur purgatione idonea. Si poſtremò dolet caput ab intemperie, medicamẽto vel aliis cauſis ſuccedente, curetur alterantibus contrariis conuenientibus.

## *De Vertigine poſt purgationem.*

CAP. III.

*Vt ſi phialã aqua plenã circũagas et corpus vertas, phiala & te quieſcente, motus aquæ & ſpirituũ in gyrum perſeuerat.*

*Sic in ebrijs vertigo fit.*

VErtigo inde accidit quòd interdum vapores à medicamento moti & ſublati, caput petunt: ibiq; motum rebus agitatis proprium excitant, qualis eſt aquæ in gyrum cõmotæ, vel in vorticibus circumactæ ob alterius occurſum: qualis item eſt rerum leuium venti vertiginoſi turbinoſo flatu circumactarum. Vertigo autem à vaporibus in nobis fit, quando hi in cerebri ventriculis & arteriis circumacti, vnà ſecum ſpiritus circumagũt, & maximè quo loco nerui ſenſuum opifices oriuntur. Quapropter imaginatur æger omnia ſuper ſeipſum volui, & terram ſub pedibus tremere & moueri. Iſtud autem ſymptoma hoc modo curabis: ſi abundet ſanguis, humeralem incîde: ſcarificato: item aurium cartilago, & cucurbitulæ ceruicibus affixæ & cruribus, in id admodum conducunt: & præter hæc victus ratio tenuis, quæ ſanguinem minuat: poſt hæc omnia aquæ dulcis balneo lauabis. Si autem vertigo eſt ab humorum copia, vacuentur vomitu, aut [potius] deiectione: poſt hæc cerebrum his quæ affectui quoq; conueniunt, roborandum eſt. Frictio quoq; partium inferiorum, & alia quæuis in contrarium reuulſio, prodeſt. Prouidendum quoque eſt partibus his, vapores in cerebrum tranſmittentibus, vt ventriculo, hepati, lieni, folliculo fellis, & aliis: Poſtremò quod in capite, reliquum eſt vaporum, id reſoluendum eſt.

## *De Viſus imbecillitate poſt purgationem.*

CAP. IIII.

VIſio fit imbecilla poſt purgationem, interdum ab oculi partium ſiccitate immodica ſuperfluæ vacuationi ſuccedente: interdum ab humore in nerui optici cauitate coacto, quem medicamentũ liquauit, & nõ vacuauit: interdũ à vapore craſſo turbido, quem medicamentũ ad caput & videndi inſtrumenta ſubleuat. Si autem viſio imbecilla ſit ob ſiccitatem

vacua

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0064-1

vacuationi immodicæ ſuccedentẽ,humectantibus curanda,cibo,potu,proba nutritione,balneo,ſomno,& cæteris corpus totum,& oculos præcipuè, humectantibus. Si ab humore per medicamentum liquato in neruo optico,curabitur catapotiis coccis,& ex hiera,& ex aromatibus,quæ in antidotario deſcripta habes. Deſtillato quoq; in oculum ſucco chelidonij,& fœniculi,& felle perdicis,aut ericij,aut aquilæ,aut capræ,aut collyrio ex fellibus. Si ex vapore craſſo & turbido excitatur viſio imbecilla,humor eſt vacuandus,à quo tenuato vapor attollitur,& vapores ſurſum aſcendẽtes ſunt tum repellendi,tum ad inferiora reuellẽdi per horum frictionem, & exercitationem. In oculum verò dicta collyria inſtillanda. Adhæc ſalubre eſt ieiuno quidem ventriculum excremẽtis purgare hieræ picræ infuſo,aut aloës,aut abſinthij decocto,aut oxymelite ſcillino. Poſt paſtum verò vapores à cibo leuari ſolitos prohibere,coriandro præſertim,& cydonio,& ſimilibus. Poſtremò adhibe oculis,quæ ipſos roborent,& tergeant, quantũ tibi videbitur.

## *De ventriculi imbecillitate poſt purgationem.*

CAP. V.

VEntriculi imbecillitas interdum eſt cõmunis toti ipſius corpori,tuncq; omnis facultas naturalis(cuius origo eſt ventriculus)imbecilla ſimul efficitur:interdum ori ipſius(quẽ ſtomachum appellant)eſt propria,tũc appetẽtia fit imbecilla: interdum fundo ipſius,& villis retinentibus,tũc retentrix imbecilla ſequitur. Ventriculo autẽ imbecillitas poſt purgationẽ accidit,quod medicamentũ ei intemperiem pariat, aut ipſius corpus inanitione immodica extenuet & rarefaciat: aut humorem benignũ ſupernatãtẽ vacuet,& noxium relinquat poris immerſum,aut adhærentẽ, aut imbibitum:aut materiam mouit in eo,ſed non expulit:aut ipſum medicamentũ in ventriculo permanet,villis eius adhærẽs:aut ipſum eſt igneum & multùm acre,ob id ventriculi ſuperficiem vehemẽter afficit, & vlcerat. Agens nanq; in partem ſenſu exacto præditam, vehementiùs imprimitur,& magis afficit. Huic autẽ morbo alios multos excitaturo,facilè cognita tibi ipſius cauſa,occurres:nunc per ea,quæ corrigunt quantũ incommodi à medicamento ventriculus accepit:nunc per ea,quæ imbecillitatis cauſas vel auferunt,vel corrigunt:nunc per ipſum roborantia: nunc per ea,quæ prohibẽt materias ab aliis partibus in ipſum

*Curatio. lib.7. methodi etiam docetur.*

effun

** Lib. 2. de diffe.feb.ad finẽ & lib. method. 12. Lib.1.Feb.*

effundi & affluere.*Id quod frequenter contingit,præſertim cùm materiæ redundant in aliqua parte vicina,eaq́; robuſta: tranſmittit enim ad imbecillum ventriculum,ob id promptũ ad recipiendum.Agens enim etiam nõ ita validum,facilè imprimit in corpus ad patiendum præparatum.

## *Canon primus.*

*Medicamẽti natura lib. 3. temp. & initio ſimp.*

CVm medicamentis purgantibus propè omnibus propriũ ſit ventriculo nocere,multisq́; cauſis & modis ipſum laceſſere,ob ſuæ ſcilicet ſubſtantiæ contrarietatem, & actionis violentiam,in ventriculum ipſa recipiẽtem,totamq́; ipſius naturam:multa cura,præcipuoq́; ſtudio,his tum cauſis,tum modis moleſtiarum eſt reſiſtendum,his præſertim remediis,quæ ipſum roborãt,& quietẽ ſomnumq́; cõciliant:vt alimentis his delectis,& paulatim datis,quæ ventriculum roborẽt, eiuſque partes in vnum cogãt,& laſsitudinẽ ab eo purgãte medicamẽto ipſi impreſſam abigant.Neq; imitandi ſunt,qui poſt purgatorium medicamentũ feſtinanter iura pinguia,& pulmenta mollia propinant,cùm hæc ventriculũ laxent,& emolliant, & repleant,ob hæcq́; cibi faſtidiũ & nauſeam generẽt. Quanquàm iuſculum huiuſmodi ſorbere interdum eſt neceſſe,tum præſertim,quando medicamentũ violentiùs à partibus nutritoriis deturbandum eſt.Iuſculum enim lauat,& citò lubricare facit medicamentum. Dandus itaq; tunc cibus,qui ventriculi partes laxas in vnum cogat,ipſumq́; roboret:qualis maximè idoneus fuerit ſubacidus,& ſubauſteris aromatibus parum aſtringentibus conditus,vt miũa & ſegles,conditũ cydoniorum,& ſimilia.Paucus autem dandus eſt, quantus ſcilicet ventriculum grauaturus non eſt,ſenſimq́; augendus,donec ad conſuetam ventriculo quantitatẽ ventum ſit.His autem cibis omnino miſcere oportet mentham,omphaciũ,cydonia,†matiana mala,ſuccum granatorum & rhois,cydonia condita,cydoniorum conditum,aromata,& ſimilia.Bibat autem vinum tenue,odorum,leue,aqua ſole vel igni parum cocta, quanta opus eſt,dilutum,pauca quoq; roſata adiecta. Vitet autem vinum dulce,craſſum,turbidum,aquam præterea tum calidã, tum exactè frigidam:illa enim ventriculum laxat,& virtutẽ eius diſsipat: hæc imbecillum calorem extinguit.Potus verò ſit parcus,etiam ſi magna ſitis eſt,quam potu largo placare ne ten

*Sic Gal. lib. 7.metho.*

*† Ceſtiana Gale. ibidẽ.*

*Vt lib.10. method. &*

tentes. Nam ſitim tolerare, ventriculum roborat. Vitet præter hæc pinguia, piſces, fructus, cibos coctu difficiles, & mali ſucci, coitum, & iram. Hæc enim poſt purgationem corpus ſeneſcere faciunt, & in morbos præcipitant. Somnus verò poſt purgationem ventriculum & corpus reliquum emendat, & priſtino vigori maximè reſtituit. Omnes enim ventriculi moleſtias ex vacuationis agitatione proficiſcentes ſedat. Deligatur itaque cibus & potus talis, & paucus aër temperatus, gaudium, delitiæ, & reliqua id genus, victus ratio. Balneum verò his eſt nocentiſsimum, niſi immoderatiùs vacuētur: tunc enim neceſſarium ob id per immodicam huiuſmodi vacuationem imperandum eſt.

*aph. 21. li. 5.*

*Sicca retentricē vētriculi roborant lib. Symp.*

*Balneum aquæ temperatæ ad cutim auertit. Sit autē breue, & ſi opus eſt, frequēs, ne vires reliquas diſsipet.*

## *Canon ſecundus.*

IN auferendis verò cauſis imbecilli ventriculi, danda eſt opera, vt quæ illas auferunt remedia omnino etiam ventriculum roborent, vt his integra ſuccedat vētriculi ſanitas. Quā rem præſtabunt miſta illis cardiaca medicamenta, & ſtomachica. Si autem imbecillus eſt ventriculus, ab intemperie per medicamentum excitata, curabis idoneis ei intemperaturæ miſtis remediis. At ſi imbecillus eſt ventriculus, ob id, quòd per purgationem latera eius ſint rarefacta & attenuata, ſanatio eſt difficilis. Curabis tamen partim victus ratione, virtutem eius paulatim inſtaurante, potiſsimùm quiete, & cibo boni ſucci citò nutriente ſed pauco, qualis eſt vitellus oui recentis & ſorbilis, hepar gallinæ iuuenis & pinguis, alæ auium & pullorum, vinum odorum: partim medicamentis virtutem ipſius congregantibus ſumptis, qualia ſunt aſtringentia, odorata, non valentia. Emplaſtrum quoque ex medicamentis aſtringentibus, & odoris ipſi impoſuiſſe confert: conſeruat enim ipſius calorem reſolui periclitantem, ob ventriculi raritatem. Quòd ſi adeò attenuatus ſit ventriculus, vt hectica immineat, ventriculum modis omnibus humecta, præcipuè his, quæ tum corpus, tum virtutem inſtaurare partim diximus, partim dicemus. Si prætereà ventriculus eſt imbecillus, ob id quòd humorem benignum vacuauit medicamentum; & prauum reliquit, aut quia humorem prauum commouit quidem, ſed non vacuauit: eo humore vacuato ſanabitur, ſi ventriculum quoque poſteà roboraris. Quòd ſi

*Hæc lib. 7. metho.*

*Olea, vnguenta cerata, emplaſtra, lib. 7. metho.*

imbe

imbecillus eſt, quia medicamenti portio villis ipſius adhæret, dictis remediis curatur. Si ventriculum vlcus à medicamento imbecillum fecerit, idq́; recens ſit, da roborãtia, & vlcus glutinantia: ſi vetus, tergentia aliquando, aliquãdo glutinantia & roborantia.

### *Canon tertius.*

MOdis autem tribus vẽtriculum imbecillum roborabis: primò, cauſa lædente ablata, quemadmodum ante docui: ſecũdò, his quæ ipſius laſsitudinem tollere ſcripſimus: tertiò, cibo, potu, & aliis omnibus, quæ roborant, & virtutem inſtaurant, adiuuantibus in id aromatibus ſtypticis, & rebus aliis parum acidis, præſertim primum aut ſecundũ [caloris aut frigoris] gradum non excedentibus, quibus natura gaudet. In ſingulis autem tribus modis prædictis, cor vitæ theſaurum roborare conuenit.

### *Canon quartus.*

*Balnea fuſam à ſe materiam ad fluendũ excitant.*

VAcuata ex ventriculo materia, ad ipſum affuſa, iterum recipi in eundem prohibebis bifariam: primò, materiæ ad contraria reuulſione, per frictionem extremorum, & alia iam dicta, præter balnea: ſecundò, virtutem ventriculi in vnũ cogendo, ipſumq́ue ventriculum roborando, ne humores ab aliis partibus tranſmiſſos recipiat. Virtus nanq; vnita contrariam fugat, non admittit.

## *De ſiti poſt purgationem.*

CAP. VI.

*Hæc propè omnia ex cõmẽtario Gale. in Apho. 19. lib. 4.*

*Sitis à calido, vel ſicco, vel vtroque lib. 1. ſimpli. cap. 30.*

*Aphoriſ. 19. lib. 4. ab hoc diuerſus eſt.*

SItis antè interdum fit, quàm purgatorium medicamentũ vacuet, interdum purgationem ſequitur: eſt quãdo immodicam purgationẽ. Si ante vacuationẽ excitetur ſitis: eius cauſa eſt, vel medicamentum, vel ventriculus, vel humor vacuandus. Medicamentum quidẽ calidum, acre: ſalſum, amarũ, aut aliter deſiccans: ventriculus verò natura calidus aut ſiccus, aut calidus ſimul & ſiccus humor calidus & acer, vt bilis, flaua præſertim, & ſalſa pituita ventriculo conſuetior. Hìc autem cum medicamento vbi vacuatus erit, ſitis ceſſat, niſi fortè is humor intemperiẽ in parte reliquerit. Si autem vẽtriculus humore craſſo, lento, & pituitoſo abundat, ſitis nõ gignitur. Hoc autem vi purgatrice medicamenti vacuato, ſitim ſuccedere bonũ eſt. Id quod Hippocrates innuit hoc aphoriſmo. Si quis ob ſuam

ob ſuam plenitudinem non ſitiat purgatus, iterumq́; ſumpto medicamento non ſitiat, iterum atque iterum purgandus eſt, donec ſitiat. Qua ſententia voluit Hippocrates, vt Rufus eſt interpretatus, †confertim exquiſitiſsimè corpus eſſe vacuandum, donec ſitiat. Rufus autem malè oblitus erat ſermonem hunc Hippoc. in Epidemiis dicentis, per opus medicamēti purgatorij non veniendum eſſe ad vltimam vacuationem, quòd hæc naturam terret. Ob id ſalubrius putauit Galenus, vacuationē iterare, quàm ſemel multam facere. Hac igitur ratione ſitis à purgatione laudatur. Sitis verò illa laudabilis Ioannitio ſignificatur, cum qua ſimul adſint etiam laudabiles & legitimæ, læuitas, iucunditas, quies. Immoderatæ autē actioni purgantis medicamenti ſuccedens ſitis, ab Hippoc. non intelligitur, quòd inanitio immodica hecticam, & attenuationem ventriculi, & ſitim, & aſperitatem excitat: eſtq́; illa terroris ſignū potiùs, quàm commodi alicuius. Siti verò quam Hippocrates intellexit, nullis opus eſt remediis, præterquàm tolerantia, & ſomno. His enim duobus ſic ſedatur, vt etiam probiùs coquat ventriculus. Ne igitur tam confidenter potum multum mox propines. Hic enim virtutē abolet, ſitimq́; potiùs auget, quàm minuat. Ad hæc obſtructiones prauas excitat, quibus hydrops interdum ſuccedit. Cùm verò ſitis eſt à calore ventriculi, blādè tractanda eſt, quoàd medicamenti purgantis actio erit abſoluta. Tunc enim ſi ventriculi intemperies perſeueret, ſitim curato his quæ intemperiem conuenienter permutant. Cauendum autem tibi eſt, ne naturam potu multo obruas, cùm ſitis potiùs frangenda ſit his, quæ lambendo ſumuntur, qualia multa doctis ſcribuntur. Si denique ſitis vacuationem immoderatam ſequatur, modis omnibus, totaque victus ratione humecta: cautione tamen interim adhibita, vt coctio ſumptorum fiat, & prædictis roboretur.

*† ἀθρόως Græcè, vulgò ſimul & ſemel.*

*Rufus Epheſius medicus carpitur.*

*Vt ſiccitatē emēdat. Galen. libr. 7. meth.*

## *De ſingultu poſt purgationem.*

### CAP. VII.

Singultus eſt ventriculi motus conuulſorius, à re ipſa noxia excitatus: ſeu, eſt partium ventriculi motu violento aggregatarum contractio. Is autem medicamento purganti aut interuenit, aut ſuccedit. Interuenit quidem, nunc medicamenti purgantis ratione, nūc ob materiæ per ipſum motæ naturam. Medicamenti ratione, quia ipſum aut ſuo calore immodico &

*Sic Gale. in ſympto. differ. & aph. 3. lib. 7.*

acrimonia mordet ventriculum, aut ſiccitate eundem corrugat & coarctat. Ob materiæ verò per medicamentum motæ naturam, cùm ipſa in ventriculum effuſa aut calida acris, mordax, ſuo morſu conuulſionem excitat: aut craſſa frigida eundem grauat & replet: aut in flatum eſt ſoluta craſſum, replentem ac extendentem ipſius tunicas. Succedit autem ſingultus actione medicamenti purgantis, ob ſiccitatem ab immodica vacuatione excitatam, & eam aut nondum conſummatam, aut confirmatæ proximam, quæ Hippocrati ſignum eſt lethale. Singultus verò quem medicamentum purgans per ſe excitauit, curatur, his viciſsim adhibitis, quæ ipſius virtutem alterant. Ob materiæ verò naturam factum curabis, blandè acrimoniam ipſius frangentibus, donec ipſa materia vacuetur: quando etiam veſtigia ab ipſa ventriculo impreſſa alterare oportet. Factus verò ſingultus à ſiccitate non conſummata, humectantibus iuuatur: quin & interdum ſanatur. A' ſiccitate autem velut ſigillo impreſſa, & conſummatæ propinqua, vix ſanatur, vt inquit Hippocrates in Aphoriſmis. Id quod eo poſteriores quoque aſſeruerunt.

*Lib. 7. meth.*

*Initio prog.*

## *De dolore ventriculi poſt purgationem.*

### CAP. VIII.

DOlet ventriculus poſt purgationem, vel ob intemperiem ipſius æqualem vel inæqualem, à medicamento purgante excitatam: aut ab eodẽ vlceratus, aut flatu calido acri pungente, vel craſſo frigido, quem medicamentum in ventriculo mouit, non diſsipauit. Si intemperies eſt, eaque ſola, curabitur contrariis alterantibus quantum conuenit. Si verò nõ ſola eſt, ſed cum materia, ea priùs coquenda, pòſt vacuanda. Si vlceratus eſt ventriculus, hæc ſolutio continui curãda remediis à nobis dictis. Si à flatu calido aut frigido, reſoluatur hic remediis, quæ docti ſcripſerunt.

*Dolor ab alteratiõe ſubſtãta aut ſolutione continui Gal. vt hic Meſuæ. Lib. 6. ſani. tuenda, & libr. 7. metho. 5. Gal. Ibidem. Gal. lib. metho.*

## *De vlceratis inteſtinis poſt purgationem.*

### CAP. IX.

INteſtina vlcerantur aut à medicamenti facultate, aut materia acri, incidente, vlcerante, à medicamento mota. Diximus autem medicamenta, quibus eſt incidendi ac vlcerandi proprietas. De hiſque iterum dicemus in ſimplicibus.

Diſtinguenda verò tibi ſunt inteſtina vlcerata, ſíntne ſuperiora

riora ſeu tenuia, aut inferiora & craſſa, aut media.

Quam rem ex ſitu doloris & puncturæ diſcernes, & ſtrepitum [βορβορυγμοὺς Græci, vulgus gurgulationes vocat] differẽtiis, & aliis ſignis, quæ à peritis medicis conſcripta ſunt: à quibus etiam ratio curandi vlcera inteſtinorum ſuperiorum, inferiorum, & mediorum exactè eſt tradita: & ex illis tibi eſt cognoſcendum. Quòd ſi hæc à medicamenti purgantis reliquiis excitata ſuſpitio eſt, curabis virtutem medicamenti frangentibus remediis, & foras extrudentibus. Si à materia acri & vlcerante, eam coque & blandè clementerque expelle, ne noxam noxa cumules. Poſt hæc tergentibus & glutinantibus dictis vtere.

*Gal. libr. 6. loc. affect. cap. 2.*

### *De cruenta deiectione poſt purgationem.*

CAP. X.

Deiectio fit cruenta vel inteſtinis à purgatione vlceratis, vel vaſorum orificiis à medicamento mordente, vt colocynthide, cucumere agreſti, & ſimilibus, adeò patefactis, vt ſanguine manent: vel ob id, quòd vacuatio tam immoderata per medicamenti attractionem ſuperfluam excitatur, vt vis naturæ afferatur, cogaturque ipſa magno ſuo incommodo ſanguinem trahenti violentiùs medicamento permittere. Vlcerũ autem curationem iam diximus. Si venarum ora immoderatiùs pateant, curabis remediis priùs dictis, præſertim quæ partium eſſentiam vniunt, roborant, glutinant. Si denique cruenta ſit deiectio, à purgatione immodica eſt iam dicta prius curatio.

*Hipp. lib. de natu. humana.*

### *De Teneſmo poſt purgationem.*

CAP. XI.

Teneſmus fit ſpinctere vel vlcerato, vel medicamenti, aut materiæ per ſedem vacuatæ acrimonia commorſo, vel perfrigerato. Ob quæ fit inanis quædam deſidendi cupiditas. Curatur teneſmus balanis, enæmatibus, emplaſtris, pro varia affectus cauſa ſcriptis à doctoribus.

*Spincter muſculus ſedi trãſuerſus, eam claudens.*

*A' pituita etiã vitrea & ſalſa mordetur.*

### *De laßitudine ſeu imbecillitate corporis poſt purgationem.*

CAP. XII.

Corporis imbecillitas interdum vacuationi immodicę ſuccedit tanta, vt vires proſternãtur, ob id rectè Galenus vacuationem repetere, quàm exquiſitè ſemel vacuare maluit: &

*Syncope eſt præceps viriũ lapſus.*

*Aph. 5. li. 1. in progn. li. 2. rat. vic. acutorum.*

*Copiæ quàm inopiæ præſentius remedium.*

*Natura morbos ſanat.*

*Plenum inanitur omni propemodũ genere cauſarum ſalubrium: inane autẽ corpus viuum ſola nutritione repleri poteſt, vt li. 7. meth. per cibũ coctũ à virtute robuſta, qualis in plenis eſt potiùs, quàm inanitis.*

in morbos à plenitudine, quàm ab inanitione, aliquem prolabi, tolerabilius eſſe exiſtimauit: idipſumque verbis Hippocratis confirmauit, dicentis facilius eſſe repletum inanire, quàm inanitum replere. Morbum autem poſſe curari, vel non poſſe, ad virtutem refertur, autore Ioannitio: illud quidem ſaluam, & integram: hoc verò lapſam, vel imbecillam. In morbis autem à repletione, ſalua magis eſt natura: in his verò, quos inanitio parit, velut lapſa iacet. Eſt igitur repletum inanire promptius, quàm contrà: Corporis quoque imbecillitas interdum ſequitur medicamenti purgantis malignitatem, ob excitatam ſcilicet ab eo intemperiem: aut naturæ fatigationem, propter ipſius cum natura contrarietatem. Quapropter æquum eſſe cenſuit Democritus, valens medicamentum reddere imbecillum, malignum verò ſalubre. Id quod opere hoc toto contendimus, & præſtare conamur. Imbecillitas corporis purgati item gignitur, interdum ab externo calore & æſtu, natiuum calorem & ſpiritum diſſoluẽte, & à corpore profundo ad cutim trahente. Ira quoque purgationi accedens, & ſolicitudo, & coïtus, & labor, & reliqua viuendi ratio praua, vires deiicit. Hanc autem corporis imbecillitatem ſanabis, cognita ipſius cauſa: ad quam propulſandam interdum conatus omnes noſtros dirigimus, eaque demum eſt ritè curandi methodus, & opus medici præcipuum. Eſt tamen quando priùs contra ipſum ſymptoma nobis pugnandum eſt: tunc præſertim, cùm ob ipſius vehementiam virium reſolutio timetur. Si autem imbecillitas hæc ob vacuationem immodicam contingit, analepticæ artis parte, hoc eſt refectoria & renutritoria, vtendum eſt, vt in ventriculi imbecillitate diximus. †Si verò imbecillitas hæc corporis ab intemperie eſt, contrariis antè dictis profligetur. Si fiat ſpiritibus ab æſtu, labore, coïtu, ira, reſolutis, prædicta victus ratio eſt neceſſaria. Cùm verò contra ſymptoma pugnamus, renutritoria victus ratione & roborante eſt opus. In id etiam perquàm commoda eſt delectatio, & alimenti paulatim pro viribus facta acceſſio. Adhæc ſomnus, quies, iucunda & ſuaueolentia adhibita, medicamenta cardiaca & ſtomachica. Balnea quoque præſertim dulcis aquæ, abſoluta propemodum curatione ſunt ſaluberrima: & in his ipſis ius pullorum & auium aliarum, & vitellos ouorum ſorbere, præſertim ſi lenis frictio præceſſerit, & neruorum muſculorumque vnctio ex oleo aliquo temperato, quale eſt oleũ

*Curatio.*

*†Sic omnino Gale. lib. 7. meth.*

*Sic lib. 7. metho. Gal.*

ex ſpica, oleum chamæmeli, oleum leucoij lutei. Oleum quoque vetus, autore Galeno, laſsitudinem ſoluit. Adhæc oleum maſtichinum, cum oleo roſato, & vino antiquo factum, laſsitudinem, debilitatemque neruorum aufert.

## *De conuulſione poſt purgationem.*

CAP. XIII.

Conuulſio in purgatione ipſa interdum accidit, interdum poſt ipſam. Quæ autem in purgatione accidit, interdũ fit ob materiam multam à medicamento commotam, non tamen vacuatam, ſed ad neruos & muſculos aliquando procumbentem, eoſque replentem, & villos ipſorum extendentem. Quo fit, vt nerui & muſculi in latum aucti, breuiores euadant, longitudine ſcilicet naturali tum minuta. Quapropter ceu chordis tenſis vinctæ partes, motu contrahuntur dolorifico multùm, qualiter arcuum chordæ breuiores redditæ. Porrò ad hanc conuulſionem propenſi ſunt magis, quibus eſt corpus impenſe plenum, & meatus in eo anguſti: quibus item nerui ſunt humidiores: qui denique vino ſe multo frequenter ingurgitant. Fit item conuulſio hæc interdum à vapore turbido, craſſo, quem cum flatu inflante medicamentum ad neruos ſuſtulit. Fit etiam à frigore vehementi, neruos & muſculos corporis purgati lædente, cogente, denſante. Quapropter hi verſus principium ſuum contrahuntur. Nonnunquàm fit à medicamenti qualitate venenoſa, neruos & muſculos feriente, quam vt hi à ſe expellant aut vt omninò vitent, contrahuntur. Quæ verò ex ſiccitate conuulſio ab Hippocrate ceu lethalis damnatur, ea potiſsimũ intelligitur, quæ fit à ſiccitate conſummata. Quanquàm autem ex repletione conuulſionem febris ſuperueniens ſoluat Hippocrati, rectè viri huius conſilium eſt accipiendum. Quædam enim à plenitudine conuulſio eſt, quam febris ſuperueniens tantum abeſt vt ſoluat, vt etiam febrem ea de cauſa excitaſſe, malum geminet: qualis ea præſertim fuerit cõuulſio, quam parit materia multa per medicamentum commota: ſed nõ vacuata, quæ in neruos & muſculos, vt dixi, incubuit. Medicamentum nanque purgans, febrim flammeam dum reddit, venenoſam ei qualitatem acquirit longè nocentiſsimam. Rectè autem curabitur, ſi repentè materiam commotam vacuaris, idque vel medicamenti vim adiuuando, acquiſita ſcilicet ei & facultate pleni-

*Conuulſionis eſſentia*

*Gale. aphor. 39. lib. 6.*

*Aph. 5. li. 5.*

*Vt aphor. 1. lib. 5.*

*Aphor. 3. & 4. lib. 5. & alijs paſſim, & initio prognoſ.*

*Aph. 26. lib. 2. & 57. li. 4. & 5. & 70. lib. 5.*

*Sic Gal. lib. 5. meth. in puncto neruo.*

tudinem vacuatura: vel etiam ſuperdato valenter purgante alio, ſi opus eſſe tibi videbitur. Poſthæc noxas neruoſo generi impreſſas corrige, ipſumq́; robora, & ſpinalem medullam, & cerebrum, & corpus reliquum. Si autem à vaporibus elatis cõuulſio fiat, curabis dicta victus ratione, & dictis omnibus remediis, quæ vapores in contrarium reuellere poſſunt. Si à frigore, calefacientia neruos & muſculos omnia ſunt remedio. Si à qualitate venenoſa, curabis per ea priùs dicta, quæ malignitatem hanc citò de corpore detrudunt: adhæc tum ea, quæ neruos & muſculos à noxis in idem acceptis vindicant, tum per ea quæ ipſos roborant. Conuulſionem verò ab euacuatione immodica, lethalẽ ſcripſit Hippocrates, quæ à ſiccitate omnino eſt: quam ſi conſummata eſt, inſanabilem diximus. Si non eſt confirmata, curetur ratione victus humectante, & auctiore tum cibo, tum ſomno, & ſimilibus.

*Apho. 3. & 4. li. 5. & alibi paßim: Gal. li. 7. & 10. meth. & lib. febrium & de maraſmo.*

*

# INDEX MEDICAMENTORVM ſimplicium purgantium à Meſue libro ſecundo tractandorum.

*

## MEDICAMENTA SIMPLICIA PVRGANTIA.

**Clementer.**

- **Cholagoga.**
  - Aloë, Abſinthium, Roſæ, Rhabarbarum, Myrobalani, — trahendo & aſtringendo, flauæ: nã aliæ aliud vacuant.
  - Pruna, Tamar Indi, — aſtringendo.
  - Caſsia, Manna, Viola nigra, Pſyllium, Adiantum etiã phleg. — Lubricando.
- **Phlegmagoga.**
  - Cnicus,
  - Lupulus,
  - Hyſſopus,
  - Eupatorium & cholag.
- **Melanogoga.**
  - Stœchas,
  - Aqua lactis.
  - Fumaria,
  - Epithymus,
  - Thymus leuiter, magis phleg.
  - Polypodium,
  - Ius gallorum phleg. cum phleg. melanogogum cum melanog.

**Valenter.**

- **Radices**
  - Agaricus,
  - Aſarum,
  - Ariſtolochia,
  - Bryonia,
  - Cyclaminus,
  - Cucu. agreſtis,
  - Dracũculus & arus,
  - Elleborus,
  - Eſula,
  - Hermodactylus
  - Iris,
  - Scilla,
  - Turbith.
- **Lachrymæ.**
  - Euphorbium,
  - Opopanax.
  - Scammonium,
  - Sagapenum,
  - Sarcocolla.
- **Fructus & flores.**
  - Balanꝰ myrepſica
  - Centaurium,
  - Colocynthis,
  - Coccum Gnidium,
  - Geniſta,
  - Ricinus,
  - Senna.
- **Terrea.**
  - Armenus lapis,
  - Cyanus lapis,
  - Nitrum,
  - Salis genera.

# IOANNIS MESVAE DAMASCENI LIBER

*ſecundus, de ſingulis medicamentis purgantibus deligendis, & caſtigandis,* IACOBO SYLVIO *medico interprete.*

* * *

HACTENVS generalem quendam medicamenta purgantia deligendi, & caſtigandi, modum produximus, libro ſuperiore. In quo ſcopos diſtinximus, quibus intentus quis ipſa inueniat, & modo idoneo exploret, an conditiones illas celebriores habeant: idq́ue ſcrutãdi principio à nobis breuiter ac pulchrè tradito. In eo autem theoremata quatuor ad hanc rẽ neceſſaria pertractaui. Nunc verò conſilium eſt, ſingula purgantia medicamenta ſeorſum explicare, & in horum quouis ſubſtantiam, facultatem, caſtigationem noxarum corpori ab ipſis impendentium. Quibus abſolutis, librum finierimus. Deum igitur adiutorem imploremus, ad quem conſpirãt omnia, & à quo miſericordia omnis proficiſcitur, qui ſit benedictus. Incipiamus autem à medicamentis purgantibus, quæ ob id benedicta vocamus, quòd harum actio nullam corpori noxam imprimit: horumq́ue primam Aloën ipſam ſtatuamus.

## *De aloë.*

### CAPVT I.

ALOE medicamentorum purgantium præſtantiſſima, & ob ſuam quandam prærogatiuam excellentiſsima. Cùm enim cætera purgantia partes noſtras principes, & ex his, ceu fontibus profectas facultates noſtrum corpus diſpenſanteis, vel actionis vehementiâ lædant [vel nihil iuuent,] Aloë ſola eas partes imbecillas roborat, & ad functiones ſuas reducit, nullâ omnino actione noxia: præterquàm quòd venarum ora tantùm aperit, vt per hæc ſanguis effluat. Ad has eius doteis accedit, quod cæteris purgantibus, & his præſertim quæ vacuando corpora diſſol-

uunt,

*a Syriaca non bona, Cæleſyriaca & Arabica melior. Indica optima Gale.*
*b ὑποξάνθη καὶ ὑπαπίζουσα Dioſco.*
*c Sic Dioſcor. Planta tamen tota odore eſt graui. Idem.*

uunt, aloë miſta, hæc ipſa corrigit, & noxis eorum prohibitis meliora reddit. Nam ſua craſsiore ſubſtantiâ tenuem illorum acremq́; naturã frangit, & noxã partiũ ab his promptã, celeremq́;, proprietate quadã ſubſtantiæ inhibet: ſua deniq; purgandi tarditate, horum celeritatem cõtemperat, purgationeq́; auget. His igitur ipſis nunquam non miſcẽda aloë. Eam verò mittunt India, Perſis, Armenia, Arabia. Optima autem eſt [a] Indica: poſt hanc perſica: tertio loco Armenia, Arabica ignobiliſsima. Bonitatem eius præcipuam declarant color, odor, ſapor, pondus, conſiſtentia, & in ſingulis conditiones quædã ſpectãdę. Colore enim eſt [b] flauo in rubrũ inclinãte hepatis modo ac perſpicuo & ſplẽdẽte: opaca enim & obſcura eſt deterior & quę vetuſtate nigreſcit. Odor verò ineſt [c] bonus q̃dẽ, ſed ſuus, nõ autẽ per adulteriũ acquiſititius. Sapor autẽ primo guſtatu [d] dulcis, ſubamarus [mox valenter amarus.] Subſtantia deniq; ſit tenera, friabili [puta, [e] doli experte, rara] ob id leui, quoq́; leuior, eò præſtãtior: & quãto à dictis cõditionibus abeſt lõgius, tãtò eſt deterior. Adulterãtes eã inſtitores ac ſophiſtæ partes eius craſſas & impuras, lotione ſecretas, aqua marina paucum crocũ habẽte aliquoties lauãt, & ſiccãt, donec lucida colore flauo, odore bono euadat: ſed odor croci dolũ prodit. [f] Calfacit ordine ſecundo, ſiccat tertio, ſed tamẽ ſine morſu: ob id excrementa cõſumit, & à putredine vindicat: etiã cadauera pręſertim [g] myrrhæ miſta: ſanguini verò draconis, & myrrhæ iũcta ſanat vlcera putrida & maligna, quia vt dixi, ſine morſu ſiccat: ora tamẽ venarũ aperit, pręſertim hepatis. Quapropter hepar ab ea lædi [h] quidã putauerũt, vtq́; ipſum potius iuuaret, correctione effecerũt. Adhæc [i] aloë lota, minus aluũ ſubducit, ſtomachũ magis roborat: nõ lota cõtrà. Poſtremo melle excepta minus trahendo quidem purgat: magis autẽ partes quas permeat, tergẽdo. [k] Bilẽ pituitãq; purgat, ob id affectibus vẽtriculi, & cerebri, & reliquarũ partiũ, inde natis, vt dolori inflãmationi ſic præcauet, vt eius creber [l] vſus ſenſuũ inſtrumenta & corpus reliquũ, nullo inſanabili affectu tentari ſinat: ſed ſenſus acuat, cogitationẽ reddat meliorẽ. Hepati confert, iterũ tollit, hæmorrhoidibus & ſedi nocet, ob id vitanda his, quibus iſtæ

*d Sapore parũ adſtringẽte multũ amaro Dioſcor. Gale.*
*e ἄδολος καὶ ἄλιθος Dioſc.*
*f Calida .1. ordine intẽſo, vel 2. remiſſo Gal.*
*g Id etiã literæ ſacræ confirmant.*
*h Vt Auicẽnas qui experiẽtia ſubſcribit in hepate calidiore & ſicciore.*
*i Gal. li. 7. metho.*
*k Hæc interpretatio Meſue Gal. 7. metho. cõciliat.*
*l Vide Gal. 6. ſim. et hieram eius picram lib. 7. met. & lib. 6. com. p. p. & li. 6. ſan. tu.*

a Tuta eſt frigidis & humidis, ſiccis vt bilioſis iuuenibus & ſenibus vſu multo et crebro eſt noxia. Calido legendũ videtur, quia calida ſicca calidis ſiccis corporibus æſtate noxia. aph. 34. lib. 2. niſi vacuata bile plus proſit, quàm lædat calfacto & ſiccato magis corpore.

partes dolent, & aëre [a] frigido, quia tunc ſumpta excorticatis ſanguinẽ educit. Vinũ autẽ, vel aqua roſata, vel ſuccus fœniculi quo aloë fuit macerata, oculos lotione terget, viſionẽ acuit, delachrymationẽ ſiſtit. Datur ab aureo, vno ad drac. duas. Infuſa autem ab aureo vno, ad drach. tres. Veruntamẽ cùm & tardiùs purget aloë, ob id diu ante cibũ ſnmẽda: & tã imbecilliter vt eius facultas purgatrix hepar vix trãſeat, niſi largior ſumatur: cùm deniq; adeò venarum ora patefaciat, vt inde ſanguis emanet, his eius incõmodis hac ratione occurrimus. Imprimis tarditatẽ purgãdi aloë ipſi celeramus, ſi cũ aromatibus eſſentię tenuioris & acribus, vt mace, nuce moſcata, cinnamomo, ſpica nardi, calamo aromatico, cubebis, ſchœnanto, aſaro, maſtiche, caryophyllis, portione pari: croco autem portione dimidia, in aquæ ſextuplo igni lento, ad aquę eius tertiã, coquantur: aloës vnciæ ſex, in libras aquæ ſingulas: poſt ſiccentur in vmbra primùm, deinde in ſole. Idẽ alij ſimiliter efficiunt per aromata ſex, quibus cũ aloë miſtis Galenus hierã picrã componit. Eius enim actionẽ talia citatiorẽ reddunt, & prætereà hyſſopus, cinnamomũ, caſsia, & alia plurima. Sunt qui celeritatem purgandi aloë acquirãt, macerãtes aqua illa, cui incocta ſunt aromata deinde expreſſum potui dantes: à partibus autem remotis, trahendi poteſtatem aloë conciliamus, aliis purgantibus valenter (qualia ſunt colocynthis, turbith, & ſimilia) miſtis: vel in decocto illo aromatum, vel in ſero lactis, vel in trochiſcis, vel catapotiis, vel in alia medicamenti forma.

Intemperaturæ ventriculi ſiccæ calidæ, & ſiccæ frigidæ obeſt. Gal. li. 6. ſani. tuen. & li. 7. meth.

Poſtremò venas aperire deſinit aloë, bdellio, aut tragacãtho, aut maſtiche, aut ſimili permiſta. Hæc autẽ tria eius incõmoda nõ modò maiora habet aloë, dictas bonitatis notas egreſſa: ſed prætereà vẽtrẽ totũ torminibus dolorificis cõturbat vẽtriculũ, & hepar, & viſcera alia lædit moleſta adeò vacuatione, vt ſua virtute illis hærẽte, interdum ſanguinẽ quoq; vacuet. Hæmorrhoidibus & ſedi eadẽ maximè nocet. Lotione igitur partes huius impuræ ſeparẽtur, & quod purius eſt, aromatũ decocto maceretur, & his miſceãtur quæ ipſam prõptè lubricãdo per inteſtina deturbẽt, qualia ſunt aqua hordei, cũ oleo nucũ aut vuarũ paſſarũ decoctũ aut aqua tepida cũ melle. Bdelliũ autẽ & tragacãthũ, præter cætera omnẽ aloën caſtigant, & emẽdant.

Lib. 5. metho.

*Aloë oui albumine diſſoluta euadit emplaſtica, tuncq́; ſanguinẽ non ex venis hæmorrhoidibus ſolis, ſed vndecunque*

que

que fluentem per ora, vel diuiſionem venarum, atque adeò per arteriam apertam ſiſtit: rupto quoque, vel eroſo, vel hiante in pulmonibus vaſe, ſi liquore idoneo ſoluta, faucibus diu & ſæpe cōtineatur. Sic enim foris quoque vaſis ſanguine fluentibus admouetur: & ſi hæmorrhoidibus immodicè fluentibus, ſimiliter ſoluta adhibetur, adiuuante talē ipſius actionem facultate aloës adſtrictoria, & nō minimū ſarcotica, cuius gratia præcipuè id à Galeno commēdatur in hæmorrhagia lib.5.meth. Deuorata verò multa & ſæpe, & in hepar, aliasq́ partes diſtributa, calore ſuo & craſſa ſubſtantia venas tum hepatis, tum hæmorrhoidas aperit. Lib.5.ſimp. Anaſtomωtica enim ſunt: maximè quidem calida, craſſa, acria, & mordacia: non minimū tamē calida, craſſa, qualis aloë. Quod autem calore & craßitie ſanguinem efficit melancholicū magis, id etiā nō parum ad vaſorū apertionem facit vi adſtrictoria eius leuicula, hoc opus ob imbecillitatē prohibere non potente. Quam rem experientia quoque confirmat. Vſu enim crebro catapotiorum, aloën multam recipientium, hæmorrhoides multis tumere cœperunt: & quibus iam prius aliquoties fluxerant, frequentiùs, & largiùs, & periculoſius fluunt. Vt veriſsimum ſit Galeni theo- Lib.3.tēper. rema, nihil ſumptum & admotum vires habere eaſdem, ſed quædam genere etiam contrarias, alia maioris & minoris tantùm ratione, vt in methodo componendi medic. probauimus. Quod ſymptoma venarum ſcilicet apertionē, ſi aloë facit, per ſe, vt Meſues velle videtur, aut per humorum acrium vacuationem, qui inteſtini recti finem mordeant, & calfaciant: quod & medicamentis melanogogis Galenus tribuit Apho.47.lib.6. Id quia longiore eget oratione, in præſens omitto. Aloën ſuccotrinam Auicē. & Meſues præferunt, Dioſco. & Halyabbas hepaticam.

De

## *De myrobalanis, citrinis, nigris, & Indis.*

CAP. II.

*Myrobalanus, id eſt, vnguẽtaria glans. Hæc autem genera quinque Græcis indicta, pomorũ aut prunorum generis verius ſunt quàm glandium.*

MYrobalani, citreæ, nigræ, cepulæ, eiuſdem arboris fructus quibuſdam videntur, vt immaturi ſint citreæ, maturi nigræ. Cumq́ue arbor ea his autoribus ſit bifera, primi partus ſunt citreæ & nigræ, ſecundi verò cepulæ. Aliis diuerſarum arborum fructus videntur, idq́; creditur, quòd eorum facultates, & opera variant. Sunt autẽ etiam hæ medicamenta benigna. Tantùm enim abeſt, vt purgando vires deiiciant, vt etiam cor, ventriculum, hepar, corpusq́ue reliquum confirment, cogendoq́; in vnum roborent: qua re vnica his incommodant, qui ſunt obſtructionibus obnoxii, has enim excitant. Præterea medicamentis acribus, & purgando exoluentibus, vt ſcammonio perfectè corrigendis rectè miſcẽtur: ſed huic præſertim citrinæ ſunt miſcendæ. Id enim contraria, tum ſubſtantia, tum qualitate frangit, & purgationem iuuat.

*De myrobalanorũ generibus lege lib.j. noſtræ methodi cõpo. med.*

Citrinæ autem colore ſunt multùm citrino, in viridem inclinante, graues, quia magnæ, & carne multa denſa: ſi frangitur gummoſa, oſſe exiguo. Cepulæ ſubnigræ in rubrum inclinantes: quò maiores, eò meliores, carne multa, ob hæc etiam graues, adeò vt aqua mergantur. Indæ ſunt nigræ, magnæ, carne denſa, graues, tamen exoſſes. * A' quibus notis quò harum ſingulæ abſunt longiùs, eò ſunt deteriores: ~~hæ autem omnes ſunt frigidæ primo~~ gradu, ſiccæ ſecundo. Siccando enim excrementa partium putrida valenter abſumunt, molleſq́ue partes, & laxas durant, & denſant, multaq́; adſtrictione cogũt. Cor, ſtomachum, reliquumq́; ventriculum, & hepar roborãt: quapropter exhilarant, colorem cutis, odorem oris, & ſudoris commendãt: corpus floridum & iuuenile diu tuentur, tremori cordis conferunt, hæmorrhoidibus commodant. Purgant ventriculum bile, ab eaq́; tertianam, & reliquas febres biliosas & ardorẽ extinguunt, præſertim citrinæ. Hæ enim præter cæteras ſunt cholagogæ: ob id calidis & bilioſis naturis ſalubres.

** Temperatura & facultas.*

*Chryſobalanus Galeni cùm calore digerat, eſſe nequit myrobalanus citrina de qua vide noſtra ſimplicia.*

Eædem omphacio, vel aqua roſarũ, vel ſucco fœniculi maceratæ, confricatæ, oculum tergent, intemperiem eius calidã auferunt. Earum quoq; puluis tenuiſsimus, per ſe quidem delachrymationem ſtringit, oculum ab humore multo laxiorem iuuat: cum maſtiche verò, vlcera ſiccando ſanat. Cepulæ verò ſunt phlegmagogæ, ventriculum purgant, & roborant, ratio-



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0080-0

nalem animæ partem vegetant, viſum [& ſenſus alios] acuunt: præſertim conditæ, hydropi & febribus diuturnis conducunt. Nigræ melancholiam purgant, & bilem vſtam, tremori, triſtitiæ, lepræ, quartanæ, & cæteris affectibus melãcholicis proſunt, coloremq; cutis viuidum efficiunt. Quia verò dictæ myrobalani omnes obſtructionem promptè excitant, in corpore obſtructioni opportuno, & villis ventriculi, & inteſtinorũ facilè adhærentes, ceu rugis quibuſdam ea exaſperant, non dentur obſtructioni obnoxiis: aliis verò dentur cum diureticis, vel infuſæ ſero lactis, vel ſucco fumariæ, vel cum abſinthio, agarico, rhabarbaro, ſpica nardi. Oleo autẽ amygdalarum dulciũ, vel roſato, vel violato, vel ſeſamino imbutæ & confricatæ, vel cum amygdalis dulcibus, aut vuis paſsis, aut harum melle tritæ, vel cum caſsia, vel manna, vel tamar Indis, vel violis conditis, vel alio leniente medicamento ſumptæ, ventriculum & inteſtina leniunt, & citò per ea lubricãt, etiam ſi quibuſdam aliter viſum eſt: neq; ampliùs his adhærent, aut rugas inducunt. Hæc verò ipſarum incommoda ſic emẽdabis, & ſaporem delicatum acquires. Tritas æſtate merges oleo amygdalarum dulcium, confricabis, & lubricas reddes in vmbra, ſiccabis ſole, affuſoq; identidem oleo confricabis: idq; triduo cùm feceris, altero deindè triduo aqua ſaccharata, vel ſero lactis parùm ſaccharato, aliquandiu merſas, in ſole iterùm ſiccabis, affuſoq; frequenter eodem liquore confricabis, coges in trochiſcos, in vmbra ſiccabis. Alij ipſarum tritarum partem vnam diebus octo macerant ſero lactis caprini, in vaſe vitreo oris anguſti: deindè ſemel feruefaciunt, manibus confricãt, colant, aqua deindè ſiccata trochiſcos, vel catapotia fingunt. Hisque addunt nonnulli medicamenta purgantia benigna. Hæc vel illa pro ſcopis & indicationibus variis. Datur citrinarum tritarum puluis à drachmis duabus, ad drachmas quinq;: maceratarũ verò expreſſum, à drachmis quinq;, ad drach. viginti. Indarum & cepularum puluis à drach. duabus, ad drach. quatuor: expreſſum infuſarum à drach. quatuor, ad drachm. decem. Ne ſume flante Borea: & his ſumptis, piſcibus abſtine. Veruntamen harum decoctum promptiùs, & valentiùs obſtruit, quàm maceratarũ expreſſum. Aſſæ item ipſæ minùs purgant, potentiùs conſtipant, & adſtringunt, & his magis vſtæ. Harum quoque tritarum puluis quò tenuior, eò vehementiùs adſtringit: maceratarum verò expreſſum, minùs adſtringit, omnium maximè

*Caſtigatio.*

*Electarium Alharil prius idem habet in Antidotario.*

mè

*Id repetet in Conditis.*

mè purgat. Ob id eas infundimus,quādo ſolam vacuationem expetimus. Cepulæ verò conditæ purgāt quidē minùs,partes nutritorias roborāt magis:non cōditæ contrà.Cōdiuntur autem vel recētes,ſi harū eſt facultas:vel ſiccæ,ſed induſtria humectatæ. Recentes quidem,denſæ,ſtylo confixæ,poſteà igni lento coctæ,quantum ſufficit:aqua deinde expreſſa , vno die ſuper tabulā ſiccantur,pòſt mulſa biduo macerantur,igni lento percoquuntur , vaſe vitreo reconduntur ,poſt ſex menſes vtendæ,ſi verò ſiccæ ſint,aqua ſub ſole dies octo macerentur: deinde in dolio,vel alio vaſe magno vel foſſa in arenis humidis tertio quoq; die mutandis ſecretas,identidem aqua irrigabis,donec tumefiant:reliqua vt priùs perſequere.

### *De emblicis.*

CAP. III.

EMblicæ parum frigent,ſiccant ordine primo,pituita etiā putri ventriculū purgant eumq; & cerebrū,neruos,cor, hepar,& partes laxas conſtringendo roborant,ob id tremori cordis conferunt,appetentiā inuitant,vomitū ſiſtunt,furorē & latratus eius cohibent,vim animæ rationalē augent,calorem viſcerum inſigniorē & inde natam ſitim extingunt. Præſtantiores ſunt magnæ,carnis multæ,denſæ,graues,oſsium paruorum:largius purgant,& rugis ventriculo minus incommodant,ſi aqua in ſole macerentur, donec humectatæ tumefiāt.

*Nutritio.*

Poſteà expreſſæ mulſa biduo macerantur,igni lento coquuntur:vbi coctæ refrixerint,mellis albiſsimi parte quarta exceptæ reconduntur: aromatibus quoque, cinnamomo,xylaloë, cardammo,croco,gallia,& ſimilibus nonnulli condiunt. Eæ etiam lacte manè & veſpere mutato,macerantur triduo , ſiccantur vento,& in vmbra,& reconduntur.

### *De bellericis.*

CAP. IIII.

BEllericæ etiam ſunt benignæ,& roborant : frigidæ primo gradu,ſiccæ ſecundo,cætera emblicis viribus proximæ. Optimæ ſunt magnæ,multa & denſa carne,graues.

### *De Rhabarbaro.*

CAP. V.

**Rhabarbarum, hoc à rha pontico veterum diuerſa res eſt,priſcis incognita. Paulo tamē in podagra bis adhibetur.*

*RAbarbarum etiam clemens,& excellens eſt medicamentum,multas dotes medicamento purganti maximè expetitas complexum.Calidum ſiccū ordine ſecundo po-

tiùs,

*Miſtum rhaponticum ex terreo frigido adſtringente conſtat: acrem quoque & calidam ſubſtantiam vbi multum eſt manſum, oſtendit, tenuem eius ſubſtantiā & aëream raritas & leuitas oſtendunt Gale.*

*Rheo ſuo veteres Græci vim purgatricē nō adſcripſerunt. Rheon hepaticis, nephriticis torminibus, lieni, pectori, veſicæ vitijs, vētriculi dolori, imbecillitati, & inflatiōi ſalubre Dioſc. Alias quoque vires ſuo rheo tribuūt Dioſcori. & Gale. de quibus hîc non putaui dicēdū.*

**Mumiæ et rubiæ nō ita valētiū medicamentorum menſura hic eſt parcior, vt mendi ſuſpicio ſit, præſertim cum Auicē. (quē Meſ. paſſim eſt ſequut⁹) rubiæ drachmam vnā rhabarbaro miſceat, ca. de rubia, & lib. 3. in curādo abſceſſu calido hepatis. Rha ex locis ſupra Boſphorum, ſeu ſupra Pontum afferebatur, ex India nullum. Rhaponticum ſimile coſto nigro, ſed minus & paulò ruffius Plin. vel centaurio magno ſed minus nigro colore, crocum dum manditur, aliquo pacto referente Dioſcorid.*

tiùs, quàm primo, ſubſtantia duplici cōſtat, vna aquea, terrea, adſtringente, corpus dante, profunda: altera aërea, & ignea (à qua rarum efficitur) ſuperficiaria, quæ ſuam terreā, eſſentiam adurendo amarum effecit, & purgatorium, & obſtructa liberans. Has autē ſubſtantias macerando ſeparamus, vt calida & purgatrix in humorē transferatur, terrea verò adſtringens remaneat. Bilem verò pituitamq; illa vacuat, præcipuè à ventriculo & hepate, & inde ſanguinem purgat, obſtructiones liberat, & affectus inde natos ſanat, icterum, hydropen, ſplenis tumorem, febres putridas, etiam diuturnas, dolorem hypochondriorum punctorium. Hac verò hæmorrhagiā pulmonū, vel aliarum partium ſiſtit: ex caſu quoq; ictu contuſa, rupta, fracta, interna, & externa ſanat, ſi eius drachmas vnà cū*mumiæ granis duobus, & rubiæ tinctorum grano vno & dimidio, & vino auſtero bibatur. Oleum quoq; eius cōtuſis & contractis muſculis vtiliter illinitur: ſingultum itē & dyſenteriam ſanat, præcipuè aſſum, & cum ſucco plantaginis & pauco vino auſtero potum. Rhabarbarum quoddā eſt Indicū, alterū Barbarum generis nomine appellatum, tertium Turchicū, omnium ignobiliſsimum, vt Indicū eſt præſtantiſsimū, præſertim ſi recens eſt, & ſubnigrum, in rubrum inclinans: ſi rarum, tamen graue, ſi fractum ex rufo & glauco, alternat: ſi manſum, vel aliquo liquore ſolutum, croci modo tingit. Indigenæ ipſum dies quinq; aqua macerant, qua ſiccata, trochiſcos fingunt regibus. Reliquum verò etiam ſiccatū, ſed iam exanimatum, & vi purgatrice tota, aut propè tota priuatum, venale ad nos tranſmittunt. Hoc autem eſt denſum, valenter adſtringens, croci colore non inficit, confractum intus nigricat, amiſſa colorum dicta varietate. Innoxium eſt rhabarbarum, omni tempore tutò datur, omni eſt ætati ſalubre, atque adeò pue-

**Spicæ veræ radix afferri cœpta ex India, miſceri tutò poteſt, ſi vires eius ſpectes in Gal. etiã ſi rhabarbarum illis parũ egeat. Quibus affectibus cõuenit rhabarbarũ infuſum, Tritum. Aſſum, Vſtum. Poteſt igitur coqui rhabarbarum, nihil tamen nimis: coquendo autem vis in liquorem abit purgatoria.*

*† Tres in Meſuæ legendum puto, nec tam ſtupidus fuit, vt ad drachmas decem daret, vt omnes eius codices habēt. Quæ menſura ſi Meſuæ placuiſſet, à drach. ſex, ſeptem, vel circiter, ad drach. decē ſcripſiſſet, nō à drachma vna & dimidia, interuallo ſcilicet inter hæc immodico, nec Meſuæ conſueta vt cæteras doſes intuenti apparet: triti drachm. quatuor multæ ſunt.*

ris & prægnantibus. Efficaciùs autem agit ſumptum ex ſero lactis, præſertim caprini: aqua quoq; intybi & apij, vel plantaginis cocta, & colata maceratũ idq́; omninò cum*ſpica nardi, actionem eius imprimis iuuante, expreſſumq́;. Quod ſi ad liberandas obſtructiones propinandum eſt, vini albi, puri, & odori, modicum macerãdo admiſceatur, expreſſumq́; eius tũc ſumatur, & cùm deterſione ac purgatione opus eſt. Quòd ſi poſt purgationem viſcera adſtringẽdo roborari volumus, puluis eius triti datur: ſi adſtrictio maior expetitur, aſſum datur: ſi maxima, vſtum.

Rhabarbarum legitimum & integrum, aliquãdiu teri coquiq́; viribus integris poteſt, rariori autem & laxiori vehemẽs contritio & coctio virtutem reſoluit.

Datur expreſſum à ſeſquidrachma ad drach. †tres: tritum verò, à drachma vna ad drach. quatuor. Annos tres aut quatuor integrum incorruptumq́ue ſeruatur, ſi cera ſola, vel cera cum terebinthina liquata circumlinatur, aut melle albo, aut pſyllio, aut milio mergatur.

*Cùm alia res ſit rhabarbarum Meſuæ à rheo veterum, etiam Manardo medicorum ætatis noſtræ doctiſsimo: mirum mihi eſt, cur ex Dioſcor. Plin. Gal. rheo ſeu rechomate teſtimonia contra Meſuæ rhabarbarum opponat.*

## *De Caßia fiſtula.*

### CAP. VI.

CAſsia fiſtula*calido frigido temperata, niſi quòd paulò eſt calidior, humida primo gradu, clementer & innoxiè à ventriculo bilem & pituitam purgat leniendo, febribus inde ortis confert, ſanguinem hac ratione puriorem reddit, ac eius ſanguinis, & bilis flauæ acrimoniam frangit, reſoluit thoracis

**Caßia ſyrinx, id eſt, fiſtula Græcorũ, eſt quã hodiè caßiã ligneam vocant, aut verius quod de cinnamomo venditant. Caßia verò hæc nigra, & cathartica, eſt Arabibus inuenta: pulchrè Actuario deſcripta, ſalubris ſanis, & ægris, ad aluum clemẽter lenienda.*

& pul

& pulmonis, & aſperæ arteriæ phlegmonas, easque partes lenit ipſa morſus expers, ſitim ſedat, præſertim ſumpta cum ſucco intybi, vel cichorij, vel ſolani arte depurato. Intemperiem denique renum calidam mitigat, cum diureticis ſumpta, & glycyrrhizæ decocto, ob idque calculum in his gigni prohibet. Deligenda eſt fiſtula inſigni, plena, ob id graui, ſplendente foris ac etiam in pulpa pingui, quæ recens ſumenda eſt potiùs quàm vaſis ſeruata: ſi autem viſcera ſunt ſicciora, caſsiæ lubricitas augenda eſt oleo amygdalarum dulcium: ſi debilia & lubrica ſint, minuenda myrobalanis vel rhabarbaro, vel aqua cum maſtiche cocta, vel ſpica addita: ſi ad vias vrinarias ferri eam volumus, vretica miſceantur. Quoniam verò tardiùs & imbecilliùs purgat, acre aliquid (quale thymum, hyſſopum) actionem eius intendens miſceatur, aut potiùs aliquid medicamentorum valenter purgantium: efficaciusq; purgat hæc, ſi ex ſero lactis propinetur. Tam eſt benignum & innoxium hoc medicamentum, vt omni ætati, & ipſis etiam pueris & prægnantibus tutò ſumatur.

*dum quouis tempore tutò ſumitur, etiam initio epularum, aut paulò ante cœnã. Saccharo recẽs condita Italis affertur ad eoſdẽ vſus, nondũ Gallis. Vires ſeminis quàm pulpæ internæ maiores Manardus tribuit, Muſa negat, ego periculũ nondum feci.*

*Huius doſim Meſues omiſit, quod ſit medicamentum tutiſsimum: hodie datur, cortice, membranis, & ſeminibus per cribrum purgata, ab vncia dimidia ad ſeſcunciam, vel drach. decem mane vel ante cœnam: ſed paulò ante paſtus duos tres proximos, etiam drachmis duabus tribus, quatuor datur his, quibus eſt aluus natura pigrior. In quem vſum quibuſdam iucundius eſt pulpam lata culteli cuſpide exceptam, deuorare. Conditam ſaccharo ab indigenis dum recens eſt, oſtendunt Veneti, & Luſitani. Quam autem vim purgatoriam tribuit Manardus ſemini ipſius, maiorem ſcilicet, quàm pulpæ ipſi, non recipiendam confirmat Muſa ſuo multiplici experimento. Cortex verò huius ad menſes mouendos, aut partum iuuandum inefficacior eſt multò, quàm caſsiæ aromaticæ: de qua nos in ſimplicibus.*

### *De Tamar Indis.*

CAP. VII.

TAmar Indi dactyli ſunt acidi, fructus palmæ ſylueſtris Indicæ: medicamentum quoque excellens ac innocens,

*Tamar Barbaris eſt da-*

*Elylus ſunt Tamarindi palmæ cuiuſdã ſylueſtris India fructus ſemine proximo caßiæ. Res etiam noua eſt, priſcis indicta.*

*†Tertio, Auer. De his verò multa in noſtris ſimplicibus.*

vt frigidum ſiccum ordine† ſecundo. Ob id humorum acrimoniam reprimit, bilem purgat, eiusq́ue & ſanguinis feruorem furoremq́; compeſcit, febres acutas lenitione egentes & icterum ſanat: ſitim ac omnem ventriculi hepatisq́; ardorem extinguit, vomitum ſiſtit. Præcellunt ſubnigri, ſplendentes, teneri, villis ſeu radicibus quibuſdam permiſti, recẽtes, pingues, dulcacidi, ſynceri. Adulterantur carne prunorum, ſed obſcura nigredo dolum detegit: prætereà humiditas largior & prunorum tum odor, tum ſapor. Quidam ſiccos vino puro humectant, vt recentes videantur. Ne ventriculum frigidum lædãt, cauetur miſtis hunc roborantibus, ſpica nardi, mace, maſtiche, ſucco abſinthij, fœniculi, apij intybi, cichorij agreſtis. Actionẽ verò eorũ imbecillam intendit, ſerũ lactis caprini, vel ſuccus fumariæ, lupíve ſalictarij. Macerantur autem ſextuplo prædictorum liquorum, vel aliorum ſimplicium, aut compoſitorum, vt triplicis granati: deinde manibus fricantur, pòſt ſemel ferueſiunt: poſtremò colantur, donec potio ſit liquida & clara, præſertim quando flammeum calorem citiùs extinguere libet: quando etiam roſæ, ſantala præcipuè, citrea, ſpodium ſimul cum his macerata, vt potentiùs refrigerent. Non colati quoque dantur, quando potentiùs ardor ille extinguẽdus eſt. Addunt quidam prunorum par pondus. Mediocriter coqui (viribus ſeruatis) poſſunt, ſi opus eſt, quas tamẽ immodica coctio adimit. Ob id verò, quòd imbecilliter purgant, ab vnciis duabus ad quinque propinantur. Annos tres ſeruantur in vaſe vitreato bene obſtructo, & in locum purum & perflatilem ſepoſito, niſi externus vel calor vel humor putredinis initium ipſis attulerit.

## *De Manna.* CAP. VIII.

*Galeni eſt mel aërium ſeu roridũ.*

MEl eſt ros frigore noctis æſtiuæ concretus, ex halitibus à terra & aquis Solis calore ſublatis æſtate, id eſt, die calido ſicco, ac deinde exactè tenuatis & coctis. Manna eſt ros ex vapore elato, & cocto in aëre temperato, fœcundo, lætis aſpectibus cadens ſuper quaſdam plantas & lapides, à quibus duæ ipſius differentiæ ſtatuuntur. Quæ enim lapidibus incidit, guttarum aut ſeminis modo coagulatur: quæ ſi recens, dulcis, alba, aut ſaltem ſubcitrina, eſt melior: mala verò, antiqua, fuſca, cœnoſa. Quæ plantis, harum tum facultatem aliquam aſſumit, tum foliis & floribus eſt permiſta, neque id nimis:

mis: quæ ſi prætereà recens eſt, & ſubalbida, eſt melior. Temperata eſt, aut paulò calidior, guttur, thoracem, ventriculum lenit, terget, bilem clementer purgat, ſitim ſedat. Adulteratur ſaccharo, & folliculis ſennæ: ſed hæc tempore maturari eget, dumq́ue molleſcit, & liqueſcit, dolum prodit. Quoniam verò imbecilliter vacuat, præſertim cruda (cocta enim citiùs agit) thymo & hyſſopo, vel alio, vis eius vt caſsiæ intenditur. Valentibus autem medicamẽtis miſta, eorum actionem reddit meliorẽ, cùm ſuo dulci ſapore illa naturæ magis familiaria reddat. Ob id eam Galenus † ſcammonio miſcuit, quod à poſterioribus eſt laudatum: alij deinde turbith, alij aliis. Datur à drach. ſex ad drachmas quindecim: annum ſeruatur.

*Calida humida primo gradu Auerroi.*

*† Mel, rem mannæ congenerem miſcuit Gale. vbi autem mannā non legi, niſi in libris falsò illi adſcriptis.*

## *De ſero lactis.*

CAP. IX.

SErum lactis calidum ſiccum gradu primo vſque ad ſecundum lauat, tenuat, nitroſa ſua ſubſtantia obſtructa aperit, terget, purgat clementer, & ſine morſu bilem flauam & vſtos humores: ob hæc maniæ, melancholiæ, impetigini, pruritui, lepræ, vlceribus malignis, & cæteris cutis vitiis, morbis omnibus obſtructiones ſequentibus, vt hydropi, ictero, febribus à bile putridis, lienis tumori, ſerum optimum eſt lactis caprarũ nimirùm nigrarum, bonis pabulis nutritarum, recens fœtarũ, recens, iucundi odoris & ſaporis, & ſui non alieni, non corruptum: ſecundum in bonitate eſt bouinum. Eo ferè medicamenta alia maceramus, eſt innoxium: ſed cùm ſit imbecillum ad purgandum, cum melle & lupi ſalictarij germinibus, vel floribus, ſanguinem potentiùs purgat, bile flaua & humorib. aduſtis: prætereà cum myrobalanis, rhabarbaro, tamar Indis, caſsia fiſtulari, fumariæ ſucco, aut ſemine roſarum, aut violarum ſucco. Cum myrobalanis, cepulis, hyſſopo, thymo, agarico, bilem & pituitam vacuat. Cum myroba. Indis, epithymo, polypodio, melancholiam, & alios humores vſtos. Cum aſaro, iride, aquas ſeroſas educit, addita ſemper ſpica ipſius actionem intendente: ſed cum cichorio agreſti, intybo, caſſutha, lingua arietis, volubili, ſpica, rhabarbaro, abſinthio, eupatorio, aſaro, fumaria, apio, fœniculo, amygdalis amaris, ſcolopendrio, ſeminibus quatuor, & aliis etiam diureticis, obſtructiones potẽtiùs aperit. Fit autem ex lacte ebutyrato, ſeu à quo eſt pingue innatans ſecretum, quando lubricitatis cauſam ex partibus ex-

*Particeps caloris libr. 3. alim. frigidũ autẽ & humidũ lib. 4. ſimplic. ca. 16.*

*Vim ſubducẽdi aluum ſero lactis tribuit Dioſco. & Gal. in alimen. & ſimp.*

*Hæc ei etiã tribuit Dio.*

cretoriis auferre volumus:ex lacte non ebutyrato,cum partes eas lenire magis & lubricare ſtudium eſt. Datur ab vnciis ſex ad libram vnam.

*Hemina Dioſ. ſextario vno pueris: duobus viris, Paulus.*

## *De Roſis.*

### CAP. X.

ROſa eſt frigida primo gradu,ſicca ſecundo, ex ſubſtantiis diuerſis etiam ſeparabilibus compoſita:aquea quidẽ mediocri & terrea, adſtringente, materiam ei multam præbente:aërea verò dulci & aromatica:ignea deniq; tenui,à qua eſt amaritudo,rubor,perfectio,& forma. Igneæ tamen ſubſtantiæ vis,quæ ruborem & ſpeciem impreſſit, valentior fuit, quàm quæ amaritudinem. Ob id hæc ſola ſiccatione perditur,illis adhuc permanentibus:quæ ſi perierint,non magis roſa fuerit,quàm homo mortuus eſt homo: recentes tamen ſunt amaræ magis:quàm adſtringentes. Ob eamq; amaritudinem roſæ recentes ſucco præſertim purgant: ſiccatæ verò reſoluta caliditate amaritudinem excitante, ſubſtantiam ſtypticam & conſtipantem oſtendunt. Succus autem roſarum calidus eſt propè ad primum gradũ, quia eſt à ſubſtãtia terreſtri & frigida ſecretus:purgat,reſoluit, aperit, terget. Sicca verò roſa eſt frigidior,& magis ſtyptica,& ea magis,quæ nõ fuit perfecta: & alba magis quàm rubra. Roſa præterea reſoluit, intemperies calidas extinguit,partes cogendo & conſtipando roborat: id autem ſemine & pilis in calicis medio inuẽtis maximè.Cùm autem roſæ ſint rubræ,& albæ,& ambæ foliorum multorum vel paucorum,criſporum vel planorum:in vtroque genere eſt præſtantior,cui color genuinus eſt perfectior, & folia adſunt pauca & plana. Albæ nihil aut minimùm purgant,potentiùs adſtringunt & roborãt,quàm rubræ.Succus completarum eſt melior,idemq; & aqua,in qua ipſæ recentes & perfectæ ſunt maceratæ:purgat bile flaua ſanguinem venarum & arteriarũ: confert ictero,quia obſtructiones ventriculi & hepatis aperit & expurgat.Cor,ventriculum,hepar roborat, cordis tremorẽ ſanat,vacuata eius cauſa. Febribus bilioſis confert. Eaſdẽ partes roborat oleum roſatum & aqua ſublimando ex roſis educta.Cogendo ſubſtantiam ipſarum laxam, facultatem reten-

*Rubor ſignũ inſeparabile eſt formæ roſarum rubrarum manentis, non cauſa.*

*Vnguẽtum roſatũ ſoluit aluum Dioſc.*

*Experimur roſas bilẽ et aquas purgare, etiãſi veteres id tacuerint.*

*Roſæ partes Plin. folia, flores, pars lutea, caput foliorũ partes candidæ vngues dicũtur, florũ ſemẽ capillus, sũt partes capitis, caput, calix*

*Incarnatæ vulgò dictæ ambarũ ceu mediæ odoratiſſi. & purgantiſſimæ ſunt initio. Damaſcenas albiſſimas purgatiſſi. ſcribit Manard.*

tricem roborant, inflammationem omnem extingūt, & ab ea dolorem ſedant, ſomnum conciliant: coryzam tamen & ſternutationem excitant, catarrhis obſunt: vuam ſtringūt, & guttur, & roborant ea, crapulam auferunt. Roſa cùm ſit medicamentū benignum, ſed ad purgandum imbecillum, adminiculis quibuſdam eget, vt ſero lactis, melle: ſucci enim roſarū vncia vna cū ſeri lactis vnciis duabus, aut tribus, & pauca ſpica, cōmodè vacuat: foliorū quoq; ſero lactis infuſorū, cū pauco melle expreſſum, ſine moleſtia purgat. Syrupus quoq; ex ſucco roſarū, & roſis ipſis eſt clemēter purgatorius. Oleū verò roſatum valentium medicamentorū, vt ſcammonij euphorbij, acrimoniam potu obtūdit, & noxam à ſiccitate myrobalanorum corrigit: vt oleum violatum, amygdalarū dulcium, ſeſaminum, omphacinum. Roſæ melle conditæ tergent, purgant, roborant: ſaccharo autem, minùs tergent, magis roborant, & adſtringunt. Aqua cui infuſæ ſunt roſæ, mundum facit, terget, purgat: per ſublimationem verò facta, multùm roborat, non purgat: quia ſubtilis eius caliditas igni eſt diſſoluta. Acetū roſatum inflammationes omnes ſedat, incîdit, purgat, roborat. Roſæ, præſertim recentes, coctionem nullam ſuſtinent: facultas enim earum tergens & purgatoria, mox igni reſoluitur, remanet adſtringēs iam manifeſtior. Succus autem earum mediocriter coquendo fit tenuior, & potentiùs terget. Oleū præſertim omphacinum cum roſis imperfectis inſolatum, valentiùs refrigerat, & adſtringit. Oleū verò dulce ex maturis oliuis expreſſum, vel ſeſaminum cum roſis perfectis inſolatum, potentiùs reſoluit. Datur roſarum ſuccus ab vncia vna ad vncias duas: ſyrupus autem cum ſucco earum factus, ab vnciis duabus ad vncias quinque.

*Mel roſatū.*

## *De Violis.* CAP. XI.

VIola recens, eſt frigida, humida ordine primo: ſiccata, minùs tum frigida, tum humida. In recente enim excrementoſa, in ſuperficie humiditas purgatrix lubricando caliditatem obtundit, perfectionis ipſius, & formæ cauſam. Hęc autem ſiccando reſoluta cùm eſt, caliditas priùs obruta emicat, & ab ea ſapor amarus, fitq; trahendo purgatrix. Viola recens refrigerat, narcoticorū ritu dolores calidos ſedat, inflammationes omnes extinguit, aſperam arteriam & thoracē lenit, & purgat bilem flauam, & ab ea calorem extinguit, & ce-

*Multiplex recentiū infuſum purgat, & eo magis ſemē.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0089-4

phalalgiam à cauſa calida:ſomniferæ ſunt,conferunt vuæ,cynanchæ:præter cætera verò pleuritidi, & cæteris tumoribus thoracicis:phlegmonem hepatis,obſtructionem eius ſiccam, icterum,valde iuuant,& febres ſymptomaticas ſeu inflammatorias:ſitim ſedãt,ſed coryzam excitant. Melior eſt viola matutina,cuius virtutem neque ſolis calor reſoluit, neque pluuia diſsipauit. Cùm imbecilliter purgent, additur à quibuſdam violarum parti dimidium turbith,ab aliis ſcammonium,& finguntur trochiſci. Violæ & oleum violatum, vt medicamentorum vehementiam obtundant,ipſis adduntur,ſuccus violarum,& ſyrupus leniendo ſoluit. Violæ melle conditæ magis tergent,minùs refrigerant:cum ſaccharo contrà. Nec violæ, nec harum ſuccus, multam coctionem ſuſtinent. Acetum violatum,febrium ardorem mirè ſedat. Oleum ſit omphacinum,aut amygdalinum,ex quo oleum violatum fiet. Dantur potu expreſſo ab vnciis quatuor,ad vncias octo. Succus ab vncia vna,ad vncias duas. Syrupus violatus ab vnciis duabus,vſque ad vnc.quatuor. Conditum violarum, ab vnc.vna & ſemiſſe ad vncias tres.

## *De abſinthio.* CAP. XII.

*Abſinthium Ponticũ.ſeu Cappadocũ Dioſcor. & Gale. dicitur. Meſuæ Romanum, vt in noſtris ſimp.probauimus.*

*†Tertio Galen.*

*Chalagogã vim Dioſc. etiã & Galen.tribuũt.*

ABſinthium cũ ſit multiplex,Romanũ eligimus, foliis albis,læuibus,& planis,nõ aſperis odore iucũdo, abſinthiũ marinum nihil imitante,lectũ in terra libera, calidum ordine primo,ſiccũ† ſecundo,in quoto etiam calet flos. Conſtat ſubſtantia duplici,vna calida,amara,nitroſa,purgante, obſtructa liberante:altera terrea ſtyptica,partes cogendo roborãte, largiore præſertim ſiccatũ. Cùm autẽ ſubſtantia eius calida ſit ſuperficiaria vbi ſumptũ eſt abſinthiũ,ab ea prior fit actio: à terrea ſtyptica poſterior,per quam comprimendo ventrẽ ſoluere nonnulli malè ſunt opinati. Bilem enim flauam,& aquas à ventriculo inteſtinis,hepate,venis,vacuat etiam interdũ per vrinas. Pituitam verò aut nõ vacuat, aut maximè paucã, licet phlegmagogũ quoq; ipſum Auenzoar cenſuerit. Abſinthium à putredine vindicat,præcipuè potu quotidiano vnciæ vnius, vel duarũ,vini aut aquæ,cui infuſum vel incoctum fuerit, vel aquæ ex eo ſublimatæ. Siccum idem pãnis interpoſitũ à tineis & vermibus vindicat,& tutos reddit. Partibus attritis,aut contuſis præcipuè cum melle aut vino, & pauco cymino calfactum,& appoſitũ mirè confert. Si vino itẽ,aut aqua, aut oleo,

cui abſinthium, radix cucumeris agreſtis incocta fuerint, ſpongia merſa & expreſſa temporibus alligatur, hemicraniā ſanat. Auris quoq; ſuffita vino aut aqua, cui incoctū ſit abſinthium, dolore, tinnitu, ſurditate liberatur. Acetū item autē aut vinum cui incoctum ſit abſinthium, cum cortice citri, oris fœtorem à gingiuarum & dentium, vel materiarum in ventriculo, putredine emendat. Idem præſtat aqua eius diſtillata. Succus abſinthij cū nucleis perſicorum, vermes aurium, & aliarum partium enecat, & educit: ſed maximè hoc electuario lumbricos enecat, abſinthij vnciæ duæ euphorbij drachma vna & dimidia, cornu cerui vſti vnc. dimidia, mellis quantum ſufficit. Ex abſinthio, fumaria, paſsis vuis purgatis, myrobalanis citreis, potio fit commoda contra pruritum & ſcabiem. Abſinthium vētriculum & hepar roborat, appetentiam excitat, obſtructiones tollit, & inde natos affectus, vt icterum, hydropem: febribus putridis etiam diuturnis confert. Abſinthium innocenter ſumitur, ſucco tamen lædit ventriculum ob nitroſum ſaporem. Quia autem imbecilliter ſoluit, roſæ fumaria, ſerum lactis, ſpica vuæ paſſæ purgatæ, illi miſcentur, vt meliùs & tutiùs purget. Colligitur vere, & ſuccus ex eo, vere medio præſertim: extractus, ſole vel calidis cineribus in vaſe vitreo ſiccatur, vt aloë, aqua ex eo vt roſis & aliis ſublimando deſtillatur eodem vere: flos verò æſtatis principio legendus: mediocrem ſuſtinet decoctionem. Abſinthij decoctum vel infuſum bibitur ab vnc. quinq;, ad vnc. octo: ſuccus à drach. tribus, ad drac. quatuor: puluis à drach. duabus, ad drach. tres.

*Capitis dolorem facit Dioſcor.*

*Deſtillanda calore vaporis aquæ feruentis vt odorem, ſaporem, vires retineat, nō ignis primò.*

*Iſemen drach. ſex cum marinæ aquæ ſextario purgationis gratia antiquos dediſſe, teſtatur Plinius. Dioſcoridi thoracem purgat cum iride, & icterum, inappetentiámque ſanat.*

## *De Stœchade.*

### CAPVT XIII.

STœchas laudatior Arabica, * eſt herba foliis tenuibus, oblongis, ſtipite gracili, cinericio, cubitali, flore ſpicarum ſiliginis æmulo, breuiore, ſine ſemine, calida receſſu primo, ſicca ſecundo: duabus conſtans ſubſtantiis, vna terrea, frigida, ſtyptica, & ea pauca: altera ignea, tenui, modicè amara, acri multùm: tenuat, terget, purgat, reſoluit, aperit hæpatis & lienis, & aliorum viſcerum obſtructa: ſa-

**Eſt etiam Gallica ex inſulis Stœchadibus ad Maſsiliam, Græcis laudata, facultate tamen purgatricæ ab his omiſſa.*

*Tenuat, terget, obſtructa aperit, menſes ciet: viſcera omnia et corpus reliquũ roborat, thoracis dolores & alios affectus leuat hyſſopi modo Plin. Gal.*

putredinem prohibet, omnes internas partium intemperies, præſertim cũ materia, corrigit cerebrũ, neruos, cor, & alia viſcera parteſq; omnes internas vi pauca adſtringẽte roborat, Purgat autẽ bilẽ atram & pituitã etiã ex cerebro, neruis & ſen ſuũ inſtrumẽtis, eaſq; partes roborat: omnibus frigidis affectibus eſt ſalubre, fotu, lauacro, potu. Oleũ quoq; ſtœchados cerebrũ, & neruos calfaciendo, ceu vitã illis reſtituit. Sumpta ſtœchas cũ ſcilla vel aceto ſcillite, epilepſiam & vertiginẽ iuuat. Cũ lapide Cyaneo, aut ſale Indo, aut aliis valẽtibus, cõfert melancholicis affectibus, quibus timor & mœror comes adeſt. Cum ſucco autẽ bugloſsi, aut pomorum dulcium affectus cordis melancholicos iuuat, dolorẽ neruorum, iuncturarũ muſculorũ, ſedat, quouis modo adhibita: ſuffitu nariũ obſtructionẽ expedit. Syrupo, vel alia forma ſtœchas ſumpta, quartanis, & reliquis diuturnis febribus, præſertim pituitoſis, ſuccurrit. Calidis ſiccis, bilioſis, pręſertim quibus multa bilis flaua in ventriculo redundat, eſt noxia, quia turbat ventriculum, & ſitim, vomitũ, ardorem moleſtũ excitat. Quia imbecilliter purgat, ipſi additur pars ſexta ſalis, & ſalis gẽmæ: additur & myrobalanus nigra aut cepula, vt valentior eius fiat actio: & ſcilla præcipuè in capitis affectibus: itẽ ſero lactis macerata, vel cocta, fit potẽtior: cũ vuis autem paſsis purgatis ſucco pomorum dulcium cocta, innocentior. Oleũ vetus cũ ſtœchade & pauca ſpica factum, eſt efficax. Pars ſtœchados potior eſt flos, paucam decoctionem ſuſtinens: longiorem verò eius folia floribus: ignobiliora. Potatur ſtœchados decoctum ab vnciis quinque, ad vncias ſeptem: puluis autem à drach. tribus, ad drach. quinque.

## *De Fumaria.*

### CAPVT XIIII.

*Auic. frig. p gra. Amara acris, acerba, purgatrix, Gal. Cholagoga etiã Pli. vretica. Dioſc. & Gal.*

FVmaria in ſuperficie calida eſt, in profundo frigidior, nõ abſolutè frigida cum quibuſdam, ſicca ordine ſecũdo. Ab illa autẽ ſubſtantia calida (quæ ſemini maior ineſt) eſt amara & ſubacris, purgatoria attenuans, penetrãs, obſtructa aperiẽs. A frigida autem ſtyptica conſtringendo, ventriculum, hepar, & cætera viſcera laxiora & molliora roborat. Quapropter ad actionem nullo externo eget auxilio, cùm per ſe purget ac roboret. Purgat verò bilem & vſtos humores, etiam ex venis: clarum ob id & purum ſanguinem efficit. Ob id mirè prodeſt morbis omnibus, hos humores ſequentibus lepræ, ſcabiei, prurituι, impetigini, ſerpigini, & ſimilibus cutis vitiis. Quia

item

item obſtructa liberat, morbos omnes indè natos ſanat, vt febres bilioſas putridas. Herba eſt innocens, quia tamen magna vbiq; copia luxuriat, vileſcit. Flore eſt nunc ſubalbo, cinericio nunc, nunc pallido, violaceo. Optima eſt viridis, tenera, foliis teneris, planis, non criſpis, flore ſubuiolaceo. Herba & ſuccus eius initio veris ſunt efficaciſsima, ſemen veris exitu. Quoniã verò imbecillius purgat, fortior euadet cum myrobalanis, ſena, ſero lactis, paſsis vuis ſemine carentibus, melle ex his paſsis. Succus extrahitur vt ſuccus abſinthij, in vaſe vitreo diu ſeruari poteſt, oleo ſuperfuſos ſuccus* datur ab vncia dimidia, ad vncias duas: puluis à drachmis tribus, ad drach. quinque: decoctum ab vnc. decem, ad vnc. quindecim.

*Aëtius tutò dari febriẽtibus ait.*

*Lachrymas quoque educit fumi modo, vnde illi nomẽ ſed viſum acuit.*

**Auic. dat ad vncias octo: alij etiã ad plures innoxiè propinant.*

## *De eupatorio.*

CAPVT XV.

EVpatorium † herba eſt cubitalis, eximiæ amaritudinis, foliis, centaurij parui, viridibus, aſperis, inciſis: caule tenui, quæ ſiccata flaueſcit, floribus ſubluteis oblongis. Quibuſdam herba pulicum dicta, ob lentorem ei adhærentem, calida eſt gradu primo, ſicca ſecundo: duplici quoque cõſtans ſubſtantia calida tenui, qua bilem & pituitam facilè purgat, tenuat, incìdit, terget, expurgat, putredinem prohibet, reſoluit ſine attractione, obſtructiones tollit, & morbos ab his natos ſanat, febribus diuturnis mirè ſubuenit. Altera eſt terrea adſtringens, qua ventriculum, hepar, & cætera viſcera cogendo roborat. Cùm ſero lactis efficaciùs purgat, per ſe enim eſt imbecillum. Herba colligitur, ſuccus exprimitur, vt ex abſinthio fine veris. Decoctum eius datur ab vnc. quatuor, ad vnc. ſex, puluis à drach. duabus, ad drach. tres. Eius penuriâ abſinthij & aſari ana pondus dimidium.

*†Nec eupatoriũ vulgare, folio cãnabis, nec verũ, agrimonia dicta, eſt ſed conyzæ ſpecies videtur intelligi.*

*Cum Meſues diuerſum à Græcorũ eupatorium pingat, huius vires ex Græcorum eupatorio non ſunt expendendæ.*

## *De epithymo.*

CAPVT XVI.

EPithymum thymo, thymbræ, cuidã ſpeciei origani, ſupercreſcit caſſuthæ modo: duplex id eſt, Creticũ, idemq; præſtantius, præcipuè capitulis florulentis, ſubrufum, acre etiã odoratu abſolutum, graue. Alterum Syriacum, minùs rufum, ignobilius, vt etiã pallidum & ſubcitrinum, calidum ſiccum ſecundo. Duplici ſubſtãtia compoſitum, terrea pauca, parùm

adſtringente, & ignea acri, melancholiam præter cætera, tanquã prærogatiua quadã, facile & citra moleſtiã purgante (ac etiam pituitæ aliquid quorundam ſententia. Humores quoque aduſtos paulo videtur vacuare, ſed falsò, non enim eos ab hoc vacuari inueni) ob id affectus melancholicos potiſsimùm capitis melancholiam, epilepſiam, deſipientiam, timorem, vertiginem, cephalalgiã melancholicam: ſyncopem quoque cardiacam, cordis tremorem, & affectus alios cordis melancholicos. Obſtructionem lienis & morbos inde ortos ſanat, & melancholiam hypochondriacam, obſtructiones renum, cancrũ, lepram, vlcera nigra, quartanã, vſu multo ſanat, nam tenuat, reſoluit, obſtructiones aperit, viſcera roborat. In calidis & ſiccis naturis non vtendum: quia calorem immodicè auget, ac inde ſitim excitat. Imbecillius & tardius purgat, niſi largiùs ſumatur, aut cum myrob. Indis, aut pauco elleboro nigro, aut mulſa, cum pauco ſale, aut vuarum paſſarum decocto, cum ſale præſertim gemmeo, vel Indo, vel Naphthico, aut ſero lactis caprini, vel pipere aliquo, zingibere, vel alio acri: ſic enim citò ac facilè purgat. Sumendum autem omnino eſt, vel cum oleo amygdalarum dulcium, vel decocto vuarum paſſarum ſubpurgatarum, vt leniendo aluum magis ſubducat, & ne ſubſtantia nitroſa partes lędat quas permeat, Parum diu coqui ſuſtinet. Datur decocto à drach. quinque ad drach. viginti: puluere à drach. tribus ad drachmas ſeptem: cauendo æſtatem.

*Epithymum Arabum velut caſſuta thymi eſt, vt etiam hyſſopi, ſatureiæ & ſampſuchi ſæpe vidi. Quod ſine radice Plin. ait, à Græcorum epithymo re & viribus eſt diuerſum Manardus caput hoc loco interſerit de tymbra ſeu ſatureĩa, quod non habent exemplaria noſtra, multáque idem in pleriſque notat, quæ deſideramus.*

## *De Thymo.*

### CAPVT XVII.

THymus quibuſdam hyſſopus hortenſis videtur, aliis origani ſpecies. Planta eſt multis caulibus, gracilibus, ſemicubitum altis: foliis origani, minoribus, in ſummo minutis in capitula quædam ſubpurpurea coëuntibus. Flore calaminthes in rubrum inclinante, cui epithymum innaſcitur.

Cali

Calidus ſiccus receſſu ſecundo, aut potiùs tertio cum Galeno. Calfacit, tenuat, incidit, reſoluit, obſtructa aperit, flatus etiam craſſos diſsipat. Pituitam clementer educit, & vt † quibuſdam placet, etiam melancholiam ſed imbecilliter & cum ſale gemmeo vel Indo. Illam verò pituitam etiam craſſam & lentã, potiſsimum à thoracis partibus & reſpiratoriis euocat, & à cerebro. Ob id harum partium & neruorum affectibus frigidis & pituitoſis mirè ſuccurrit, vt aſthmati, tuſsi, dolentibus à frigido pulmonibus, præſertim ex ipſo ſyrupus, vel decoctum, vel oleum ex eius flore incoctis factum: quod etiam viſum acuit, & ſanitatem conſeruat. Partes neruoſas calore ſuo roborat. Suffitu autem dolorem auris & tinnitum flatuoſum ſanat. Saluberrimus eſt ſenibus, & contra hyemis frigidæ humidæ iniuriam: appetentiam excitat, coctionem iuuat, cũ nitro & melle lumbricos necat, menſes ac vrinas mouet, rigori febrili prodeſt. Caliditas eius vehemens aliorum miſtione obtunditur, ſiue coquatur cum paſsis vuis, ſiue aceto infundatur, ſiue mulſæ cum pauco ſale gemmeo, purgationem eius augente. Decocto eius mannæ drachmæ ſeptem diſſolutæ, clementer & quantum ſatis eſt, ſubducunt. Coctionem & trituram mediocrem ſuſtinet. Quod ſi tenuius pulueretur, penetrat magis, & vrinas largiores mouet, deiectionem verò minorem. Datur decocto à drach. quinq; ad drach. decẽ: puluere autem à drachmis duabus ad drachmas quatuor.

*Galeno lege, non cum quibuſdam exemplaribus Dioſco. apud quem nulla eſt graduũ definitio. Gal. autem thymum calidũ ſiccũ ordine tertio ſcribit libro 6. ſimpl. & capita reliquarum virium latius hîc explicatarum addit.*

*† Cum ſale & aceto pituitam per aluum purgat Dioſco.*

## *De Hyſſope.*

CAP. XVIII.

HYſſopus duplex, hortenſis & montanus: ille ſemicubitalis, caulibus & ramis paucioribus, quàm thymus: foliis thymi, ſed maioribus: flore purpureo: hîc breuior & foliis minoribus. Hyſſopus eſt calidus ſiccus ordine ſecundo, vel potiùs tertio. Pituitam etiam craſſam & putrem purgat, ſed minus quàm thymus. Thoracem & pulmones parteſque alias reſpiratorias pituita eadem, & humoribus aliis putribus & pure expurgat, & tenuando, ac incidendo tergendoque ſputum facilè reddit. Ob hæc aſthmati, tuſsi à materiis prædictis eſt ſalubre, & epilepſiæ pituitoſæ, cæteriſque cerebri affectibus pituitoſis: præſertim ſumptus ſyrupo vel decocto cum oxymelite ſcillitico, & cum origano, etiam in omni ætate expertus: coctionem quoque iuuat

pro

propter hæc reſpirationem leuat, & cutis colorem floridum efficit. Coctus cum vino, hepatis, & lienis, & aliorum viſcerum tumores reſoluit ſumptus, & cum ficubus, & iride, & nitro admotus: lumbricos necat, cum ficubus coctus: cum aceto autem vel oxymelite, dolorem dentium ſedat: ſuffitu autem aurium tinnitum diſsipat. Nam tenuat, terget, digerit, flatus diſsipat. Odore & ſapore acerrimo eſt præſtantior, præſertim qui habilior eſt, & quo tempore florere incipit, quando etiam colligēdus. Imbecilliter purgat, niſi cardamomum, & ius miſceatur, aut cum manna, vel melle, vel vuis paſsis purgatis, vel ſcilla coquatur. Mediocrem ſuſtinet coctionem & trituram, vt thymus. Datur decocto à drach. ſex ad drach. decem, puluere à drachmis tribus vſque ad drachmas ſeptem.

*Cum oxymelite & ſale eſt phlegmagogus Plin. craſſos humores per aluum vacuat Dioſcor. valentius autem cum ficis cardamo, vel iride, vel eryſimo.*

## *De Prunis.*

### CAPVT XIX.

PRuna aluum ſubducunt, & alterant: ſed alba, flaua, rubra, minus ſunt medicamentoſa, quàm nigra: quorum, quæ μύσα, id eſt, dulcacida ſunt, alterant magis. Dulcia verò ſoluunt largiùs, tamen vtraque alterant, & ſoluunt, magis ſcilicet & minùs. Damaſcena verò, & Armena, vtrunq; præter cætera præſtant: humida tamen potiùs quàm ſicca, quæ etiam in ventriculo promptiùs quàm ſicca, corrumpuntur. Dulcia calido frigido temperata, aut paulò frigidiora, humida ordine ſecundo: μύσα, id eſt, dulcacida frigida, principio ſecũdi. Omnia tamen lauant, leniunt, refrigerant: bilem educunt, ob hæc duo bilioſis, tum febribus, tum morbis aliis ſunt ſalubria: ſtomacho nocent, pauci ſunt alimenti: quia imbecilliter ſoluunt, eis adduntur præſertim infuſione, Tamar Indi, caſsia fiſtula manna, violæ conditæ. Ex horum ſucco fit ſyrupus, & ex carnibus electarium in eadem ſalubre Armeni truncum pruni arboris locis duobus vel tribus palmæ vnius interuallo tenuiter perforant: immiſſoq; ſcammonio lutant, pruna ob id purgantiora euadunt. Dantur ſucco ſeu decocto cum ſaccharo ad libram vnam

## *De Pſyllio.*

### CAPVT XX.

PSyllium purgat leniendo, alterat. Eſt vel album vel nigrũ, vel ſubpurpureum: duabus ſubſtantiis compoſitum, medulla, ſcilicet interiore, calida, ſicca ordine quarto, acri admodùm, incidente, rubrificãte, vlcerante, venenoſa: cortice verò frigido multùm, ruffus autẽ frigido humido ad gradum tertium, vel potiùs cum Dioſcor. ad ſecundum. Nam res frigida ſimul & humida, ſecundum gradum nõ tranſcendit, vt inquit Hippocrates in Epidemiis. Vbi & Galenus ait rem humidam non tranſire metam, quam hominis victus aſſequitur. Ob id humidum per ſe non eſt dolorificum: ſed tantùm copia diſtendente & continuitatem ſoluẽte. Aqua frigida maceratum & agitatum eſt cholagogum, ob id febribus bilioſis eſt ſalubre, & inflammationibus thoracis. Thoracẽ quoq; lenit, ſitim extinguit. Cum aceto autem agitatum, phlegmonas, eryſipelata, herpetas, & cæteros tumores calidos extinguit, & harum dolorem ſedat: præſertim cataplaſmate impoſitum. Sic & cephalalgiam calidam mitigat. Frixum verò, & (vt dixi) conquaſſatum, fluorem bilioſum, dyſentericum, à medicamento acri, vt ſcammonio, excitatum, ſedat cum oleo roſaceo ſumptum vel iniectum. Ex pſyllio ſic macerato cum aqua fontana frigida, & quaſſato: muccoſa potio, præcipuè cum oleo violato, aut ſyrupo violato, aluum ſubducit. Deligẽdum maturum: magnũ, graue, & quod aqua mergatur. Datur potu à drach. vna, vſque ad drach. tres. Non ſumẽdum autem quibus viſcera ſunt imbecilla, neque etiam tritum. Nam ſic ſumptum ſubſtantia medullari detecta vlcerat, & excoriat.

*Auic. libr. 2. cap. 1.*

*Venenũ tota ſubſtantia potius quàm calore, videtur etiam Græcis frigidum ſolùm ſtatuẽtibus, ob id rarò ſumitur.*

*Galenus frigidum ſecundo gradu, humidi & ſicci medium. Dioſcorides & Hippocrates graduum non meminerunt. Ex libro igitur aliquo, qui falsò Dioſcoridis aut Hippocratis titulo circumferebatur, hæc ſumpſit, quod qua ratione ſit excuſandum, in præfatione docui.*

## *De Adianto.*

CAP. XXI.

ADiantum album, capillus veneris, vel hominis nemoralis, vel fontium, vel coriandrum putei dicitur: foliis eſt coriandri viridibus, tenuibus, cauliculis ſemicubitalibus, ſetarum porcinarum modo tenuibus, colore ex rubro nigreſcente, præ

*Adiantum album, vulgò capillus veneris.*

te,præſertim circa radicem,& vbi iam adoleuerunt,ſine flore,in puteis,fontibus,& aquoſis:temperatus eſt,aut temperato proximus:conſtat ſubſtantia aquea & terrea, ſed tenui modicè,eaq; ſtyptica:altera verò ſuperficiaria,calida,tenui admodum,ob quam virtus eius facilè reſoluitur. Quia virtus imbecilla à ſubiecto imbecillo promptè diſsipatur. Hac autem tenuant,obſtructa aperiunt,digerunt, ventrem ſoluunt,præſertim recentes:ſicci enim conſtringendo fluxum ſiſtunt:bilē verò flauam,& pituitam ventre toto & hepate:humoresq; craſſos quanuis imbibitos etiam ex thorace & pulmone ſcreatu educunt,reſpirationem ob id liberiorem reddunt, ſanguinem clarum reddunt,& inde colorem commendant,& partiū prædictarum dolorem leniunt,obſtructiones hepatis,lienis,tollūt: ob id ictero & morbis omnibus obſtructionem ſequētibus infuſi,præſertim aqua apij,& intybi,aut decocto cicerum nigrorum,aut ſeminum quatuor,aut ſero lactis. Cum oleo autem chamæmeli ſtrumas delent. Syrupus ex his, pleuritidi, peripneumoniæ prodeſt, vrinam mouet. Decoctum eorum calculum frangit,purgat vterum à partu.

Parte verò ſtyptica fluxiones cohibet, † ſanguinem ſiſtit, ventriculum & ventrem reliquum roborat, ne excrementa promptè recipiāt:roborat etiam capillorum radices,ob id eorum defluuium ſiſtit:quinetiam pilis partem replet,præſertim cum oleo myrtino,aut oleo ladani,& vino ſtyptico. Idē præſtat puluis eorum vſtorum,cinis ipſorum vel decoctum ex vino furfures abigit lotione, fiſtulas lachrymantes ſanat. Imbecillitatem eorum in purgando corrigunt violæ,caſsia fiſtula,manna,ſerum lactis:paruam ſuſtinent decoctionem. Meliores ſunt bene habiti,foliis virentibus: ſtrigoſi enim,& flaueſcentibus foliis inutiles. Dantur decocto ad aluum ſubducendam,libra vna.

*Græci nullā vim purgatoriam tribuunt.*

*Abſolutè ſtrumas etiā, id eſt, ſcropulas Dioſcori. & Gale. etiam delēt, ſed rectè oleū addit Meſues.*

*Plin. nigro præcipuè vim ſaxifragam tribuit, & ob id etiā appellatione.*

*† Sputum ſang. Dioſc.*

*pota ex vino ventriculum roborāt eidē. Achoras, id eſt, tineam cum lixiuio ſanat, Dioſco.*

*Minora & rotundiora hederaceis, Dioſco.*

*† Cytini Dioſcori. ſed etiam rectè Meſues.*

## *De Aſaro.*

### CAP. XXI.

ASarum herba montana, foliis vt hedera anguloſis, floribus † hyoſcyami. Tota planta eſt aromatica,& guſtum mordens. Radice præcipua, præſertim magna odore tenui,ſapore acri,& parum ſtyptico. Calida ſicca ordine tertio,vel potiùs cum Dioſcoride calida ſecundo,ſicca tertio. Tenuat,reſoluit, obſtructa aperit,hepatis lienis,& horū duritiē ſoluit,&

affe

affectus alios inde natos, febres putridas & diuturnas, icterũ, hydropem, præſertim vino infuſum. Purgat vomitu, & deiectione, & vrinis bilem, ſed pituitam manifeſtiùs, etiam exilibus, iſchio, & aliis articulis: ob id harum partium dolores mitigat, præſertim infuſum, vel aliter exhibitum. Oleum aſari cũ ladano ſpinæ illitum ſudores mouet, & rigorem febrilem inhibet. Vrinas mouet, ſemen auget. Valentiùs agit cum ſero lactis, ſpica & hydromelite. Muſtum his radicibus conditum, poſt tertium menſem hydropes & ſplenem ſanat. Mediocriter coqui & teri poteſt: & quo tenuius eſt tritum, eò magis vrinas mouet, minùs autem aluum ducit. Datur infuſo ab aureis duobus ad drach. quatuor: puluere autem à drach. vna, ad aureos duos.

*Aſarì radices ellebori albi modo purgant, & alia præſtant. Crateye, Dioſc. Plin. Aſari vnc. tres muſti heminis 12. miſcet Dioſ. ad lotium, hydropem, iſchiadem, icterũ. Drachma ſeptẽ dat Dioſco.*

*Validiorem aſarum acoro calido ſicco gradu tertio Galenus ſcribit.*

## *De Iure Gallorum.*

### CAP. XXIII.

GAllorum & gallinarũ iuuenum mediocriter pinguium caro, alimenti eſt inter aues optimi, quia facilè in ſanguinem vertitur, & parum excrementoſa eſt. Caro autem gallinarum eſt melior quàm gallorum, niſi ſint caſtrati. Nigrarum quoq;, & quæ nondum pepererunt eſt melior, & leuior, vt gallorum qui nondum coierunt. Decrepitorum autem præcipuè gallorum caro nitroſa & ſalſa, cibo inepta, medicamentoſa eſt iure ſuo maximè: potiſsimum verò gallorum ruforum, qui ad motum ſint alacres, ad coitum ardentes, ad dimicandũ fortes, obeſorum & macrorũ medij, quoq; vetuſtiores, eò magis ſunt medicamentoſi Galeno. Id ius ob nitroſam & ſalſam ſubſtantiam calidum eſt, lauat, terget, tenuat, flatus diſsipat, cum ſemine anethi, vel dauci, & polypodio, & ſale gemmæ coctum: & dolorem ventriculi, cœli, iliium, renum, à flatibus ortum ſedat, obſtructa aperit. Purgat pituitam quidem cum turbith, & cnico, ob id confert arthriticis doloribus ex hac natis. Melancholicam verò cum epithymo & polypodio, & cum iiſdem atque thymo, hyſſopo, anetho, & ſale gemmæ, arthriticis confert. Gallus autem furfure à Galeno nutritus, aliis etiam melle & pauco ſale, plurimum fatigetur vel à nobis venan

*Ius gallorũ aluum ſubducit, gallinarũ aſtringit. Gale. Quidã braſſicam marinã, mercurialem, cnicum, polypodium incoquunt, vt vacuẽt humores craſſos, lẽtos, crudos, nigros, Dioſco.*

venantibus, vel potiùs dimicando decapitatus, & exenteratus cum ſale, aut ſale gemmæ, igne lento, aqua† ſufficiente coquatur ad duarum aquæ partium conſumptionem: aliis atq; aliis ſimul incoctis pro variis medicorum ſcopis. Potatur eius decoctum ad libras duas.

*† Sextarijs 20. Dioſcor. congijs 3. Plin. reducatur ad tres cotylas, id eſt libras.*

## *De Volubili.*

### CAP. XXIIII.

*Ciſſampelos videtur Dioſcori. Gale. Pauli.*

Volubilis multæ ſunt ſpecies. Vna enim eſt magna lactaria, funis arborum dicta: flore albo campanæ æmulo. Dioſcoridi eſt temperata, vel paulò calidior, ſicca ordine ſecundo, reſoluit, maturat, terget, ſoluit, aperit orifica vaſorum, ob id datur cum tragacantho, maſtice, ſpica nardi, ſero lactis: obſtructionem venarum meſaraicarum & hepatis liberat: ob id ſanat icterum cum ſucco apij, & intybi, vel ſero lactis: bilem vſtam clementer purgat, ob id febres putridas, præſertim bilioſas diuturnas: thoracem, & pulmonem excrementis repurgat, ob id aſthmati confert, phlegmonem hepatis externã iuuat: præſertim cum polenta & oleo roſaceo, & aceto. Cephalalgiam antiquam, præſertim cum oleo roſato aut chamæmelino, & aceto, ſuccus eius aurium vlcera ſanat. Secunda eſt parua, foliis & floribus minor, ſuper terram & aliarum plantarũ ramos ſerpit. Tertia etiam lactaria, foliis ſubalbis, lanuginoſa, immodicè calida, incìdit, vlcerat, & ita ſoluendo ſanguinem educit. Ob id prorſus vitanda, tanquàm venenoſa. Quarta eſt foliis citreoli modo aſperis, flore foliaceo, ſquammatim compacto [quod ſicut ampulæ adhærentes, malè vertit interpres] Lupulus vocatur temperatus, vel potiùs frigidus principio ordinis primi. Sanguinem bile flaua modicè purgat, eumq; clarum reddit, & ſedato eius calore temperat, præſertim ſero lactis infuſa: iterum ſyrupus ex eo ſanat, febribusque bilioſis & ſanguineis prodeſt. Ipſa quoq; & ſuccus eius cum ordei polenta cephalalgiam calidam ſanat, & ventriculi, ac hepatis intemperiem calidam. Cumq; tam ſit efficax medicamentum, mirari ſubit, cur à noſtræ tempeſtatis medicis in vſu tam rarò habeatur. Quinta eſt radice bryoniæ, aut maiore cucurbitulæ magnæ inſtar, caule bicubitali, foliis anguſtis, paruis, in ſagittæ pennatæ modum figuratis, leui cauſa deciduis, lactis præter cæteras fœcunda, quo fit ſcammonium, ob id domina lactariarum vocatur, calida ſicca ordine ſecundo vel potiùs cum

*Vbique frequens.*

*Periclimenus eſt potiùs quàm clematis altera Dioſco.*

*Lupus Plin. dicitur, & lupus ſalictarius.*

*Flores huius cereuiſiæ largiùs incocti caput tẽtãt.*

Galeno tertij principio: in eiuſdem verò fine ſuccus ipſius lacteus, idemq; acer, & mordax magis, quàm cæteræ ipſius partes, minùs quàm tertia: tergetque ac reſoluit, vt mox in ſcammonio audies. Hæc & magna cæteris præfertur, præſertim ſi ex locis ſint temperatis. Huius denique radice cum oleo roſato, vel chamæmelino emplaſtrum, cephalalgiam frigidam, & antiquam, ac hemicraniem ſanat. Decocti primæ dantur vnc. quatuor, infuſi autem in ſero lactis libra vna.

*Helxinæ vel hederæ folia molliora triãguli figura, floris albi, rotundi, cãui, calathi forma* Dioſcor.

*Conuoluuli, ſeu volubiles, & quæ vicinis plantis ſe implicant, ſunt ſimilax, læuis, aſpera, hortulana, clematis duplex, cyclaminus altera, & aliæ non paucæ Dioſcoridi.*

# DE MEDICAMENTIS

## violenter, & moleſtè purgantibus, iiſdemq; deleteriis.

***

*Scammoniæ propriè plãta: ſcammoniũ, liquor & ſuccus.*

### *De Scammonio.*

### CAP. I.

SCAMMONIVM EST MEDICAmentorum purgantium maximum, vt purgatorij nomine ſimpliciter pronuntiato, per ἀντονομασίαν, ſcammonium intelligatur, vt ait Democritus. Eſt autem lacteus ipſe ſuccus: poſtremę volubilis natæ in Antiochia, Armenia, regione Scenitarum, Arabia, Turchia. Plurima etiam apud nos naſcitur, ſed praua, loci (opinor) natura, & colẽdi modo, & arte conficiendi. Quibus tribus euadit hæc bona, alia mala. Fit autem multis modis. Primo, cùm primùm radix ſuper terram extiterit pars eius non euulſæ: quæ terræ ſuperemi net inciſa, ſuccum quẽdam gummeum quotidie remittit, qui ſiccatus ſeruatur. Deinde radix omnino euulſa inciditur, lacq; inde profluens ſiccatur, vel igne lẽto, vel Sole, & in offas quaſdam formatur, & obſignatur. Colore autem eſt ſubalbo, vel vario. Poſteà taleolæ radicum tritæ exprimuntur, & ſuccus, vt dixi, ſiccatur, ſigillo notatur. Nunc autem bonitatis fides per ſigilla hæc periit: eſt autẽ hæc craſſa, nigra, grauis. Sunt etiam,

*Colophoniũ Plin. ex Myſia Aſiæ Dioſcor. laudatur.*

*Syriacũ & Iudaicũ, malum, dẽſum, graue,* Dio.

*Reſecatur radicis caput in cauũ, quo liquor colligendus eſt. Alij liquorẽ excipiũt folijs iuglãdis ſuffoſſam foueam tegentibus.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0101-6

qui ex foliis & caulibus tritis ſuccum extrahunt, & quo dixi modo, ſiccant, coguntque: ſed hic ex nigro vireſcit, eſtq; odoris tetri. Præſtantiſsimum eſt Antiochenum, præcipuè, quod primùm ſumma radice inciſa exudat: reliqua hoc inferiora: viride peſsimum. Secundas tenet Armenium. Noſtras verò, & quòd ager Scenitarum mittit, omnino prauum eſt, etiã quod primum profluit. † Sit autem clarum gummis modo, aut ſubalbum, aut varium: præcipuè quod primùm effluxit. Idem fractũm, ſaliuæ aut aquæ attractu lacteſcit. Sit præterea tenerum, & friabile, pulueratuque facile, leui pondereo, doris proprij, ſed boni, non tetri. A' quibus notis quantò magis recedit ſcammonium, tantò eſt deterius. Viginti annos ſeruatur, ſed quò antiquius, eò imbecillius. Calidum eſt ac ſiccum, ordine tertio, acre minus tamẽ quàm planta ipſa, acrimoniæ, opinor, parte per artem fracta & obtuſa. Eſt etiam amarum, incîdit, terget, purgat, bilem flauam ex ſanguine attrahendo, etiam à remotiſsimis partibus: tanta eius eſt ceu furioſi vehementia. Cor, ventriculum, hepar inteſtina lædit, reliquaq; viſcera conturbat, ventriculum ſubuertit, appetentiam deiicit, nauſeam mouet, ſitim excitat. Ex ſcammonio autem myrrha, coſto, croco, omphacio, opio pauco, cum vino auſtero fiant trochiſci drach. vnius pondere. Quibus ex vitello oui & aceto forti ſolutis, & illitis, fronti quidem ac temporibus, cephalalgia frigida vetus, & hemicrania ſolutu contumax ſanatur: denti verò, eius dolor & roſio ceſſat: ſtrumis autem, præſertim cum ſucco apij vel dauci, eas diſcutit: *occipiti deniq; cum ſucco ſiſymbrij & aceto caron & lethargum magnopere iuuat, ſi opij loco habuerint caſtorium. Scammonium item cum lana ſubditum menſes mouet, & abortum facit. Scorpionis ictum cum ſucco menthæ aut vino illitum ſanat. Non ſumendum igitur calidis & ſiccis naturis, & febricitare paratis. Sumpto autem eo, frigus, æſtus, fructus præſertim frigidi, aqua frigidior, ſomnus longior, exercitatio, ira [& cæteri vehementes animi affectus] vitantur. Noſtris corporibus valde noxium eſt ſcammonium, quod flatu mordaci ventriculum ſubuertit ad nauſeam, & moleſtè turbat. Id quod ne contingat, coquitur in pomo, præſertim cum dauco, galanga, ſemine apij, fœniculi, & ſimilibus.

*Secundum Prienẽſe alijs.*

*† Taurino glutini ſimillimum, ſplendẽs, nitidum, decorum, rarũ, fungoſum, tenuiſsimis fiſtulis, ſpongieſum.* Dio. *Plin. quàm leuiſs. citò liqueſcens, virus redolens* Pli. *lingua, & cum diluitur albeſcẽs, ſed linguam non vrens, quod tithymali ſucco adulteratũ facit.* Omnis *liquor & ſuccus plãta eſt valentior.* Ellebori *modo purgat et magis bilem* Pau. et phleg*ma* Dioſ. Stomacho bono *cet pluſquã cætera purgantia* Paul. *ob id ſal, piper zingiber vel aliud ſtomacho gratum miſcet.*

**Dat Paulus his, qui bono ſunt ſtomacho, & febribus carent.*

Iis

ſis enim coquitur vapor eius flatulentus, ſerranſque & mordens diſsipatur, & noxæ præterea eius aliæ miteſcunt. Deinde quòd calore vehementi corpus accēdit, & febres in eo ſi ad eas eſt paratum, accendit, ſitimque inexpletam. Ea autem noxa tollitur miſtis coquendo refrigerantibus, & acrimoniā eius flammeamque caliditatem frangentibus, muccagine pſyllij, ſucco & carne prunorum, ſucco & aqua roſarum, & violarum recentium, cydoniorum acido dulciū, rhoïs, ſpodio: oleo quoque roſato aut violato, ante coctionem eadem ratione inuoluendum. Tertio loco vehementer attrahendo venarum ora immodicè dilatat, vnde fluxus ventris ferè fit immoderatior.

Quod incommodum vitamus mixtis coquendo, quæ partium harum vires tuentur, & laxam ſubſtantiam cogendo roborant: qualia ſunt ſtyptica, quæ prætereà ſcammonij acrimo niam ſuperficiariam tollunt, tenuitatem & penetrandi facultatem reprimunt, vt maſtiche, ſuccus & caro cydoniorum, cydonium ipſum, myrobalani citreæ, aloë. Quarto dolores punctorios viſceribus rodendo adfert, ac inteſtinis rodendo excoriatis, dyſenteriam vel tineſmum excitat. Hæc ne fiant, medicamenta illi miſcemus, quæ tum citò ac clementer ipſum velut furioſum deturbent, & corpore expellant, tum virtutem eius ſerrantem & acrem obtundant. Prioris generis ſunt lubricantia, vt muccago pſyllij, caro prunorum, adſtringentia, vt maſtiche, cydonia poſt ipſum ſumpta, præſertim vbi iam purgare cœpit ipſum, eum celeriter deſcēdere ac egredi compellunt. Aqua quoque calida pota aliquandiu poſt ipſum ſumptum, furioſam eius vehementiā frangit. Idem pſyllij muccago cum aqua calente, extracta cum oleo roſato, ſumpta horis quatuor, vel quinque poſt ſcammonium, efficaciſsimè præſtat Rufo autore: addito horis pòſt duabus myrobalanorum infuſo, hæ enim ipſum citò deturbant. Secundi generis ſunt humida, pinguia, & lenta, vt tragacanthum, bdellium, oleum roſatum, & amygdalinum, & ſimilia. Poſtremò ſubſtantiæ ſuæ totius proprietate lædit cor, ventriculum, hepar, facultatum quarundam nos gubernantium ceu fontes quoſdam.

Quibus noxis per quædam proprietate & facultate contraria reſiſtimus. Quæ incommoda cùm ſint maxima, iis accuratè reſiſtimus, miſcendo quæ medicamenti actionem efficiunt tutiorem, & partes dictas facultateſque in his ſitas roborant, qualia ſunt medicamenta cardiaca, ſtomachica, hepatica,

tam calida, quàm frigida. In hanc quoque rem commodat nõ parum eius per artem præparatio, quæ Rufo ſic perficitur. Scammonium oleo violato aut roſato, aut amygdalarum dulcium toto propè die inuoluit, identidem reuoluendo: poſteà tritum inuoluit infuſo myrobalanorum citrearum, ex ſucco cydoniorum facto, donecque ſiccetur in ſcutellam reuoluit: tunc in malo cydonio coquit, formatque trochiſcos quarta parte drachmæ vnius graues, quorum ſinguli citra moleſtiam purgant. Vel ſeminis apij, fœniculi, dauci, ana drachm. duæ ſucco cydoniorum igni lento incoquuntur & colantur. Hocque ſucco ſcammonium, vt dictum priùs eſt, inuoluitur, & ſiccatur. Poſt in malo cydonio cum myrobalanorum citrearum propè dimidio coquitur eidem Rufo, non ſolùm minuenti, ſed etiam augenti, vel mutanti vires ſcammonij pro ſcopis variis, ſi affectus poſtulat, & res patitur. Galenus autem mannæ ſextuplo, & ſucci roſarum triplo, ſcammonium in malo cydonio probè coctum miſcuit: quo parandi modo multa eius nocumenta ſuſtulit, interdũ muccaginẽ pſyllij, aliquãdo cardiaca, aliquãdo alia, pro variis ſcopis. Hamech verò ex ſcãmonij parte vna, foliorum violarũ partibus duabus, glycyrizæ parte dimidia oleo roſato inuolutis, format trochiſcos drachm. vnius pondere, è quibus vnum exhibet. Humain quoque ſcammonium in oleo amygdalino cum pauca maſtiche diſſolutum in ſole biduo agitat, oleum paulatim & ſæpe affundendo: deinde in aqua roſarum, in qua bdellium fuit diſſolutum, biduo ſimiliter agitat, & ſiccat: poſt in malo cydonio coquit, & cum tertia parte myrobalanorum citrinarum, format trochiſcos. Dantur hi drach. dimidia. Paulus autem zingiber, piper longum, aniſum ſcammonio miſcens, coquendo in pomo acido, vel auſtero, innocẽtius efficit. Nos autem fruſtra ſcammonij amygdalis purgatis, & tritis inuoluta: foliis quoque quibuſdam tegimus, & ſub cinere calido coquimus: amygdalis deinde abiectis, ſcammonium in aqua cydoniorum acidorum (cui ſpica, aniſum, & alia quædam, tum aromata, tum ſemina odorata fuerint incocta) diſſoluimus: pòſt ſiccamus, & cum maſtiche, & bdellio coquimus in cydonio, vel pomo auſtero, maza circundato. Deinde trochiſcos cum æquali portione rhoïs, & quarta parte ſpodij formamus, vt priores longè optimos pondere ſcriptuli vnius. Dantur ſinguli, & purgant innoxiè. Idem ſcammonium poſtquàm oleo roſato, aut amygdalino

*Cum cydonijs miſcet Gal. lib. j. alimẽ. vbi autẽ cũ melle aërio, ſeu manna miſceat, nõ legi.*

lino eſt inuolutum, cum octupla miua, & pauca ſpica in pomo etiam coquimus. Aloë item ſcammonij violentiam frangit, & myrobalani præter cætera. Coctum etiam in ſucco portulacæ, vel muccaginis ſeminis eius, noxas multas exuit. Coquatur autem clementi calore: nam calor repentinus malignitatem eius auget, & parum diu teratur, quia trituram longiorẽ non ſuſtinet. Datur per ſe à granis quinq; ad duodecim.

*Alij accuratius terẽdũ contendũt.*

*Vltra duodecim grana & etiam ſcriptulum, ſine noxa quidam dederunt, obolis duobus aluum ſoluit Dioſco. interdum tribus, etiam duobus ellebori obolis, & drach. vna aloës, cum largius purgãdũ, aut ipſius per ſe drac. vna.*

## *De turbith.*

### CAPVT II.

TVrbith radix eſt herbæ lactariæ, folia ferulæ, ſed minora habentis. Eſt autem turbith quoddam hortenſe, alterum ſylueſtre: & in his magnum & paruum, & album, flauum, nigrum. In locis ſiccioribus, quia lacte eſt craſsiore, gummoſius euadit, & melius. Laudatur enim gummoſum, album, vacuum, arundinoſum, cortice cinericio & plano, recens mediocriter, fractu facile. Non gummoſum autem imbecillum eſt, ac ventrẽ conturbat. Malum quoq; eſt flauum & nigrum, craſſum & gracile, cortice criſpo, & dum frangitur intus ceu neruoſo: quod eſt ſylueſtre. Recens etiam minus viſcera conturbat, ac euertit: vetus imbecillum eſt. Corticibus extremis liquato gummi illitis, ipſum quidam mentiuntur: quod ſi frãgatur, intus gummoſum haudquaquàm erit. Calidum eſt ordine tertio, purgat trahendo mediocriter, flatus excitat, ventriculum ad nauſeam euertentes: ſiccat quoq; excrementis etiam tenuibus vacuatis. Correctum enim turbith pituitam craſſam & lentam, & putrem à ventriculo, thorace, neruis, etiam à remotis, præcipuè iũcturis educit. Ob id ad dolores arthriticos vſus eius eſt: à pſora, lepra, baras, & aliis vitiis pituitoſis, tum cutis, tum aliarum partium: & pituitoſis febribus, aut præſeruat, aut vindicat. Hoc autem ſumpto, vitabis auſtrum, & vſum piſcium. Purgat tardè & imbecilliter, & ſtomachum ad nauſeã ſubuertit, & vſu crebro corpus extenuat. Ob id cortex eius ad album vſque abradendus eſt. Acribus autem, vt zingibere, ſic eius actio intẽditur, vt proprietate quadam mi-

*Hæc Serapio etiã ſuo Turbith tribuit.*

rabili per id cumulatum, etiam à iuncturis & his remotiſsimis & profundiſsimis pituitam craſſam & lentam extrahat, cùm per ſe ſolam tenuem pituitam educat, idq́ue tardè.

Ne verò ſtomachum exagitet, ac euertat, medicamẽta ſtomachica miſcentur, & odorata agitationem eius placatura, vt maſtiche, zingiber, piper longum, gallia, & aromatica alia. Ne denique corpus emaciet, oleum amygdalinum, vel amygdala, vel ſaccharum ei miſcenda ſunt, vel cum Rufo piſtatia. Iudæus autem turbith partem vnam, zingiberis partem dimidiam, amygdalarum duplum, cũ condito vel ſiccato ſucco cydoniorum miſcet, tãquàm purgatorium ſalubre. Hamech verò turbith partem vnã, foliorũ violarum partes duas, zingiberis partem dimidiam miſcet in trochiſcos citra moleſtiam purgãtes. Ioannitius autem, dactylorum aceto dies duos infuſorũ, partes centum, penidiorum partes quinquaginta, amygdalarum purgatarum, partes triginta, turbith partes triginta quinque, ſcammonij partes duodecim, zingiberis, piperis longi, foliorũ rutæ ſiccorum, ana partes quatuor, miſcet cum melle deſpumato, & medicamentum fit mirabile. Sed filius Zezar, turbith partes decem: zingiberis partes quinq;: ſacchari partes viginti: interdum maſtiches drach. tres: aliàs alia miſcuit pro variis indicationibus, ad morbos hoc remedio egentes. Idẽ quoq; turbith à raſo cortice purgatum ſucco cucumeris agreſtis, horas viginti quatuor macerat & ſiccat. Fitq́; ſic valentiſsimum ad articulares affectus. Si quam in corpore noxam reliquit, pota mulſa calente, aut quæ ſaccharo rubro eſt dulcorata, aqua calida eam profligabis. Coctionem & trituram mediocrẽ ſuſtinet. Datur puluere à drachma vna ad drachma duas. Decocto autem à drachmis duabus ad drachmas quatuor.

*Turbith Serapionis eſt Dioſcori. tripolium folio iſatidis. Pityuſa autem Dioſco. turpet dicta folio pini: vulgare verò turbith eſt radix tithymali myrtitæ à myrtaceo folio, Meſuæ autem turbith folio ferulæ quid ſit, hodie parum eſt cõpertum.*

## *De Agarico.*

### CAP. III.

AGaricus medicamentum efficax oritur in truncis arborum maguarum, vetuſtate iam putreſcentium, & ero-



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0106-5

*†Mas rotundus, & vndiquaque ſibi coalitus, Dioſc.*
*Fœm ina mare melior, curſu venarum recto conſtat eidẽ. Dulcis vterque eidem.*
*Subacris & modicè ſtypticus Gal. albiſſ. fractu facile minimum lignoſus aut perforatus Paul.*
**Craſſos humores incidit obſtructiones viſcerum purgat. Gal. Vbi autem cætera hæc ſcribat, nondum legi.*

ſarum, tanquam earum vel apoſtema, vel fungus. Eſt autem his duplex mas,† & fœmina. Mas eſt malus præſertim qui longus, niger, durus, denſus, grauis, & in fragmentis ceu villos neruorũ oſtendit. Fœmina ſi rotundior, alba, poroſa, & rara valde, & frangi facilis, leuis, dulcis primo guſtatu, mox amara & ſtyptica, eſt melior, præcipuè ſumma corporis ſui parte. Nã ſtipes quòd ligni putrefacti aliquid præferat, malus eſt, vt eroſus agaricus. Calidus eſt ordine primo, ſiccus ſecundo, conſtatque ſubſtantia duplici, aërea ſuperficiaria, dulci primo guſtatu percepta: & terrea ſtyptica, ſed tenui ob vincentem in hac igneam ſubſtantiam, amaritudinis effectricem, quibus incídit tenuat, terget, obſtructa omnia liberat, flatus diſsipat, purgat. *Pituitam autẽ craſſam, lentam, putrem, & bilem flauam, & atram purgat Galeno, à cerebro, neruis, muſculis, ſenſoriis, ſpina dorſi: thorace, pulmone, ventriculo, hepate, liene, renibus, vtero, iuncturis. Ob hæc medicamentum familiæ Democrito eſt dictum, quòd ad omnes omnium partium internarum affectiones, præcipuè cephalalgiam veterem, epilepſiam, vertiginem, maniam melancholicam, & alios cerebri ac neruorũ affectus etiam cũ tumore coniunctos: ad aſthma item, & ſpirandi difficultatẽ, & thoracis, aut pulmonis vlcera: ad affectus ventriculi, & vaſorum aliorum: ad icterum, hydropẽ, lienis duritiem, & dolorẽ, & tumorem, tum ipſius, tum hepatis, & renũ & reliquos morbos obſtructioni ſuccedentes. Vrinam quoque mouet, ac menſes vterumq́ue expurgat. †Cutis colorem floridum reddit, lumbricos necat, iſchiadi, & cæterorum articulorum doloribus confert, & febribus diuturnis ex materia varia natis, easq́; ad typum aliquem reducit, præſertim potus cum idoneis illi materiæ aliis medicamentis. Viſcera reddit imbecilla, ob id tergẽtibus miſcetur, ne in ea virtus eius altius penetret. Tardè quoq; & imbecilliter vacuat Dioſ. niſi cũ tertia parte ſalis gẽmæ, & mãna in trochiſcos cogatur. Per ſe tamen eidẽ ſaluber dicitur ob ſubſtantiam & dulcẽ & ſtypticam, le-

*† Præfocationi vteri confert. In coxẽdicis, et aliorũ articulorũ doloribus cum oxymelite datur, et ad omnes inter nos affectus ſtomacho diſſoluto, per ſe ſi edatur. Phthiſicis cum defruto torminibus, cruditati, acido ructui Dioſcor. Tardè agit agaricus ventriculo parum moleſtus. Paulus non Dioſcor. noſter. Hos trochiſcos apud Gale. nondum legi.*

gitima portione miſtam. Humain verò mulſa ei vires,& celeritatem addit. Haly autem ex agarici parte vna, liguſtici, vel dauci parte ſexta, ſalis gemmæ parte quarta cum polypodij recentis muccagine trochiſcos virtutis mirè facit, quando eſt eo opus. Iudæus oxymelite ſcillitico vires eius auget, & acribus aliis. Galenus puluerem eius vino(cui infuſum eſt zingiber)macerat,& cogit in trochiſcos efficaces multum. Additur eadem ratione & ſpica & ſerũ lactis, præcipuè caprini. Coctionem & trituram mediocrem ſuſtinet. Datur pul. à drach. vna ad drach. duas: decocto à drach. duabus ad drach. quinq;, ſeruatur annos qu atuor.

*Pau. dat drach. duas cum mulſa, Dioſ. variũ pondus pro affectuum varietate.*

*Agaricus aut radix eſt cum Galeno, aut velut fungus quidam candidus, odoratus, nocte lucens, truncis ilicum & aliarum arborum glandiferarum truncis innatus.*

## *De Colocynthide.*

### CAPVT IIII.

COlocynthis eſt cucurbitæ ſylueſtris fructus, & planta, fel terræ etiam quibuſdam dicta,& Arabibus plantarum mors, quòd herbas alias ſibi vicinas veneni modo interficit: vt vicina illi terra aduſta videatur. Foliis, ſarmentis ſuper terram ſerpentibus, fructu licet minoribus, cucurbitam imitatur. In ea mas eſt foris lanuginoſus, nigricans, ſubaſper, durus, grauis: & fœmina præſtãtior, præſertim ſi eſt magna, exactè matura, alba, lenis, rara, leuis: vti eius interior medulla albiſsima, rara, lenis, & leuis, quoq; leuior, eò melior: ſitque ex agro laxo, arenoſo, libero, Autumno lecta, cùm langueſcente virore cœperit in luteum colorem mutari. Immatura, & his notis deſtituta mala, flatus torminoſos & moleſtiſsimos excitat immodicè purgat, vt etiam ſanguinem educat, & ſæpe mortem afferat. Peſsima eſt etiam ac venenoſa, quam produxit vnicam tota vna planta. Quæ planta ſi loco illo eſt vnica, multo pernicioſiorem fructum parit: præſertim ſi locus ille eſt vliginoſus, vel puluerulentus, vel thermis propinquus, vel ſerpentibus abundet. Calida eſt ac ſicca ordine tertio, ignea ſubſtantia & terrea per vſtionem tenuata [eximiè amara] conſtat. Pituitam & alios humores craſſos & glutinoſos, magis ex profundis partibus & diſtantibus, vt cerebro, neruis, muſculis, iuncturis, pulmone, thorace, quàm ex venis attractos, vt cenſet Dioſcorides, purgat: ac etiam bilem flauam, vt voluit Humain

*Id verũ in canonibus demõſtrauit, alij id parui faciũt.*

*Pituitam bilem, et ſtrigmenta Dioſco. purgat.*

*Palpa colocynthidis vacuat præcipuè bilem & muccos, nõ à ſanguine, vt elleborus & ſcammonium ſed à neruis & neruoſis partibus,* Paul. *non* Dioſc. *Danda quibus caput eſt læſum, et meninges, aut pericranios, vertiginoſis, hemicraniſis, epilepticis,*

main. Quapropter dictarum partium morbis mirè ſubuenit, cephalalgiæ, antiquæ, dolori cranij totius, hemicraniæ contumaci, epilepſiæ, apoplexiæ, vertigini, aquoſæ fluxioni in oculum, podagræ frigidæ, iſchiadi maximè, ac reliquis neruorum iuncturarumque affectibus: aſthmati item, ac tuſsi antiquæ, dyſponœæ ex thoracis repleti anguſtia. Ac prætereà ſummè omnium prodeſt colico dolori, tam à pituita, quàm flatibus, & hydropi. Omnia autem hæc ſiue ſumpta, ſiue clyſtere, aut balano inteſtinis immiſſa præſtat: vtero autem impoſita, fœtum necat. Eadem cum aceto forti affricta, alphos, lepram [pſoram] elephantiam ſanat. Oleum deni que ſuper cineres calidos incoctum cortici eius inanito, capillos illitu nigrat, eoſque ne cadant firmat, canitiem tardat. Idem auri inſtillatum eius dolorem ac tinnitum ſanat. Acetum autem ſimiliter incoctum colluſione dolorem dentium ſanat: incidit enim, tenuat, terget, digerit. Ne autem cordi, ventriculo, hepati, & cæteris viſceribus noceat turbando, ſubuertendo, violenter trahendo, miſcenda ei ſunt dictas partes roborantia, vt maſtiche, gallia, & ſimilia, vti miſcētur glutinoſa, lubricando citius deturbantia acrimoniam mordacem obtundentia: vt gummi, tragacantha, bdellium, maſtiche, & ſimilia, ne amplius vias vlceret [per quas fertur] & ora venarum adeò vehemēter aperiat, vt inde ſanguis manet. †Filius Serapionis colocynthidem mulsâ cui incocta fuerat ruta macerabat, ſiccabat, læuiſsimè terebat, ex mulſa prędicta dabat. Græcus quidã colocynthidem roſato oleo fricabat, & cum æquali portione ladani in catapotia formabat, vtilia prædictis affectibus. Ego autem eam minutiſsimè forpicibis incido, glutino, & muccagine tragacanthi aut bdellij perlino, ſicco, tenuiſsimè tero: cũ ladano, vel mulſa, vel maſtiche oleo roſato diſſoluta, in paſtillos cogo citra moleſtiam purgatorios. Quòd ſi noxam cor pori impreſſerit, mulſa, vel vuarum paſſarum decoctum, cum oleo amygdalino, vel oleo nucum, eam abolet,*

Longã decoctionē ſuſtinet, eſtq;, vt mihi cũ Serapionis filio videtur contra filij Zezar ſententiã, pulueranda tenuiſsimè, vt eius facultas malefica permiſta illi exquiſitè alia ple-

*apoplecticis cynico ſpaſmo, aſthmaticis, orthopnœicis.* Paulus.

*Cum oleo ſpinæ affricatũ lumborũ & coxarum dolores ſanat, & alia multa poteſt,* Dioſcor. Plin. Gal. Paulo.

†*Eius drac. vnã in mulſæ cyathis duobus cũ ruta coquit* Paulus *nõ* Serapio.

**Serapio parũ,* Paul. *et* Auic. *multũ teri volunt, quia aſperæ eius partes interioribus hærentes vlcerãt.* Pau. *ad drach. vnam, ſeu octodecim ceratia, id eſt, ſiliqua*

nius obtundatur, vtque viſcera celeriùs permeet, neq; in ipſis ob partium minùs tritarum craſsitiem ceſſet: qua fortaſſe fit, in viſceribus pigra retineatur, eaque vlceret, præſertim cùm ſenſu perceptibiles fuerint eius particulæ. Datur à ſiliquis ſex ad decem, frigus, & æſtum vitantibus.

*De Polypodio.*

CAPVT V.

POlypodiũ radix eſt plãtæ, lapidibus & arboribus, increſcẽtis quã δενδροπτέριν, id eſt arborũ filicẽ, Græci vocant. Quod lapidibus innaſcitur, humiditate excrementoſa, cruda, flatulẽta, vẽtriculũ ad nauſeã euertẽte, abundat. Præſtantius quod arboribus, præſertim glãdiferis, innaſcitur: præſertim ſi †magnũ eſt, recẽs, ſolidũ, nodoſum, foris ex nigro rubeſcens, colore intus herbaceo, vt piſtaciũ, ſapore dulci, auſtero, tandẽ ſubamaro, nõnihil aromatico. Dioſcoridi calidũ eſt tertio gradu, ſiccũ ſecũdo, humores craſſos, lẽtos terget, digerit, ſiccat, bilẽ atrã, & pituitã vel craſſam vel lẽtã purgat etiã à iũcturis. Affectibus ob hæc melãcholicis prodeſt, vt quartanis, præſertim cũ mulſa, epithymo, ſale Indo, colico etiã dolori, & ſplenis duritiei quouis modo vſurpatũ. Contra rimas, quæ inter digitos fiunt, trita illinitur. Corpora enim extenuat & ſiccat. Ne verò ventriculum ad nauſeam euertat, vtque citiùs vacuet, datur ex mulſa, vel aqua hordei, vel vuarum paſſarum, vel ex iuſculo gallorum & gallinarũ, vt ſuaſit Hamech, coctũ, vel ſero lactis. Bibitur vtiliſſ. ter miſtis ſeminibus odoris, vel aliis aromaticis, vt dauco, aniſo, fœniculo, zingibere, vel ſimili, animã & facultatem ventriculi naturalem corroborante. Longã ſatis coctionem ſuſtinet. Datur à drach. duabus, ad aur. quatuor.

*Dioſc. etiã cũ beta vel malua coquit, vel aridũ mulſæ inſpergit. Vncia vna noſtratis vacuat parũ & ſine moleſtia.*

*De Scilla.* CAPVT VI.

SCilla, autore Galen. *bifariã vtilis, tũ quòd humores expelli apparat, tũ quòd apparatos vacuat. Melior eſt, quæ alteri cõnexa eruitur (ſola enim & ſingularis, vt etiã prope thermas orta, eſt venenoſa ſapore dulci, acri, amaro, laminis ſplendẽtibus, ex agro libero, calida ordine tertio: ſicca prope tertiũ.

*propinat.*
*Trũcis arborũ præcipuè roborũ et lapidibus muſcoſis. Dioſc.*
*†Digiti minimi craßitudine Dioſco. plin.*
*Cũ mulſa poteſt quod colocynthis Paul. Bilẽ trahit, et pituitã Dioſ. ſine graduũ mẽtione etiã Galeno: dictæ itẽ qualitates mitius calfacere oſtendũt gra. 2. Aui. tẽperatum Auer.*
*Clementer purgat ſine morſu, ſiccat ſecuriùs epithymo Auerro. Mãdũt per ſe multi ſine ſtomachi ſubuerſione: ſtomachum tamen ab eo offendi etiam Plin. ſcribit.*

**Id in Gal. nondùm legi.*

*Id in canonibus demonſtrauit. Cãdidiſsimã Pli. vtiliſsimã addit albã Ga. in The-*

Sub

Subſtãtiã habet ſuperficiariã, igneã, acrẽ admodũ: ac terream aduſtione amarã: aëriã deniq; mediocrẽ, eãq; dulcẽ. Humores craſſos ac lentos, & bilẽ atrã incidẽdo, tenuando, tergendo, vt prõptius expellantur apparat, & maxime oxymeli ex ea ſcillites, & eoſdẽ ipſa purgat. Quapropter capitis affectibus (cephalalgiæ, cephalææ, epilepſiæ, vertigini, ſcotomati) neruorum, & iũcturarũ, pulmonis & thoracis, præſertim electariũ ex ſucco ipſius & melle ſumptũ lãbendo, cõfert. Idẽ vocẽ clarã reddit, & oxymel ſcillites, & acetum ſcillites. Eadẽ ſplenis obſtructionem & tumorẽ ſanant, putredinem in corpore prohibẽt, ob id ſanitatẽ tuentur, iuuenile corpus diu ſeruãt, ſed emaciãt. Gingiuas quoq; laxas ſanat, dentes cõmotos ore colluto acetũ ſcillites firmat, oris fœtorẽ tollit, & halitũ reddit odoriferũ, dolorem ventriculi ſedat, coctionẽ iuuat, corporis colorẽ cõmendat, corpus molle & laxum confirmat, quouis modo vſurpatum: ſcilla enim tenuat, incidit, terget, foras trahit, reſoluit materiam craſſam lentore partibus adhærentem: à putredine vindicat, vlcerat, vrit. Aſſata ſcilla faciliùs ſoluit, immiſſa autem aceto humores craſſos, lentos, altiùs merſos, expelli promptos reddit: laminæ autem ipſius mazâ ſeparatim inuolutæ ſub cinere calido quantùm ſufficit, coquuntur, exoluuntur, in vſum veniũt: vel ipſæ laminæ vaſe luteo vitrato, ſurſum ſtricto, operculato, pergameno includuntur. Dies quadraginta per æſtiuos dies inſolantur, vaſe identidẽ verſo, vt ex æquo vndiq; caleat: extracta vſurpetur, vel cũ æquali farina orobi, fiant trochiſci, quãdo opus eſt, vtendi. †Ex his ſic aſſatis etiã fit acetum ſcillites, vel cũ Paulo mox vbi à ſcilla exemptæ ſunt laminæ aceto merſæ, inſolentur in vaſe ſimili à Veris initio ad Aeſtatis finẽ, poſt vſurpetur. Datur autem potio à drach. quinq; ad drachmas duodecim: oxymeli autẽ ſcillites ab aur. ſex ad vnc. tres: trochiſci autem à drachmis duabus, ad drachmas quatuor. Mediocrem ferre coctionem poteſt ſcilla.

## *De Hermodactylis.* CAPVT VI.

HErmodactylus eſt radix herbæ cuiuſdam montanæ: & ea vel digitum longa, vel rotunda, ac eadem præſtantior, ſi multũ eſt alba, intus & foris magna mediocriter dura:

† *De his trochiſcis, & farinæ menſura in trochiſcis ſcillinis dicetur.*

*Acetũ ſcillites Vni ſcillæ parti octo ſalis partibus additis cochlear I. vel duo dat Dioſc, ad aluum leniendam.*

*rap. Calida ſecundo gradu Gal. Tuſsi antiquæ, & aſthmati, trib. obolis ſumpta eclegmate, prodeſt. Dioſco. vrinã ciet, ictérũ, hydropẽ eodẽ põdera iuuat. Idẽ. Vredinem qualis ab vrtica fit, in partibus mollibus excitat, quã oleum ſanat. Gale. lib. 2. ſimp. capi. 5. non autem cauſticũ vult. Multi vſus fit per aſſationem Dioſco. per eamq; vel elixationem eius vehementia reprimitur Galeno.*

altera ſcillæ aut raphano proxima, ſi creuit, ſi vere lecta eſt, & menſes deinde ſex ſiccata eſt. Rubra autem & nigra mala eſt, & quæ in loco pingui & humido prouenit, quòd inde humor eius inflans, & excrementoſus ei largior inſit. Rara verò laxa, leuis, eſt imbecillior. Calidus eſt ac ſiccus ordinis ſecũdi initio, cum humiditate tamen excrementoſa, flatulenta, nauſeabunda, qua ventriculo nocet, præſertim quando in eum ex partibus aliis excrementa confluunt. Pituitam craſſam, præſertim à iuncturis trahit, ob id podagræ, & aliis arthritidis differentiis confert, non ſumptus modò, ſed etiam cataplaſmate admotus, præſertim cum vitellis ouorum, & farina hordei, vel mica panis. Impinguat, ſperma auget, vlceribus confert, quia terget ſordem eorum, & carnem in his putrem cõſumit. Cuminum, zingiber, piper longum, libyſticum, mẽtaſtrum, maſtiche, miſta, hermodactylum prohibent, ne ſuo humore excrementoſo, & flatulento lædat ventriculum, néue flatus craſſos & nauſeabundos in eo excitet, aut multa in ipſo excrementa colligat. Si verò hermodactylus cum pauco zingibere, & ſucco raphani, vel cum ſcilla aſſata, aut ſcillæ ſucco, & zingibere, & pauca ſpica, in trochiſcos fingatur, purgat celeriùs & pleniùs: (per ſe enim tardè & imbecilliter vacuat) Myrobalani quoq; roborando ſtomachum hermodactylos citò deturbant, & humorem in ventriculum affluxum prohibent. Datur ab aureo vno ad aureos duos: annos tres ſeruatur.

*Meſues agit de hermodactylo, radice etiam Paulo diuerſa, ab vtroque ephemero, quorũ Colchicum venenoſum, radice rotunda quamuis ſit, tamen id non eſt Meſuæ hermodactylus optatior, vt nec Pauli. Ephemerum verò abſolutè dictum, aliter iris agreſtis, folijs & caule lilij, aut ſatirij, radice vna digitali craßitudine longa, licet à Dioſco. Plin. Gal. inter medicinas recenſetur, tamen id Meſues & Paulus hermodactyli nomine non accipiunt.*

*De Iride.*

CAP. VIII.

IRis radix eſt herbæ, quam κρινώδη, id eſt, lilialem vocat autor Græcus, cuius flos vel cœruleus, ac verſicolor, vt iris arcus cœleſtis, vnde illi nomen: vel albus. †Alterius radix optima eſt,

De hoc in noſtris ſim. Serapionem & Auic. ſequitur.

Alexander. Trallianus. *Paulo malus eſt ſtomacho, decocto radix purgat peculiariter arthriticos in ipſis fluxionibus.*

Caſtigatio. Alnanſi.

Ireos: *flores albos, pallidos, luteos, purpureos, cœruleos* Dioſco. *ſcribit: radicis non florum colore diſtinguit.*

† Optima Dioſ. eſt Illyrica denſa, *ſubmutila, frangi cõtumax, ſubrufa, valde odorata ſternutamenta mouẽs dum frãgitur guſtu amara.*

ma eſt, ſi magna, dura, denſa, crebrò geniculata, ex albo rubeſcens, odore ſeu viola aromatico, ſapore acri, & mordente. Veris initio collecta. Secundam bonitatis rationem flos obtinet, cœruleus præſertim: albus enim ad omnia eſt imbecillior. Radix eſt calida ſicca ordine tertio, acris: terget, coquit, reſoluit, lenit, aperit obſtructa, ſedat dolores, pituitam craſſam, & miſtam illi bilem purgat, ac præter hæc aquas ſeroſas, idq́ue clementer. Materiam craſſam, lentam hærentem in thorace, ac pulmone coquit, tenuat, ac promptè educit, viſceraque omnia expurgat. Hepatis quoque ac lienis, & vicinarum partium tollit obſtructiones: affectus, ab ea excitatos, hydropem, dolorē, tumorem, duritiem, & ſimiles ſanat, aut lenit. Omnes quoque tumores etiam duros, & ſtrumas digerit, præſertim neruorū, & iuncturarum: maximè cum betæ vel braſsicæ ſucco, vel vino, & melle, & oleo chamæmelino. Cephalalgiam veterem ſanat: præſertim cataplaſmate impoſita, & ſucco eius in nares attracto. Hic enim ſternutamentum mouet, & per nares detrahit vim maximam excremētorum in partes alias, per meatus occultos, alioqui defluxurorum. Succus autem ex ea vt abſinthio extrahitur. Cum ſapa autem tuſsim veterem ab humore craſſo, lento, factam, multùm iuuat, & ab eodem ſpirandi difficultatem. Vterum præterea expurgat. Peſſo quoq; ſuppoſita vel emplaſtro admota, vteri dolores ſedat, menſes euocat, aborſum facit. Vlcera antiqua, ſordida, putrida, purgat, terget, carne proba implet, quale etiam oſſa nuda veſtit. Iſchiadi ſalubriter aut clyſtere iniicitur, aut emplaſtro imponitur.

*Radices colligendas incipiente foliorū defluuio docet Dioſcorides.*

*Tenuat, terget, coquit Paulo.*

*Cum aceto pota, ſpleni: cū aceto & roſaceo admota, dolori capitis confert Dioſco.*

†Os ſi colluitur aceto cui incocta fuerit, denſium dolorem ſanat, & rheumatiſmum ſiſtit: ſuppoſita item hæmorrhoidas aperit. Inuitam ſeminis vacuationem ſumpta cohibet. Succus eius cum farina fabarum & cinerum illitus, faciem expurgat, eiusq́ue maculas deterget. Oleum denique irinum neruos & iuncturas, firmat, ſpaſmum ex repletione, cephalalgiam, dolorem hepatis, ſplenis, renum, vteri iuncturarū, thoracis & podagræ, pleuritidem, peripneumoniam oblitum iuuat, catarrhum coquit, ſomnum conciliat temporibus inunctum: auriū dolorem inſtillatum auri, narium graueolentiam ipſis iniectū corrigit. Fit autem ex floribus iridis, & radicum dimidio, vt roſatum oleum, & violatum. *Ne vētriculum lædat, ſumatur ex mulſa & pauca ſpica, vel cum ſero lactis, melle, maſtiche: ad affectus autem thoracis, & pulmonis, cum ſapa, vt dixi, propinatur.

*† Cum elleboro albo & duplo mellis Dioſco.*

**Dioſc. dat dra. 7. cum mulſa, Paulus obolos octo dicit agarici modo purgare, modo nō ſit antiqua nec perforata.*

natur. Teri, & coqui mediocriter poteſt. Datur à drach. duabus, ad drach. ſex: annos duos ſeruatur.

## *De Cucumere agreſti.* CAP. IX.

CVcumer agreſtis foliis ſatiui cucumeris, ſed aſperioribus, fructu eiuſdem, ſed paruo, aſperrimo, amariſsimo: cuius perfecti, ac præcipuè ex eo ſucci laus eſt præcipua, ſecunda radicis. Idem fructus iam abſolutus ſi maturitate palleſcat, viridiſq́; eſſe deſierit, & amaritudine ſit eximia, ſuccumq́; remittat album, & ſuppinguem, eſt calidior. Imperfectus autem tam eſt noxius, vt ſanguinem educat. Succus autem exeunte Aeſtate excipitur, radix fine veris colligitur. Eadem in medicamenta multum efficacia, & celebria recipitur. Calidus eſt ac ſiccus ordine tertio: ſubſtantia ignea, & terrea vſta conſtat.

Purgat potenter pituitã vomitu & deiectione, & interdum bilem, ſi vacuari parata eſt: ſeorſum quoq; excrementũ, etiam euulſu contumax, atque adeò à iuncturis mirificè trahit, præſertim ſucco & radice, ob id earum dolores ſanat, iſchiadẽ etiã iuuat apertè cataplaſmate impoſitus, vel clyſtere iniectus.

Vim nanq; purgatricem ſcammonio proximam ei tribuit Ioannitius. Si enim vacuet, immodicè etiam ſanguinem trahit.

Radices item eius cum abſinthio in aqua, & oleo percoctæ, hemicraniam moleſtam, & curatu difficilẽ ſanant, ſi ipſo decocto tempora foueantur, & iiſdẽ radices eædem, & herbæ tritæ cataplaſmate applicentur. Succus quoq; ipſius naribus iniectus cum pauco lacte idem efficit. Excrementa enim cerebri euocat, & naſi fœtorem ab horum putredine ortum perſanat: cephalalgiam quoq; veterẽ, & epilepſiam. Idem cataplaſma, præſertim ſi ſtercus caprinũ addatur, tumores magnos & duros, & ſtrumas reſoluit. †Succus quoq; & decoctũ tũ fructus, tum radicis hydropem iuuat potu (valenter enim aquas ſeroſas vacuat) & icterum, & obſtructionẽ hepatis & lienis. Puluis radicis cum melle cicatricem fœdam tenuat, ecchymomata contuſionibus ſuccedentia diſsipat. Succus radicis cum farina fabarum, ſordẽ faciei & fœditatem cutis illitus terget. Radix ex aceto forti alphis affricta, eos delet, & lentigines. Reſoluit enim tenuat, terget, ſiccat, ſoluit moleſtè & tardè, aperit ob-

*Cucumer aſininus. Elaterius ſuccus ex huius fructu quomodò trahatur, Dioſco. docet amarus extremè Gale. Tẽpeſtiuus eſt hic fructus quãdo tactu ſolo ſuccũ eiaculatur Dioſc. autũno Pli. Tẽpore quo folia decidunt, Manardus. ex Dioſco. Calidus ſecũdo gradu Gal. Quibus iunctum elaterium nunc vomitũ, nũc deiectionem faciat, docet Dioſco. Pau. dicit vacuare vt ſcãmonium tribus obolis tritũ cũ lactis cotyla, bilẽ, et pituitã trahit, & ægrè ſpirantibus prodeſt Dioſco.*

*† Hoc fuſius Dioſcori.*

ſtru

ſtructa,& ora venarum. Ne ora venarum aperiat & vlceret hic ſuccus,& cum torminibus,& anxia moleſtia vacuet: datur cum bdellio vel tragacantho, vel lacte dulci recenter mulſo, aut mulſa & ſale: promptiùs autem purgat cum pauco ſale gemmæ,& aromatibus. Succus autem ex fructibus per maturitatem pallentibus clementer ſine compreſsione multa extractus ſiccatur, vt ſcammonium,& aloë. Nonnulli inter ſiccandum ei immergũt aromata nodulo ligata, quem extrahunt, dum ſiccando cogi incipit: alij alia immittunt, pro ſcopis variis. † Triennio ſeruatur, poſt ſex menſes vtendus. Noxam autem ab eo corpori impreſſam delent aqua hordei, mulſa, vinum, oleum. Datur ſuccus à granis decem ad drachmas vnius partem tertiam: puluis radicis à granis quindecim ad drachmæ ſemiſſem. Decoctum ab vnciis duabus, ad vncias quatuor.

*Dioſcoridi integra menſura eſt obolus, minima ſemiobolus, infantibus dichalcos, id eſt, æra duo ſeu grana quatuor: maiore copia eſt periculoſum, Paul. dat obolos tres.*

*† A bimatu ad decenniũ purgationi eſt aptum Dioſ. A trimatu incipere & nullũ ex medicamentis longiore æuo durare, et quò vetuſtius eò melius, ſcribit Plin. & ducentis annis ſeruatũ, teſtatur* Theoph.

## *De Centaurio.*

### CAP. X.

CEntaurium eſt maius & minus: notis plurimis diſtinguuntur: ad omnia minus eſt præſtantius, idque ſuis floribus pallidis,& citreis, ac ſemine. Colligitur Aeſtatis initio. Calfacit, ſiccat, ordine † ſecundo, vel cum Rufo tertij initio: conſtans terrea ſubſtantia ob vſtionem valde amara: & alia terrea non aduſta, aquoſæ miſta, qua modicè adſtringit,& aërea parum dulci,& ignea ſubacri ſine morſu. Ob hæc, vlcera & vulnera efficaciſsimè curat,& glutinat. Terget enim, ſiccat, excrementa conſumit, aluum ſoluit aliquando tam violenter, vt aperiat ora venarum, quibus ſanguis emanet. Qua de re dubitauit Hermes, præſertim cùm vulnera conglutinet & ſanet, & Alkindi ſententia, ſanguinis ſputo conferat, ipſum ſiſtendo & apertam vaſis partem glutinando. Sed ambiguitatẽ hanc ſoluit ſubſtantiarum in eo præcipuarum contrarietas, amaræ ſcilicet,& hac largioris ſtypticæ, quæ prima cogendo agit, quòd à dominante ſubſtantia hæc facultas ſit ad agendum promptior. Poſt longam autem eius actionem calor mordax

*Centauriũ maius eſt vulgare herba* Ponticum. *Vtriq; ſunt ſuæ dotes.* Flos *noſtrati ex punico purpuraſcit ſed quòd maius vocant flaueſcit.* Exprimitur *cum ſemine, prægnãs eſt* Dioſco. *† Auic. tertio, Gale. ordinem non ſignauit.*

ex acri ſubſtantia excitatus, corpus agitat, & noxas prædictas affert, non ſemper tamen, ſed quando immodicè purgat.

†Purgat autẽ centauriũ præſertim minus, pituitam crudã, & bilem flauam, & materias alias etiam à neruis & iuncturis & hæc tardè. Ob id harum partium affectibus confert, vt etiã iſchiadi, clyſtere iniectum, vel cataplaſmate impoſitum. Muſculis item attritis, ſed cum panis mica, ſale pauco, & melle, vel oleo. Obſtructionem hepatis & lienis ſanat, colico dolori & ventris prodeſt, lumbricos necat, & vacuat, mẽſes mouet, vteri dolorem ſanat, fœtum educit.

Styptica verò ſubſtãtia ſputum ſanguinis ſiſtit, vulnera glutinat, vlcera etiam dyſepulotica glutinat, præſertim puluere per ſe vel in vnguentum coacto, ac etiam potu decocti ipſius fiſtulas, & vlcera cacoëthe ſanat.

Ambitioſè autem quidã ab eo carnibus diuiſis incocto eas glutinari aiunt. Cum mulſa, vel oxymelite, & ſale pauco, vel decocto ameos mellito, & ſalem gemmæ habenti promptiùs purgat, & clementiùs, Maſtiche autem addita, venas ab eo aperiri prohibet. Coctionem & triturã perfectam ſuſtinet.

Datur à tertia parte vnc. vnius vſque ad ſeſcunciam. Decocto autem ab vncia vna, ad vncias tres.

*Radicem inutilem, ramos, magisq́; folia & flores valere ſcribunt Dioſcori. Gale. Sic centaurium paruum Gale. amariſſ. ac ſubadſtringẽs eſt, magnum autem acre, adſtringens, ſubdulce, quaſdam vtriuſque centaurij qualitates, & vires Meſuem confudiſſe, nihil miri eſt, cùm etiam maius ſubamarum, & minus ſubdulce ſit, dum recens eſt: cũ etiã Galeno quibuſdam conueniat. Succus enim minoris ſuppoſitus, menſes fœtumq; educit: maioris autem radix, menſes prouocat, mortuos fœtus extrahit, viuos corrũpit, & deijcit Galeno. Eadem pota, torminibus medetur, & ſputũ cruentum ſanat cum vino, ſi febris abeſt: cum aqua, ſi adeſt Dioſcori. Maioris etiam adſtringens qualitas ex hoc patet, quòd vulnera glutinat, præſertim ſi recens tuſa adhibetur: minor quoque virens vulnera etiam magna glutinat Dioſcor.*

*† Hic modus loquẽdi innuit, hactenus de vtroque locutum & vtrũque pituitam & bilẽ vacuare, ſed minus magis cui ſolius hæc à Dioſcori. Gale. Pau. tribuitur: non etiã magno: & ſanguinem vacuare, ſi clyſtere in iſchiade inijcitur, Gale. minori tribuit: ad rupta, & conuulſa datur maius Dioſcori. & Gale. Succus minoris ad hæc optimus Gale. ſumptus & admotus, vt etiã duratũ ſplenem ſanet. Cum contu-*

*ſcor. & Gale. Maioris herba, adhuc recens, vlcera antiqua ad cicatricem difficillimè euntia, purgat, & ad cicatricem adducit Dioſcor. & Gale. quod Meſues minoris pulueri rectè etiam tribuit amaro, ob id tergenti, & ſiccāti, & quatenus adſtringit, glutinat, & cicatricē inducit. Cùm etiam Galenus ſcribat minorem ſiccatum ſiccantibus & glutinantibus miſceri, quæ ſinus, fiſtulas, & maligna vlcera ſanent, & durities molliant: quamuis potionis non meminerit, niſi quòd ſuccum à quibuſdam bibendum dari ſcribit in neruorum paſſionibus, ceu ſiccantem, & abſque moleſtia vacuantem: eundem cum melle illitum oculis purgare ea, quæ luminis claritati obſtant Dioſc. Gal. ad ſpirandi difficultatem, & tuſsim antiquam, & lateris dolores, maius ſalubre faciunt ambo.*

## *De Cnico.* CAP. XI.

CNicus eſt agreſtis (nam quem Indicum addunt, & nil vocant, cnicus non eſt) & ſatiuus, idemque melior ſemine, præſertim & eo albo magno, [in æquali] plano, pleno medullæ pinguis, cortice tenui. Nec inutilis eſt flos croci pilorum effigie. Calfacit ordine primo, ſiccat ſecundo, agreſtis calidior, ſiccior: minùs flos. Pituitam & aquas vomitu, & deiectione vacuat ſumptus, & clyſtere iniectus. Ob id morbis inde natis vt colico affectui, & ſimilibus confert. Thoracem quoque & pulmonem expurgat, præſertim eclegmate ſequente & oleo ſuo: vnde & vocem claram reddit: ſperma quoque vſu auget, ſed alimentum eſt prauum. Stomacho valde noxium, in eoque & mammis lac dicitur cogere, faſtidiendum ac nauſeabundum eſt, ac conturbans. Facultate eſt lactariarum plantarum, ſed remiſſa: terget, aperit, etiam flore cum mulſa icterum ſanante.

Ne ventriculum lædat, ei miſce ſtomachica, aniſum, galangam, maſtichem: acria verò, vt cardamomum, zingiber, ſal panis, ſal gemmæ, addita, actionem ipſius celerant, & inteſtinorum noxam prohibent. Sic medullæ eius drachm. decem cum cardamomi aureo vno in catapotia cicerum magnitudine, drach. quinque ſufficienter purgat Paulo autore. Eadem medulla panno ligata, oxymeliti præcipuè ſcillitico dum co-

*Carthamus Sic Theo. diuiſit Dioſc. ſatiuū facit ſolū, ſed atractylidem cnico ſimilē facit.*

*Sic Auic. 3. Gal. Paul. ſi foris admouetur.*

*Gal. li. 5. ſani. cnici & fici pares portiões miſcet ad tutò purgandū ſenis pituitam, in quā rem cæteris medicamētis Auerrhoi præfertur.*

*Paulus etiā coquit drac. quinque cū ptiſſana & ſalibus ad aquas educendas ſine cardamomo.*

quitur merſa, purgatorium id facit. Medullæ eiuſdem aurei duodecim, penidiorum aurei quatuor, cardamomi, zingiberis ana aur. vnum, cum melle forma bolos nucis magnitudine. Da vnam vel duas. Medulla eadem ex iure galli vel gallinæ cum ſpeciebus prædictis cocta idem præſtat Gale. Vel medullæ eius drach. tres, amygd. drac. vna, ſtrobylorum drac. ſemis, cum melle cocto & ſucco ſcillæ fac eclegma mirificum in thoracis affectibus. Oleum ex eo ſemine, vt amygdalis & balano myrepſica, extrahitur. Datur à drach. quatuor, ad aur. quinque. Flos à drach. vna, ad aureos duos.

## *De Balano myrepſica.*

### CAP. XII.

BAlanus myrepſica, id eſt, glans vnguentaria, fructus eſt magnus quidem nucis auellanæ magnitudine, triãgulus. Paruus verò ciceri ſimilis, malus: vterque tamen medulla leni, & vnctuoſa. Magnus eſt præſtantior, præſertim ſi vetus eſt, cortice eſt albo, læui, tenui, medulla intus alba, leni, pingui, & paruus, ſi ex nigro albeſcit, & medulla eſt alba, leni pingui, & vetus, eſt innocentior. Calfacit maior initio ordinis tertij, ſiccat ſecundo. Humiditatẽ habet excrementoſam & acrem, qua ventriculum ſubuertit, nauſeam excitat, viſcera conturbat. Pituitam craſſam & lẽtam vomitu & deiectione purgat: quare confert colico affectui pituitoſo & flatulento, ſumptus, balano, clyſtere iniectus, cataplaſmate ex ipſius medulla hordei farina, & melle appoſitus, & calore ſuo neruorum frigidis affectibus, ſpaſmo, tetano, contractioni. Tumores quoque duros, ſtrumas, nodos, reſoluit cũ melle. Hepati autẽ aut lieni obſtructo, vel durato cum farina lupinorũ, & ſpica cõfert impoſita. †Adhæc autẽ fructus minor, & eius oleum efficaciùs admouentur. Idem oleum auri infuſum, tinnitui, ſibilo, ſurditati auxiliatur, cicatrices fœdas, lentigines, alphos, & cætera cutis vitia emẽdat. Incidit enim, tenuat, terget, expurgat, ape-

*Idem.*

*Alchanſi.*

*Dioſ. contundi eius grana & dari cum aqua mulſa aut gallinacei iure. In Gal. nondũ legi.*

*Cnici albi, aniſi ana ſextariũ, amygd. Thaſiarũ toſtarum & ex purgatarũ cyathos tres, aphronitri drach. ficus ſiccas triginta Dioſ.*

*Ben Arab.*

*Myrobalanus Gal. Pli. & Aëtio dicitur.*

*Fructus magnitudine auellanæ Dioſc. Plin. capparis quãtitate et figura. Theoph. à baſi triangula æquilatera ſurgit in pyramidem etiam triangulã.*

*Recens melior Dioſc. ſed vetus eſt oleoſior.*

*Caloris gradum Gal. tacet. Cum aqua mulſa podagricis imponit Dioſc.*

*† Ad ſplenem farina erui vel lolij miſcet Gal. cũ oxycrato pota drach. vna viſcera purgat, præſertim hepar, lienem quem etiam abſumit Gal. Dioſ.*

*Myrobalani pyeſma Gal. huius fæx terget, incidit, totus aũt fructus etiã adſtringit.*

rit

rit obſtructa. Paruus autem ad omnia eſt valentior, moleſtè purgat, vires deiicit, ſudoremque frigidum mouet. Ob id non vtendus etiam oleo, niſi emplaſtro, vnctione, cataplaſmate. Magnus ne vẽtriculo noceat, facit aſſatio, vt in canonibus diximus. Ea enim humiditatem excrementoſam & acrem horum ſymptomatum cauſam coquit, & reſoluit: tuncque ſolùm deiectione purgat. Adduntur præterea ipſi, præſertim coquendo, ſemen aniſi, & fœniculi. Ex huius autem ita cocti medulla cum dimidio pondere amygdalarum dulcium, & melle vuarum paſſarum, formæ fiunt auellanarum effigie. Ipſi autem fructus integri, vel potiùs horum medullæ multùm tritæ aromatibus aliquibus, vel aniſi, & fœniculi ſemine adiecto, inuoluuntur papyro, & maza: pòſt coquuntur ſub cinere calido. Oleum autem ex his extrahitur, vt ex amygdalis. Datur à drach. ſemiſſe ad drach. vnam & ſemiſſem.

*Plena candida ſue cortice, facilis ſpoliatu, recens, Dioſco. optima. Petræam nigro cortice, albo nucleo, optimam vult Plinius. Stomacho nocet, etiam valde Dioſcor. Oleum ex cortice extrahi vult Hermolaus, quod Theophi. & Plinius innuunt. Succo carnis eius vnguentarios, id eſt, vnguenta odorata parantes, vti ait Galenus. Balaninum oleũ ſimili modo vt amygdalinum fieri dicit Dioſcor. Ob id ex carne ſeu nucleo faciendum videtur, aluum ſoluit, ſtomacho aduerſatur, eidem. Nucis quoque vnguentariæ nucleo Græcarum nucum more trito, humorem reddere ait, quo ad pretioſa vnguenta pro oleo vtuntur. Carnis drach. cum mulſa pota vomitoria eſt, & ſæpe largiùs deiicit Galeno. Oleum hoc veſtigijs vlcerum, & alijs adhibet Meſues, totã glandem Dioſc. pyeſma cum aceto Gal. apponit ſcabiei, lepræ: nitro autem addito, alphis, cicatricibus nigris cum vrina lentigini, varis, ephelidi, Dioſco.*

## *De lapide Armeno.* CAP. XIII.

LApis Armenus atram bilem purgat tutiùs, quàm elleborus: & valentiùs, quàm lapis cyaneus, autore Alexandro Tralliano. Eligendus colore inter viridem, & obſcurum ter-

*Albus Alex. apud quem valentior lapide cyaneo non legitur.*

*†Lotus autē nec calidus, nec ſiccus valde, vti nec amarus, nec inſuauis Alex.*

*Alex. quinquagies.*

*Aëtius grāmata quatuor, id eſt, obolos octo. Alex. illoti ſcriptula tria vel quatuor, loti quinq; vel ſex præbet.*

reum, Indumq;, medio maculis tum viridibus, tum nigris diſtinctus, tactu lenis, aſperitatis expers, lapidea nondum duritie, ſed facilè friabilis, & puluerabilis. Calfacit, ſiccat principio ſecundi ordinis, atram bilem vacuat etiam ex cerebro.

Proinde melancholicis affectibus, melācholiæ morbo, maniæ, epilepſiæ, vertigini, cephalalgiæ, mœrori, timori ſine cauſa manifeſta, quartanis, cancro, lepræ, lienis denique malis ſuccurrit, quia etiam terget, ac reſoluit: ſed quoniam non ſolùm deiectione purgat non lotus, ſed etiam vomitu, ventriculū turbando, & euertendo, & angēdo. †Lotus eſt dandus, quòd is ſolùm deiectione purget, & citra moleſtiam. Tritus autē lauetur aqua dulci, trities mutata. Deinde aqua roſarum, vel potiùs bugloſsi cum Alchindo, decies mutata, vt ei vis quædam mira ad affectus melancholicos acquiratur. Datur non lotus à drachm. ſemiſſe ad ſeſquidrach, lotus autem à drachm. vna ad drachm. duas.

*Læuis, cœruleus, vbiq; fractu facilis lapillis carens, Dioſ. probatur. Plinio autem maximè viridis, communicato colore cum cœruleo. Lapides & metalla Gale. lauat, lib. primo c. ph. gen. & in ſimpl. donec in aqua nec ſordes, nec medicamenti qualitas aliena vlla ſuperſit. Atram bilem, & quicquid craſſum & tenax ſanguini miſtū eſt, purgat Aëtio: ob id elephanticis, nephriticis, aſthmatis, ſynāchicis, orthopnœicis, vt chryſocolla, ſed hac valentior Dioſc. Plin.*

*Lapis ſtellatus & lazuli cæruſeus Latinis.*

*Marchaſita Arabū, pyrites Græcorū eſſe quibuſdā videtur*

*Cyaneus acer purgat, diſcutit cū quadā adſtrictione, Gale. reprimit, exeſt modicè, cruſtā efficit, et exulcerat Dioſ. ſcilicet admotus.*

## *De lapide cyaneo.* CAP. XIIII.

LApis cyaneus marmoris ſpecies, vulgò etiam ſtellatus dicitur, quòd maculas quaſdam aureas ſtellarum modo radiantes habet, colore ex viridi, cœruleo, ſplendente, purus, grauis, Qui verò albus eſt, impurus, marchaſitæ miſtus. Marchaſita item dictus, macularū expers, leuis, improbatur. Calfacit ordine ſecūdo, ſiccat tertio, vel etiā tertio calfacit Humain: acer eſt cū pauca ſtypticitate. Purgat melancholiā, & vſtos humores, hisq; venas ſanguineq; expurgat. Ob id affectibus melācholicis magnoperè cōfert, melācholiæ morbo, maniæ, epilepſiæ, mœrori, & timori [ſine cauſa manifeſta] à lepra præſeruat, quartanas ſanat, tremori cordis, ſyncope ꝓdeſt. Cor enim roborat, eius noxas aufert, animā exhilarat, corpus floridū diu

tue

tuetur, vitã reddit beatam, thoracem & pulmonem craſsis, & lentis humoribus expurgat. Ob id confert aſthmati ab his naſcenti, ſplenis affectibus remedio eſt. Menſes ſuppoſitus educit, hæmorrhoidibus recentibus vſu prodeſt. Acrimoniã vrit, vlcerat, putrefacit, terget, incidit: nõ lotus quoque pilos radit, lotus eoſdem ſeruat, productiores reddit, & in palpebris nouos gignit. Noxas habet cum lapide Armeno communes: ob id eſt vt ille abluendus, diutiusque teri ſuſtinet quàm Armenus. Nonnulli eius loti drac. octo miſcuerunt vni libræ confectionum lętificantiũ, & dederunt cum ſucco bugloſsi depurato, & vino tenui antiquo, cõtra cordis affectus melancholicos, animũq; ita recrearunt, & gaudij ceu mineram quandam effecerunt: & nos hoc modo vtimur. Serici cocco baphica tincti lib. vna, mergatur, hora vna: ſucci pomorũ dulcium & aquæ roſarũ ana lib. vna & dimidia: pòſt modicè coquatur, donec aqua rubeat: extracto tunc ſerico, reliquum ad mellis ſpiſsitudinem percoquitur cum ſacchari albiſs. lib. vna & dimidia. Ab igne depoſito, & adhuc calenti iniice ambræ crudæ fruſtatim cõciſæ drach. ſex: qua liquata, ſuperda puluerẽ ſequentẽ: ligni aloës crudi & cinnamomi ana drach. quatuor, lapidis cyanei loti & præparati drach. duodecim, margaritarũ drach. duas, auri boni drach. vnam & tertiam: miſce prædictis, remedium eſt præſtantiſsimum ad cordis tremorem, ſyncopen, deſipientiam, triſtitiam ſine cauſa, animamq; mirum in modum roborat. Datur à drach. vna, ad drach. duas, & dimidiam.

*Quamuis cyaneo vim purgatoriam non dederũt Græci, tamen lotum valde iuuare dictos affectus nulla aut minima læſione, certò ſcire ſe ſcribit Manardus, ne tãquàm venenum pernicioſiſsimum, vt quidam autumant, fugias.*

### *De Senna.* CAP. XV.

SEnna eſt folliculus plantæ Perſis dictæ abalzemer, orobi modo naſcentis, ſatiua eſt, & agreſtis. Folliculo quàm foliis eſt efficacior, prȩſertim ſi is ex viridi nigricat, modicè amarus, ſubadſtringit abſolutus, recens, in quo ſemen ampliũ compreſſum, vetuſtate enim exanimatur: ſubalbidus & imperfectus improbantur. Folia autem viridia ſunt præſtantiora ſubalbidis & tenuibus: ſurculis eſt inutilibus. Calfacit initio ſecundi ordinis, ſiccat primo, folia etiam primo calfaciunt.

*Parum calida & ſicca Serap.*

*Sicca 2. Auer.*

Terget, expurgat, digerit, purgat clementer melancholiam & bilem vſtam à cerebro, ſenſoriis, pulmone, corde, hepate, liene. Proinde morbis dictarum partium ab humore huiuſmodi proficiſcentibus ſuccurrit, vt melancholicis febribus & antiquis, gaudium gignit ablato humore ſine cauſa externa triſtante, & floridũ corpus efficit, obſtructiones viſcerum aperit. Foliorum huius & chamæmeli decoctum lotione cerebrũ neruos, roborat. Eadem quouis modo vſurpata, viſum & auditum firmant. Eius purgationem tardam & imbecillam celerant, & intendũt miſta acria, vt zingiber, ſal gemmeus, ſal Indus: ne verò ſtomachũ lædat, cardiaca, & ſtomachica ſunt miſcenda. †Ob id Galeni decreto coquenda largo põdere ex iure galli, gallinæ, vel aliarum carnium, vt citra moleſtiam purget: vel ſero lactis infuſa, cum ſpica deinde parum diu feruefacta, vel puluis eius ex lacte dulci ſumẽdus eſt. Vino muſteo albo miſcebat quidam vim magnam ſennæ, poſt tres menſes postandum dabat, ſicque purgabat cerebrum, & ſenſoria, & gaudium augebat. Sunt qui decocto eius cum prunis, & ſpica feliciter purgant. Mediocrem autem coctionem ſuſtinet. Infunditur ab aureis tribus ad vnciam vnam.

*†Græci huiusnõ meminere, empetrõ ſic Dioſ. coquit, & nos ſennam et facile purgat.*

*Tritæ drac. vnam, coctæ dracm. quinq; dat Serapio. vnciã ex aqua coctam mediocriter purgare affirmat. Manardus.*

*Hanc Dioſcoridis quidam delphinium, alij pelecynon, alij peplium, alij empetron, alij alypon, putant. Res autem noua potius videtur nobilis, & efficax.*

*Aegyptia eſt præſtantior quàm Apula, & hæc quàm noſtras. Folia purgantiora foliculis affirmat Manardus. Nõ debilitare ſtomachũ, quia ſubamara, & adſtringens expertũ ſe dicit Manardus, tamẽ torminoſum maximè medicamentũ hic omnes experimur. Idem purgare pituitam contra Auerrois ſententiam, & morbo Hiſpanico valere, ſe expertum: aquas etiam nobis purgare ſæpe viſa eſt.*

*Sales.*

## *De ſalis generibus.*

### CAPVT XVI.

SAlis ſpecies ſunt memorabiles quatuor: ſal panis, ſal gemmæ, ſal naphthicus, ſal Indus. Sal panis, vel foſsitius eſt, idemq́; durior, & amarior: vel marinus eſt, & hic aquâ facile ſoluitur. Sal gemmæ cryſtalli modo ſcinditur. Sal naphthicus, eſt ſubniger naphthę odore. Sal indus, vel ſubniger, vel ſubruf-

*Qui ſal lignis ſit, nigricat, rubet Mẽphi, rufus circa Oxum Cẽturipis purpureus.*

fus,obſcurus, omnibus fortior:& ſubruber, melior ſubnigro: & ſubniger eſt fortior,& horũ quiuis quantò eſt amarior,tantò valentior. Poſt hunc ſal naphthicus,poſt hũc ſal gemma,cui proximus eſt foßitius,marino omniũ maximè imbecillo fortior. Sal eſt calidus, ſiccus ordine ſecundo,& quo eſt amarior, eò calidior eſt, & ſiccior. Sal conſtat ſubſtantia terrea per aduſtionem amara,& aquea inſipida, quæ ambæ ſi ſint æquales, ſaporem ſalſum perficiunt: ſi terrea vincit, amarior euadit: ſi aquea,ſalſugo eſt mitior. Sal liquat, incidit, tenuat, modet, purgat, denſat,adſtringit,ſiccat,à putredine ob hæc vindicat ventriculum euertit,turbat,ad vomitum incitat, purgat humores craſſos,lentos,ipſos vi ſua liquando,poſtea ſtringendo. Sal panis purgat clementißimè,appetentiam excitat profligato cibi faſtidio,purgantibus additus actionem eorum iuuat, clyſtere iniectus pituitam vitream & lentam educit. Puluis ex ſale vſto & portione æquali vaſorum de ſeni fractorum, vel cum ſmiride lapide, lapides alios incidẽte,vel vitro fracto, dentifricium fit optimum: Nam dentes purgat, firmat adhæc gingiuas laxas. Cui addunt nonnulli cyperum,ſpumam maris maſſacumiam,cornu cerui, & ſimilia. Oleum cui is ſal incoctus eſt, tepidum,ambuſtis illitum,veſicas gigni prohibet,neruos firmat,puncturam nerui occultam, adiecta terebinthina à phlegmone & ſpaſmo vindicat,phlebotomiæ cæcæ eſt remedio. Idem ſal cum furfure & melle attritis neruis,contuſis lapſis,aurium dolori prodeſt:ſuggillata cum oleo & melle diſcutit. Omnis ſal oculi maculas,pãnos,vngues,carnẽ putrem, & ſimilia conſumit,cynanchæ confert,vuæ productioni, linguæ ob humiditatem largam molliori & ſolutæ,ventriculum euertit,vomitorium eſt,ſperma minuit,ſcabiem gignit.

Sal gemma pituitam quoque vitream educit & humores alios euelli difficiles,ſenſoria expurgat,vertiginem iuuat,præſertim cum agarico, & tribus myrobalanis, terget thoracem,ventriculum expurgat, & dolorẽ eius ſoluit: dentifricio quoque eſt aptus. Naphthicus & Indus aliis ſunt ad omnia valentiores,& ambo melancholiam valenter educunt,& pituitam, corpusq́ue à putredine præſeruant,& à lepra, & cæteris affectibus melancholicis. Per ſe tamen non vſurpantur, ſed aliis miſcentur in catapotiis confectionibus, enematibus,collyriis,& cæteris remediorum formis. Sal vt alimẽtum non eſt, ſed condimẽtum, ſic purgatoria baſis non eſt,ſed aliis

*Hammoniacum præfert Dioſco.*

*Sal adſtringit, terger, expurgat, diffundit, reprimit, attenuat, cruſtas facit, vrentiũ modo,* Dioſcor.

*Ad laßitudines, hydropẽ, podagræ præcautionẽ* Dioſcor. *Paul.*

*Sal cũ aceto oleo, melle, ſynãchẽ iuuat, cũ ſolo melle toſtus tonſillas & aphthas, cũ melle et farina luxatos* Dioſ. *Sal cõ melle ſuggillata delet. cũ aceto et oleo prope ignẽ inunctus, pruritum, impetiginem, & ſcabiem ſedat: ſacros ignes &*

miſtus vigorem addit, ac ſtimulos omnibus medicamentis tardè ac imbecilliter purgantibus. Salis autem acrimoniam & morſum præter cætera tollunt myrobalani, & cætera adſtringentia, ac etiam inſipida.

*Sal Dioſcoridi marinus & foſsitius, hicq; vel hammoniacus vel communis, candidus, lucidus, illapidoſus, denſus, & æqualis, qui ſal gemma ob luciditatem & perſpicuitatem gēmis familiarem, videtur eſſe cryſtallo ſimillimus, et vt hæc ſciſsilis. Sal autem hammoniacus facilis ſcindi ſciſſuris rectis Dioſc. idem alumini ſciſsili colore ſimilis, longis globis, non perlucidus: nunc tantum factitius eſt hammoniacus, argētarijs vſui magis quàm medicis non naturalis. Sal naphthicus Plin. aſphaltites, ſeu ſodominus Galen. quod naphtha aſphalti ſpecie ſeparata fit in Babylone & mari aſphaltite ad Sodomos montes in Paleſtina Syriæ.*

*Sal Indus Auicennæ nigredinem habet propriam, non acquiſititiam, vt naphthicus, alius eidē Paulum ſecuto, eſt colore ſalis, ſapore mellis. Sal in india ex Oromeno mōte exciditur Pli. officinis quibuſdam pro ſale Indo ſunt glebulæ ſalis in albo nigricantes metæ forma.*

## *De Nitro.* CAPVT XVII.

NItrum * aliud minerale, aliud artificiale. Minerale mittit Armenia, Aphrica, Aegyptus, Roma. optimū in his eſt laminoſum, fragile in fracturis, lucidū leue, ſpōgioſum, ex rubro & purpureo, albū, ſalſum, mordax valētius Armenū Aegyptio, & id Aphrico, & Romano. Artificiale imbecillius naturali, ſpuma nitri dicitur, alba, leuis, ſalſa, mordax. Alterū artificiale, flos parietis, vel ſalis dicitur, nitro valētius. †Calidū initio tertij gradus, ſiccum tertio, ſalſum maxima ſui parte: ſubadſtringēs terget, ſiccat, incìdit, humores craſſos purgat etiā vomitu, præſertim cū melle, pituitā crudā, craſſam, lētā partibus valenter impactā: ob id col ico affectui pituitoſo & flatulento prodeſt, vermes necat, & vacuat. Vſurpatur cum melle & aliis, ſumptus, vel balano ſuppoſitus, vel clyſtere iniectus, præſertim

*herpetas cū aceto vt corporibus totis nihil ſale, et Sole vtilius dixerit Plin.*

** Baurach olim quotidiani vſus in balneis et eſcis, iā vix cognitū, ob id vſu rarū.*

*Vera aūt nitri ſpuma naturalis eſt Dioſ. et Gal.*

*Salpetræ.*

*† Auic. in fine ſecundi.*

*Nitrū & nitri ſpuma vires ſali ſimiles habēt Dioſc.*

*Calfacit, extenuat, mordet, ſpiſſat, ſiccat, vlcerat, euocat, diſcutit Pli.*

*Tritū cū ſymino, & potū cū aqua mulſa, vel ſimili flatus diſsipante, prodeſt colicis, & torminibus ſumptū, & admotum. Vires alias Dioſc. & Plin. tribuunt.*

tim ex rutæ decocto, & oleo rutaceo. Idem emplaſtro cum ficis & ſtercore mulæ prodeſt hydropi, dolori ſplenis & ſtomachi frigido. Medicamentorum baſis non eſt, vt nec ſal, ob id de hoc idem quod de ſale ſtatuendum eſt.

*Sal petræ quod pro ſale nitro malè ſupponunt officinæ, veteribus ignotus fuiſſe videtur. Nam ſal arte in Aegypto aliter olim fiebat Pli. Optimum aphronitrum leuiſsimum, cruſtaceum, fractu facile, ſubpurpureum, ſpumeum mordens, roſeo colore vel candido, foraminulentum, vt ſpongia Dioſcor. purum, ſyncerum, tenuiſsimum, reſolutu facillimum addit Plin. Quæ aphronitri notæ nitro hîc tribuũtur. Quod adulteratum eſt pungere ſcribit Plinius, Aphronitro adſtrictionem negat Gal. & ſuo baurach Auic. cui tamen eam paucam poſt eodem capite tribuit.*

## *De Sarcocolla.* CAPVT XVIII.

SArcocolla* eſt arboris fruticoſæ, ſpinoſæ ramis nodoſis arbori appreſsis, gummi albũ, thuris modo, vel pallidum idq́; amarius, & ob id valentius. Calfacit ordine ſecundo: ſiccat minùs, coquit, terget, aperit, digerit, vulnera etiam vetera putrida terget, carne implet, glutinat, [vnde illi nomẽ.] Purgat pituitã crudã, & humores alios craſſos, præcipuè à cerebro, neruis, iũcturis, vt iſchio, pulmonibus. Ob id ſenibus pituitoſis, aſthmaticis, tuſsientibus prodeſt, ſed caluiciũ accerſit, corpus impinguat, & ſperma auget Dioſc. †Ophthalmiam, & lippitudinem & alios oculorum morbos, mirè iuuat nutrita in vaſe vitreo dies quinque in lacte aſinæ, nouo quotidie affuſo. Aurium vlceri putrido, & ſanioſo vtiliter imponitur linamentum mulſa merſum, & puluere huius inſperſum. Datur cum zingibere & cardamomo, vt citiùs & valẽtiùs agat, vel his catapotiis Haly ſenis, ſarcocollæ drach. tres, turbith drachmas quatuor, medullæ colocynthidis, zingiberis ana drach. vnam & dimidiam, ſalis gemmæ drach. vnam: ſarcocolla in aqua roſarum ſoluta, fiant pillulæ in dicta opera efficaciſsimæ. Ventriculo calido & bilioſo eſt nocentiſsima ſarcocolla: ob id vitanda picrocholis eſt, aliis datur à drach. vna ad drach. duas.

*Quòd carnẽ glutinet, Græ. dicta. tãquam ſit carniscolla, nã vulnera glutinat, et ſine morſu ſiccat Gale. Albã rufæ præfert Pli. & annis nigreſcere ſcribit. Aliis primo aut circiter, calida videtur, nã Dioſco. ſubamara. Pli. cum quadam acrimonia dulcis. Gal. emplaſtica, & parum amara dicitur, ſiccans ſine morſu.*

†*Hoc nõ lego in* Dioſc. *Ophthalmias diſcutere expertus eſt* Manar. *vbi hæ conſtiterunt: initio enim cum vino fluxiones oculorum ſiſtit* Dioſc. & Plin.

*Sarcocolla veteres tantũ ſoris vſi ſunt purgatricẽ vim non dederunt, quæ etiam hodiè parum eſt cognita. Si purgat, & ventriculo calido eſt noxia impinguare videtur tãtùm per accidens: vacuatis ſcilicet excrementis, probam nutritionem impedientibus; id quod alijs purgãtibus eſt commune: ſed dũ correcta eſt lacte aſinino, ca lida humida euadit, ob id ſemen augere, & promouere poteſt. Hanc dies quinque aſinino lacte in dies mutando macerãt: pòſt aqua roſarum diſſoluunt, vt caſtigent.*

*De Sagapeno.* CAPVT XIX.

SAgapenum* eſt liquor fruticis ferulacei oleandro mõtano ſimilis, bonum quidem, colore ex albo ſubrubente, odore porri, ſubſtantia craſſa, ſed in aqua facilè ſolubili, leue: improbum verò notis his deſtitutũ, ac præterea odore ſylphij perſici viroſo (aſſam fœtidam vocant) aut galbani, quo eſt adulteratũ. Calidũ ordine tertio, ſiccum ſecundo, amarum, & porri modo acre: ſubſtantiæ tenuis & igneæ plus quàm terreæ cõplexum. Purgat pituitam craſſam, & alios humores lentos, & aquas à vẽtriculo, inteſtinis, cerebro, neruis, thorace, pulmone, iuncturis etiam longinquis & profundis. Morbis harum partium & aliarũ frigidis inde natis ſuccurrit, quouis modo vſurpatum, vt cephalalgiæ antiquæ, hemicraniæ cõtumaci epilepſiæ, paralyſi, vertigini, ſpaſmo cynico, tremori, dolori ventriculi, aut coli pituitoſo aut flatulento, cũ ſucco rutæ & aceto dictis partibus illitum, & attritis muſculis: vel cũ liquore idoneo ſumptũ, & clyſtere iniectum: cum aqua rutæ verò aut helenij nutritũ & potum, craſſa & lenta ex pulmonibus & thorace potenter educit. Illitum quoq; tuſſi antiquæ, difficultati ſpirandi, dolori laterũ prodeſt. Cum duplo item myrobalanorũ citrearum in hydrope aquas ſeroſas mirè extrahit. Splenis quoq; duritiem & inflationẽ diſſipat potum, & cũ ſucco capparis, & aceto illitum: item chæradas, nodos, & alios tumores duros. Nutritum quoque cum ſucco rutæ aut fœniculi, & felle auis alicuius rapacis, viſum clariorem reddit. Fluxionem in oculum præcipuè factum ab ea cohol ſanat, hordeolum ex aceto illitum delet. Menſes quoque potum & ſuppoſitum euocat: fœtum necat, dolori vteri, & præfocationi prodeſt: quoniam tenua

**Sagapenũ arbor ſimilis panaci Gal. in antidotis. optimus liquor, ſplẽdidus foris rufus, intus albus acer odore medio inter ſylphiũ & galbanum Dioſ. quod in ſagapenũ mutatur Gal. in ant. Craſſos humores ex pulmone expurgat Dioſco. ſed vim per inferna purgatricem. Græci tacuerũt, Arabes inuenerũt. Opiſthotono ruptis, cõuulſis, prodeſt Dioſcor. Cicatrices etiã oculorũ tenuat et expurgat Gal. & morſibus ſerpentũ inſigniter auxiliatur,*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0126-6
DFG

nuat,reſoluit,diſsipat,prouocat,ſoluit. Quod autem ventriculo & hepati noceat,cum ſtypticis,maſtiche,ſpica,& ſimilibus ſumitur:cum enula quoq; proprietate quadam mira per ficit.Si colocynthis ſeminibus tantũ abiectis,aqua cum pauca ſpica & maſtiche impleta ſub cinere calido ad tertiæ partis conſumptionem coquatur,& hac aqua paulatim ſæpe affuſa nutriatur ſagapenum,ex eoq; ſiccato trochiſci fiant,magnarũ ſunt virium ad iũcturarũ affectus,& aquas ſeroſas vacuandas. Poteſt nutriri aqua macerationis myrobalanorum citrearum, vel ſucci enulæ non purgati vnciis ſeptemdecim cũ maſtiches & ſpicæ nardi ana drach.tribus,coctis ad dimidij conſumptionem,& colatis. Datur à drach.ſemiſſe ad drachmam vnam.

*Aceto ſolutum ſi mulier odoret, præfocationem ab vtero ſoluit.*

*Verum ſagapenum aqua infuſum aut vino,ſtatim diſſoluitur Gale. Galbanum calidum in fine ſecundi,aut initio tertij,& ſimiliter calidum ſagapenum ipſi proximum, licet caloris ordinem in hoc Gale.taceat,tenuium partium, nonnihil tergens.*

*Splendidum vt ſarcocolla acre, erui magnitudine vitreo in ventribus ouium collecto præfert. Dioſc. Plin. lacteum. Gale. recens album, vetus flauũ ſcribit eſſe.*

## *De euphorbio.* CAP. XX.

EVphorbium liquor eſt arboris in deſerto frequentis,hiſpidæ,foliis item prioribus hirſutis,quibus delapſis ſuccedũt alia polio marino ſimilia.Id eſſe debet leue,fragile,clarũ, colore pallido,acerrimum ſapore,& odore:recens & annotinum eſt venenoſum:igneum,calidum ſiccum ordine quarto: omnium lachrymarum calidiſ.tenuiſ.vrit,rubrificat,vlcerat, penetrat,terget,tam violenter agit,vt præ anguſtia & labore syncopen & ſudorẽ frigidũ accerſat.Purgat autẽ præter cætera pituitam craſſam & lentam,quantumuis impactã etiam à neruis & iuncturis remotis & profundis ſumptum,ſed vt mox dicam,emendatum. Idem ex oleo leucoij lutei ſolutum, affectibus neruorũ frigidis,paralyſi,ſtupori,tremori,ſpaſmo, ſpaſmo cynico,nodis,illitu mirè conducit: hepatis quoque ac lienis tumoribus,& dolori ab intemperie frigida,& flatu,& ei qui per iuncturas,& partes alias turget,occurrit.Puluis eius ex aceto alphis valenter affrictus eos delet:idem ſternutamentũ valentiſsimè ciet.Cum oleo de ſpica illitum occipiti,lethargicæ obliuioni prodeſt:aquas quoq; vacuat. Ventriculo & hepati nocet ſuæ actionis vehementia:ob id parum tenuiter eſt terendum, & miſcendum acrimoniam obtundentibus, calorem

*Pituitã purgat,ſed magis aquam Paul. Si cũ odorata potione bibatur, iſchiadi medetur. Dioſco.*

rem flammeum extinguẽtibus, lubricãtibus, & horum omniũ tanta copia, vt ſuperficies eius vndique tegatur, & veſtiatur. Alkanzi quoq; euphorbij grana oleo amygdalino inuoluta mergit mali citrei diuiſi ſucco acido, & malum maza circundatum, coquit. Sic obtuſa acrimonia fit innocentius, vel oleo amygdalino inuoluta: deinde cũ ſucco glycyrrhizæ, vel manna, vel ſapa ex larga ſtypticorum copia ſoluto, in catapotia formentur: danda quibus opus eſt. Humain quoq; euphorbium propinat cum mulſa, & aromatibus quibuſdam, & maſtiche, ſpica, communibus aliorum medicamentorum valentiũ epiceraſticis. Aqua hordei autẽ, & alia lubricantia cum oleo amygdalino ſæpe poſt euphorbium potanda, vt calorẽ extinguant, & leniendo celeriter ex corpore deturbent. Aureo vno ſumptum necat Dioſco. †Datur à ſiliqua vna ad ſiliquas tres, quo ſumpto frigus vitandum eſt. Anno primo eſt venenoſum, ad annum vſq; quartum eſt validum, præſertim cum initio, vel lentibus, vel fabis ſeruatur.

*Euphorbium liquor ferulaceæ arboris Dioſco. herbæ folijs acanthinis in monte Athlante, Plin. in Tmolo Mauritania Dioſco. à Iuba rege inuentum, ab Euphorbo ſuo medico, Antonij Muſæ fratre, vocatum. Paul. dat ſiliquas quinq; vel ſeptem, imo drach. vnam cum melle cocto, ad pituitam & aquam ducendam ad drach. vnam accedit Dioſcorid. Auicen. tres obolos. Serapion duos. Cætera de hoc, & alijs ex noſtris ſimplicibus locupletare potes.*

*De Opopanace.*

CAP. XXI.

OPopanax* eſt liquor plantæ ſimilis ferulæ, caule cubitali, vel bicubitali pallido, foliis ferulæ, ſed minoribus, floribus anethi modo in vmbella diſpoſitis, odoris, flauis. Secto autem caule digitis duobus, aut circiter ſupra radicem liquor effluit. Flauus qui coagulatus eſt opopanax optimus, ſi intus albus eſt, foris flauus amarùs, fragilis, in aqua mox ſolubilis, odoris boni, ſed ſui. Adulterant hammoniaco, intectis ſcilicet ex ipſo granis opopanace vero. Dolum prodit odor & albedo in fracturis. Radice etiam planta hæc vtilis eſt, calida ſicca tantùm ordine ſecundo: tertio autem opopanax vtrunque

ter

*Euphorbiũ cum maſtiche & tragacãtho coctum in pane dedit in morbo Italico Manardus, & ſine manifeſta noxa iuuit. Cum melle tantũ Dioſ. cũ melle cocto Paulus præbet.*

*†Id in Dio. non legi, ſed drach. tribus necare ſcribũt, Rhazes, Sera. Auicen.*

** Panacis Herculei liquor omnibus dicitur, tamen Aſclepium panax hic potius deſcribi cognoſces, ex vtriuſque notis à Dioſc. expreſſis. Radix ſcinditur cũ caulis germinat, caulis autem ſcin-*

terget, digerit, tenuat, flatus diſsipat craſſos, lenit, expurgat. Purgat pituitam craſſam & lentam clam à remotis partibus, cerebro, neruis, ſenſoriis, iuncturis, thorace.

Ob id prodeſt harum partium affectibus frigidis inde natis, viſui imbecillo, tuſsi antiquæ, difficultati ſpirandi, iſchiadi, gonagræ, podagræ. Vino muſteo incoctum poſt tres menſes potu hydropem leuat, & lienis tumorem. Ex mulſa calente potum, ſtranguriam ſanat, menſes mouet, abortum facit: alioqui ab vtero præfocationi & frigidis vteri affectibus ſaluber. Stomacho item nocet, ſitimq́; excitat, tardè purgat, corrigitur vt ſagapenum. Idem aceto ſolutum collutionis dentium dolorem & eroſionem ſanat. Potum cum aceto hora vna ante acceſsionem, & cum ſucco apij, & oleo anethino ſpinæ illitum, rigorem febrilem prohibet. Ex ipſo autem & ſucco apii, & aceto bono emplaſt. lieni impoſitum ipſius duritiem diſsipat. Datur à drachma vna, ad drach. duas. Nodos, ſtrumas, emplaſtro diſsipat, & reſoluit, & iſchiadem, gonagram, podagram, & aliorum articulorum dolores quouis modo vſurpatum, hoc eſt, ſumptum, clyſtere iniectum, admotum præſertim cū ſucco braſsicæ, melle, pauco ſale. Vlcera fiſtuloſa, antiqua, putrida, cacoëthea, dyſepulotica, expurgat, carne implet etiam ſuper oſſa nuda (quod opus illi eſt peculiare) & cicatrice tegit, ſi Ebengezar ait opopanacis vncia vna, raſuræ panni antiqui tenuis, mundi, vncia dimidia cum vino & melle, & oleo roſato paulatim alternis affuſo, teratur in mortario, donec fiat vnguentū. Huic tamen poſteriores addiderunt lithargyri, aloës, myrrhæ, ſarcocollæ, ana drachmas duas.

*ditur tempore meſsis exitq́; liquor cādidus, ſed vbi aruit, croci colorē foris acquirit: optimus intus candidus vel ſubrufus, foris croceus amariſsi. grauis odoris pinguis, friabilis, diſſolui facilis, leuis, & verus, qui digitis in aqua contritus diluitur, & lacteſcit: malus eſt niger & mollis Dioſco.*

*Opopanax calidus ordine tertio, ſiccus ſecundo Gale. calefacit, mollit, diſcutit radix verò terget, ſiccat, & quia nō vehementer calefacit, carnem generat. Ad claritatem oculorum inungitur, ad lateris dolores, tuſſes, rupta, conuulſa, cum mulſa ſumitur: cum eadem verò aut vino, ad ſtrangurias, veſicæ ſcabiem, & tormina. Durities vteri & inflationes diſcutit, & fœtus occidit, cum melle ſolutus; & radix abraſa & ſuppoſita, fœtum educit. Fructus cum vino potus præfocationi vteri medetur, podagræ cum vua paſſa, illius opopanax, podagram, iſchiademq́ ſanat. Dioſc.*

*vulne*

*Mezereon. *Ramis tenuibus ſpecioſis, bicubitalibus* Dioſco.
†Minoribus Dioſco. *fructus initio viridis, pòſt rubet, operimento tegitur duro foris nigro, intus albo* Dioſco.

*Thymelææ fructus vi cauſtica fauces vrit, folia fauces mordent, & ſcarificant, chamelæa minus calet.*

*vulnera antiqua, & cacoëthea radix ſanat, carnemq́ in his generat, & oſſa nuda carne veſtit Dioſco. Gale. acopis & capitis medicamentis miſcetur, cauis dentium dum dolent, imponitur, carbunculos rumpit, cum pice miſtum ad canis rabidi morſum optimum eſt emplaſtro. Dioſcori. Vim purgatoriam Græci tacuerunt.*

*Chamelæa pituitã, & bilem vacuat* Dioſco. *hydropẽ ſanat Paul. thymelææ ſemen, coccum gnidium dictum bilem, pituitã, & aquam vacuat aluo* Dioſco. *Thymelæa nocet ſtomacho* Dioſco. *Chamelæa cum melle vlcera ſordida, & cruſtoſa purgat* Dioſco. *& Gale. dẽtiũ dolori, et ſcabiei, impetigini, alphis nec chamelæam, nec thymelæam adhibet* Dioſco. *ſed ſchamelæontem nigrum.*

## *De Thymelæa.*

### CAP. XXII.

THymelæa (quæ Perſis mezereon, *id eſt, rapiens vitam, aliis faciens viduas, multis leo terræ vocatur) planta eſt lactariarum maxima, caule bicubitali, foliis oliuæ, ſed †maioribus, fructu nigro, myrtarum magnitudine, eaq́; multiplex, vna foliis magnis, tenuibus: altera foliis quidem paruis oliuæ modo, ſed multò ſpiſsioribus: alia foliis criſpis, aſperis. Ex his item quædam foliis virentibus, alia nigricantibus, colorem pauonis referentibus. Præſtantior eſt, quæ foliis eſt magnis, tenuibus, virẽtibus, in loco libero nata prope alias ſpeciei eiuſdẽ. Quæ verò ſola in magno agri ambitu oritur, pernicioſa eſt, vti etiam, quæ prope thermas, & quæ foliis eſt paruis, & ſpiſsis: item quæ criſpis, aſperis, item quæ nigricantibus. Calida eſt ac ſicca ordine quarto potiùs quàm tertio, vt filius Zezar cenſuit. Vis enim ei ineſt valenter acris, ignea, vlcerans, mordens, inflammans, cõſumens, virtutes diſſoluens. Aquas ſeroſas valenter purgat, melancholiam quoque, vt ait Alexander, ſi melanogoga miſcẽtur: pituitam, ſi phlegmagoga: bilem flauam, ſi cholagoga, vt abſinthium duplum, aut myrobalani: hydropem ob id mirè iuuat aquis ex ventre eductis. Lumbricos & animalia alia interanea necat, pellitq́;. Sed hepati, cæteriſq́ue partibus nutritoriis nocet. Ad quartanam cõmẽdatur à Ioannitio. Turunda ex ea & melle vlcera fiſtuloſa cacoëthea, id eſt, maligna curat. Acetum cui hæc incocta eſt, collutione

*Chameleontis nigræ radix habet quid venenoſi: thymelææ autem & chamelææ, qualitatem venenoſam nemo veterum tribuit, tamẽ ob actionis vrentis vehementiam malefica, & venenoſa dici poteſt.*

dentium dolori & eroſioni, gingiuarum cruentarum mollitiei medetur. Eadem cum aceto oleo, cera, vnguentum eſt ad ſcabiem vtile: cum aceto autem forti: melle, & ſulphure, alphos, leucum, lentiginem delet. Quin & folia ex aceto forti iis affricta idem poſſunt. Quoniam autem id partibus principibus facultatum nos gubernãtium, ceu fontibus veneni modo nocet, eas deiiciens ac diſſoluens, eius vis acerrima & maligna frangatur cõtrariis, acrimoniam, & calorẽ flammeum obtundentibus & extinguentibus, qualia ſunt olea frigida, & adſtringentia. Muccago pſyllij, ſuccus portulacæ, & magis intybi, aut halicacabi, aut ſolani humidi, aut ſonchi aut aqua oxyacanthæ, myrobalani quoque: abſinthium duplum autore Zezar: acetum item vno die traditam ſibi thymelæam corrigit Dioſ. Idem acetum cui incocta vel infuſa fuerit in ſyrupo acetoſo coctum, magnarum & expertarum eſt virium: melius ſi eodẽ aceto antè macerata fuerint cydonia, vel maciana, vel vua oxyacanthæ. Folia quoque eius lacte, vel aſinino, vel caprino: dulci vel acido, vel ſero lactis infundãtur, vel igni lento coquãtur deſpumando, & coletur. Tuto id propinatur malitia eius ſic ablata.

*Apud Auic. id legitur, non Dioſco.*

Syrupus roſatus antequàm ſit percoctus, ſi eo maceretur aliquantiſper thymelæa, ſaluber eſt ac ſecurus Galeno. Idẽ ius galli antiqui ſi in eo macerata ſit pollicetur.

*Syruporum non meminit Gale.*

Oleum quoq; thymelææ aliis miſtum virtutẽ ipſius frangentibus eſt efficaciſſimum. Fit autem ſic.

Foliorum thymelææ vncias quinq;, macera horas vigintiquatuor, aquæ dulcis lib. tribus, coque igni lento ad dimidias, colato adde olei amygdalarum dulcium vncias octo: percoq; ad aquæ conſumptionem. Foliorum quoq; horum vnciæ duæ, cado magno muſti impoſitæ. Poſt tres menſes vinum id ad hydropem efficaciſſimũ reddunt autore Rufo, expulſis ab eo citra noxam ſeroſis excrementis. Ad eundem hydropem benedictum confecimus medicamẽtum ex foliorum thymelææ præparatorum drach. decem, carnium cydoniorum ex aceto coctorum ſacch. albiſſi. ana drach. ſeptuaginta, mannæ drach. quadraginta, ſeri lactis cui infuſus ſit agaricus drachm. triginta, olei thymelææ prædicti drach. duodecim; ſaccharum &

*Vinum thymelæites & chamælæites parat Dioſ. Nam drach. triginta thymelææ coliculorum foliorum, & ſeminis in vini cõgios tres iniicit, coquit ad vnius conſumptionẽ: & ſimiliter ex chamelæa niſi quòd nõ coquit, ſed muſtũ bullire ſinit duos menſes.*

manna in ſero illo ſoluantur, carni cydoniorum miſceatur, coque igni lento ad mellis ſpiſsitudinem. Puluis foliorum oleo dicto inuoluatur, & miſce omnia. Catapotia idem valenter, & tutò præſtantia recipiunt foliorum præparatorum drachmas quinq;, myrobalanorum citrearum drach. quatuor, cepularũ drach. tres: miſce cum manna vel tamar indis, aqua intybi ſolutis. Mediocriter coqui poteſt: multa tritura vis eius vaneſcit. Aqua hordei & vuarum paſſarum noxas eius in corpore abolent: aqua autem intybi & ſonchi calorem ab eo in nobis relictum extinguunt. Styptica quoq; medicamenta depellunt ex corpore, & frangunt violentiam acrium. Datur decocto à drach. ſemiſſ. ad drachmam vnam, pul. autem à ſiliquis duabus, ad ſiliquas quinq;.

*Thymelæam coquit Dioſcori. ad tertiæ partis vini conſumptionẽ, chamelæam Serapion ad duarum ex tribus partium, quæ vtraque coctio multa dici poteſt.*

*Mezereon Serapionis eſt chamælæa Dioſcori. Mezereon autem hoc Meſuæ eſt thymelæa Dioſco. cùm verò differentias eius deſcribit, mezerei nomine vtranque, & præterea chamælæontem vtranque comprehendere videtur cum Auicen. nam folijs magnis, & ſubtilibus chamælæam intelligere videtur. Paruis autem oliuæ ſimilibus, multum ſpiſsis: thymelæam folijs anguſtioribus & pinguioribus Dioſco. Criſpis & aſperis chamælæontem (nam chamælæa, & thymelæa folijs ſunt oliuæ) viribus album, ſubnigris nigrum. Hic enim nomen habet à coloris foliorum varietate, quæ nunc valde viridia, nunc cyanea, nunc ſubalba, nũc rubra pro locorum differentia ſunt Dioſco. modo chamæleontis animalis colores varios mentientis. Folia thymelææ tunſa exemptis fibris dantur, aut vt minùs purgent, elixa, & cum lente vel conciſis oleribus miſta & ſumpta dantur Dioſco. Ex folijs chamælææ cum duplo abſinthio, & aqua dulci catapotia format Dioſcori. Paulus drach. quatuor chamælææ in aqua mulſa, cotylis duabus coctas, donec quarta pars ſuperſit, dat; & catapotia ex duabus abſinthij partibus, & vna chamælææ dicit purgare vt elleborum, gnidia verò grana à viginti ad triginta.*

*De Eſula.* CAP. XXIII.

Eſula herbarum lactariarum ſpecies, ruſticorum purgatorium. Huius vna eſt magna, radicibus rotundis, magnis, denſis & graui cortice intectis. Altera parua, radiculis exiguis, cortice tenui intectis. Maior viſcera vlcerat, ob id pernicioſa. Parua eſt præſtantior, præſertim cortice radicis tenui, leui, fragili, ſubrubro caſsiæ modo, ante ſex menſes collecto. Nam recens quo menſe collecta mala eſt, vti & niger, & orta loco aliquo prope thermas. Colligenda eſt Veris initio. Lac autem quod calidius, acrius ac valentius, fine Veris. Calida ſicca principio tertij gradus, ſubſtantia conſtat tenui, ignea acri, incidente, tenuante, fundente, ſiccante, aperiente: & terrea ſtyptica etiam ſiccante materias altiùs immerſas: purgat valenter pituitam, aquas, atram bilem etiam à iuncturis: ob id harum doloribus confert, & hydropi inſigniter, ſed nocet cordi, ſtomacho, hepati, viſcera excoriat, venarum ora diſrumpit, corpus immodicè ſiccat, ſemen abſumit, febres inflammãdo excitat, lacte ſuo maximè. Ob id miſcenda ei ſunt cardiaca, ſtomachica, hepatica, adhæc glutinoſa, cogentia, & adſtringentia, glutinantia vt gummi, tragacanthum, bdellium, muccago, pſyllij, ſuccus portulacæ. Poſtremò refrigerantia & calorem illum extinguentia. Infundatur ergo in acetum, præſertim quo cydonia ſunt macerata, aut decocta, & ſuccum intybi, vel ſonchi, vel portulacæ, vel ſolani: additis autem myrobalanis, abſinthij, aloë, præſtantior euadit. Iudæus infundendo in acetum, aut lac ſæpe mutando, & ſiccando corrigebat. Si te autem immodicè purgat, ſede in aqua frigida ex Ruffi conſilio. Frigus enim ambiens & medicamenti virtutem in vnum cogit, ipſumque roborat, & per accidens iuuat, protruſis à ſe materiis ad meatus per quos ſunt vacuandæ, ſuccurrendumque eſt, vt in canonibus diximus. Catapotia ex ea facta idem poſſunt, recipiunt autem eſulæ præparatæ, myrobalanorum citrearum ana drachm. quatuor, aloë drachm. quinque cum ſucco fœniculi aut intybi miſce: dantur à drachma vna & dimidia ad drachmas tres. Quidam ex lacte eius & farina faciunt oblatas purgatorias. Alii ex lacte, aceto, ſaccharo, alij carne cydoniorum & maſtiche. Datur autem cortex radicis à ſiliquis duabus, vſque ad ſiliquas ſeptem: lac verò à ſiliqua vna, vſque ad tres.

*Alſebran.*

*Hæc pityuſæ Dioſco. in quibuſdam inuentæ videntur conuenire.*

*Malam Serapion & Auic. etiam dicunt.*

*Lac radice valẽtius, et ſemẽ ex Gale. doctrina videtur.*

*Lactariorũ liquor calet ordine quarto, ſed radix minus calida eſt lacte ipſo.*

*Auicen. & Paul. idem conſulunt.*

*Ex pityuſæ ſucco cũ farina fiũt catapotia Dio.*

*Radicis pityuſæ drac. duas, fructus vnam, foliorũ tres, ſucci cochlear dat Dio.*

*Serapionis eſula eſt Dioſco.pityuſa: Meſuæ autem eſula tithymali ſpecies videtur cypariſsia, vel potius paralios, quæ pityuſæ ſatis ſimiles ſunt folys ex Dioſco. deſcriptione. Paralios enim folio lini eſt, quod etiam eſulæ herbariæ tribuunt. Vtut eſt, lactaria eſt eſula. Nam tithymali & pityuſa etiam lactariæ ſunt.*

## *De Dracunculo.*

### CAP. XXIIII.

DRacunculus (collum draconis dicta quibuſdam) duplex: vnus foliis planis, radice foris nigricante, intus alba: alter eſt foliis criſpis, radice foris cinericia, intus alba palleſcente. Caulis vtriuſque maſculis ceu ſerpentis eſt variegatus. Radice valet, magna perfecta, in locis liberis nata: legenda Vere, aut Aeſtatis initio. Criſpa Dioſcoridi calidior, quàm plana. Nam Ruffo illa eſt calida ſecundo gradu, hęc primo, ſeu potiùs cùm Galeno criſpa calida in fine ſecundi gradus, plana in principio eiuſdem: ſubſtantia conſtat ignea calida, acri, ſuperficiaria: terrea, largiore. Terget, incidit, tenuat humores craſſos, & lentore hærentes, aperit, penetrat, ſed criſpa potentiùs, quàm plana. Pituitam tenuem & craſſam purgat, etiam à thorace & pulmonibus, ob id aſthmati & tuſsi humidæ cõfert, præſertim eclegmate ex ſucco eius & melle, & ſapa: vel data cum ouis: renes roborat, vrinas mouet, venerem excitat. Vterque hæmorrhoidum dolores & flatus vel ſuppoſitus, vel emplaſtro admotus, vel quouis alio modo vſurpatus, mirè ſedat Democrito, id quod experti ſumus. Humorem quoque crudum ventriculi, & renum mirè iuuat. Tumores etiam duros ſplenis & aliarum partium reſoluit, carnem ſupercreſcentem in† vlceribus fiſtuloſis, & malignis, & naribus conſumit, roſionemq; ac cancrum in eis naſci prohibet. Succus eiuſdem cum melle in aurem inſtillatus tinnitum, ſurditatem, dolorem auris ſanat, terget eius ſordem, & vlcera in ea ſiccat, faciem vterq; terget,

*Luf à Syris dicitur lupha Dioſco. Arus Pli. radice nigra, Dioſ. alba. Dracũculus radice cãdida, rotũda, tenui cortice Dioſ. & althæ radicis nomine intelligit᷑ ab Hippo. Vtriuſque dracũtÿ radicem meſſibus legit Dioſ. Arus calidus ſiccus primo gradu, dracunculus aro calidior, acrior, amarior, tenuiorum partium quàm arus Gal. Folia ex aceto & ſale aluũ inaniũt Plin. Græ. neuter catarticus dicitur, ſed craſſos & lentos hũores tenuare, & expectorare, ex thorace obſtructa liberare Dioſc. Gal. † Hoc de vtroque Dioſco. ſemen cancrum, & polypum curat Gal. collyrÿs factis cũ melle, fiſtulas Dioſc. cum oleo ſeu ſucco ſeminis in aures infundunt Dioſ. Plin.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0134-0
DFG

& cutim expurgat: lentigines, panum, alphos, præſertim cum melle delet. Cum melle item & ſtercore caprarum podagram, & cõtuſionem neruorum & dolorem, emplaſtro ſanat. Peſſo menſes trahit, & abortum facit. Fugare etiam ſerpentes, viperas, vermes venenoſos dicitur. Vterque dracunculus nocet acrimonia ſua ventriculo & hepati imbecillis, morſuque ſuo ex vicinis partibus in ventriculum fluxionem allicit. Priorem noxam periti prohibent, miſcendo ſapam, aut mel vuatum, & aromata: ſecundam additis ſtomachicis adſtringentibus, vt maſtiche, cydoniis. Trochiſcis quoq; diarrhodon poſt dracunculum ſumptis. Hamech verò ex radice criſpæ in vino lota, cocta, ſi imbecillius vis medicamentum, non cocta, ſi valentius, trita ad libras duas, cum ſapæ libris ſex, vel mellis & ſapæ ana lib. tribus, & piperis, cinnamomi, zingiberis, macis, caryophyll. ana drach. ſex facit electarium dandum à drachmis tribus ad drach. ſex, quod certiſsimè humorem crudum & ab eo flatus in ventriculo, partibusque aliis nutritionis & renibus reſoluit, & inde natum harum partium dolorem mitigat, hæmorrhoidas ſanat, venerem excitat. Ex eadem radice Hermes hieram deſcripſit efficacem ad cephalalgiam, hemicraniam, vertiginem, epilepſiam, paralyſim, tremorem, torturam. Humores enim craſſos, lentos, & tenues educit à capite, neruis, ventriculo, iuncturis, & corpore reliquo. Ob id natis inde doloribus renum, iuncturarum, vteri, mirè ſubuenit. Recipit autem aloës vnciam vnam, pulpæ colocynthidis drach. octo, radicis vtriuſque dracunculi ſiccæ, ireos, turbith, agarici, ſagapeni, myrobalanorum citrearum, cepularum indarum ana drachm. vnam & ſemiſſem: zingiberis, cinnamomi, maſtiches, ellebori nigri euphorbij, aſari, caſsiæ ligneæ, ſalis indi, croci, caſtorij, apij, libyſtici, ſeminis thymelææ, ſtœchados, ana drachm. vnam: ſcillæ aſſatæ drach. duas & ſemiſſem, ſcammonij drach. duas. Omnia curioſè terantur, & ſucco cucumeris comprehendantur: ſiccentur, iterùm eodem comprehendantur, & pauco nucum oleo iterum ſiccentur, & melle deſpumato excipiantur in mazæ craſsitiem. Poſt ſextum menſem detur à drach. vna ad drachm. duas. Philagrius ex radice plani, recenti, munda, pertrita curioſè cum æquali farina tritici tortellas format, & panis modo coquit, & dat quotidie ad hæmorrhoidas delendas. Vterque dracunculus perfectam coctionem ſuſtinet.

*Arus podagris illinitur* Dioſ. *folia cum ſale recentia vel ſicca articulis podagricis* Plin.

Caſtigatio.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0135-6

*Qui ſecundus eſt in Dioſcoride, dracunculus eſt ocioſus, ob id ex noſtris exemplaribus Latinis rectè ſublatus. Arum autem Meſues dracunculi nomine continet, tertium tamen non facit. Eumq́ ut dracunculum folijs & radice fauces, & ventriculum velut exurere quotidie experimur, non multò poſt guſtatum. Nam initio nihil ſapit, quamuis amarus, acer, adſtringens ſit, licet in agro Ferrarienſi, à quibuſdam citra noxam mandi libenter folia ſcribat Manard. & Dioſcorid. ob minorem acrimoniam in cibum expeti: & Galenus radicem dracunculi & ari inter veſca lib. 2. alimentorum reponat, non tamen vbique addit, ſed locis quibuſdam. Cleophantus purulenta ſcreantibus dedit apud Plin. farina permiſtum in pane cocto. Ex minoris radice cum multo melle placentas parant. Baleares, & in conuiuijs dant Dioſcorid. Minor vrinas, & venerem mouet Dioſcorid. pota vino: maior venerem mouet eidem. Odor radicis ſolius aborſum facit Dioſcorid. in peſtilentia ſalutaris eſt radix Manardo. Nos vel cocta ex aqua, vel ſub cineribus toſta, melle excepta vtimur feliciter in aſthmate.*

## *De Bryonia.*

CAP. XXV.

BRyonia * eſt planta, quam vitem albam vocant, radice foris terrei coloris, intus alba, ex qua pullulant ſtipites arboribus aliis plexu multiplici inuolui ſoliti, & in his racemi vuis ſimiles, quos vuas lupinas vocant. Alia eſt vitis nigra radice foris cineritia, intus alba, minus tamen quàm prior, quæ reptilium cucurbita dicitur. Minus item calida, & ad omnia imbecillior quàm alba, quòd in ea plus ſit ſubſtantiæ terreæ amaræ, quàm igneæ acris. Bryonia enim Dioſcoridi calida ſicca ordine tertio, conſtans ſubſtantia terrea, pauca aduſta, ob id amara, multa autem ignea, acri, mordente: † Galeno autem incîdit, tenuat, terget, rubrificat, ſubadſtringit. Vtriuſque radix, ac præcipuè ſuccus, pituita etiam putri, cerebrum, neruos, par

** Hæc radice foris nigra, intus buxea Dioſ. viti albæ ad omnia ſimilis, ſed imbecillior, lib. 6. ſimp.*

*Folia, fructus, radices dicit acres.*

*Ordines nõ exp̃ſſit Dio. Moderatè calet Gal. Aui. nunc calida ordine tertio, nũc tẽperata dicitur*

*† Hoc nõ habet Gal. lib. 6. ſimp.*

*Albæ radicis ſuccus Vere expreſſus, cũ mulſa potus pituitã educit Dioſcor.*

*Radicis drach. vna anno toto potui datur epilepticis Dioſc.*

partes reſpiratorias purgat, obſtructiones viſcerum, renum, aperit, vrinas mouet. Quapropter epilepſiæ, vertigini, & cæteris [cerebri, &] neruorum affectibus frigidis confert apertè ac etiam tuſsi & aſthmati, præſertim lambendo ſumptum, & laterum dolori. Turiones eius cùm primùm creſcunt, eduntur præcipuè cum aromatibus, orisque odorem tetrum emendant, præſertim quem humorum in ventriculo corruptio excitat. Spiritus tamen in cerebro miſcere dicitur vſu crebro.

*Tumores etiam ſplenis reſoluit, præſertim cum vino & ficis emplaſtri modo impoſita radix, & oxymelite ex hac facto & ſumpto. Paronychiam cum vino ſanat, confert vlceribus malignis, fragmenta oſsium extrahit, & ſpinas, & ligna, præſertim cum vino & melle: ſorbitio ex ſucco eius, frumento cocto, & melle, lac auget, bene coctum vterum purgat, aborſum facit ſumptus & ſuppoſitus. Tam radix, quàm ipſius ſuccus faciem terget, & cutis reliquæ fœditatem, panum, vulnerum veſtigia, præſertim cum farina cicerum, & fabarum, coctumque cum oleo ſugillata delet. Fiunt inde trochiſci faciem claram reddentes, fœditatem cutis tergentes, colorem bonum ac roſeum ſeu rubro permiſtum facientes: accipe farinæ puræ, tritici, hordei, ciceris albi, fabarum, amygdalarum dulcium, tragacanthi ana drachm. duas, radicis bryoniæ ſiccæ drachm. vnam & dimidiam, cum albumine oui fac trochiſcos, line cum decocto hordei, & poſt duas horas ablue decocto furfuris. Ex ſucco autem bryoniæ nigræ melle & vino præſertim ana, fit potio ad ſtrumas experta, & emplaſtrum ex ipſius radice, & melle eaſdem delet. Confert morſibus animalium venenoſorum. Corrigitur vt dracunculus, ob id illi mox hanc ſubiecimus. Ex bryonia medicamentum à Democrito compoſitum apertè efficax, ad epilepſiam, paralyſim, vertiginem, & cæteros affectus frigidos cerebri, ſpinalis medullæ, & ortorum vtrinque neruorum, accepit radicis bryoniæ mundatæ, & tritæ, lib. dimidiam, ſapæ, vuarum paſſarum lib. quatuor, ſquillæ aſſatæ, ſtrobylorum purgatorum ana, vnciam vnam & ſemiſſem, nucis moſchatæ, cardamomi, macis, zingiberis ana drachm. duas, caryophyllorum, piperis longi, ſtœchados ana drachmam vnam, & ſemiſſem, ſeſeleos, ſalis gemmæ, galliæ ana drachmam vnam, ſpicæ drac. dimidiam, agarici drachmas tres. Datur poſt ſex menſes à drachmis duabus, ad drachmas quinque. Idem accipit ſucci bryoniæ vncias quinque,

** Aſparagi eius boni ſunt ſtomacho, quia ſub amari, leuiter acres adſtringũt, & Vere elixi et ſumpti aluũ & vrinas mouẽt. Dioſ. & Gal.*

*Aſparagi, ſeu prima Veris germina nigra menſes mouent, lienes minuũt, epilepticis, paralyticis, vertiginoſis vtiles Dioſ.*

aceti ſcilini libram vnam, aquæ coctionis origani, hyſſopi ſicci, libyſtici, ſeſeleos, cardamomi, ſtœchados ana drachmam vnam, ſapæ, vuarum paſſarum libram dimidiam, mellis libras duas. Fiat ſyrupus idem pollens, quod prior compoſitio, ſi detur vnciis duabus. Ex ſucco eiuſdem & ſapa vuarum paſſarum eclegma ad tuſsim, & aſthma efficax filius Zezar componit. Datur autem radix bryoniæ, & vitis nigræ ſimiliter ab aureo vno ad aureos duos, ſuccus autem à drach. vna, ad drachm. duas.

*Calet multum bryonia baccis rubentibus, quibus depilat, & ob id coria, denſantibus eſt vtilis Galen. libr. 6. ſimpli. & quicquid attigerit, rubrificat ignis modo, vnde noſtratibus ignis ardens tota planta dicitur, Gallis colubrata, fortè quòd ſub hac colubri ſæpe ſtabulantur. Radix albæ vitis confert epilepticis, attonitis, vertiginoſis, ſerpentum morſibus, aborſibus: ſed mentem interdum turbat, quod ſpiritus permiſcere vocat Meſues. Vitis albæ radix, quia terget, ſiccat, moderatè calfacit, lienes induratos liquat pota trium obolorum pondere, per dies triginta cum aceto, & foris cum ficubus admota: pſoram quoque & lepram ſanat Dioſcorid. Galen. phlegmonas ex vino diſcutit, emplaſtri modo impoſita, & abſceſſus rumpit. Oleo incocta donec colliqueſcat, pterygia delet, & ſuggillata Dioſcorid. Cum ſale, radix, folia, ſemen albæ, ad chironia, gangrænica, phagedænica, putrida crurum vlcera faciũt impoſita: eadem radix trita impoſita oſſa educit. Succus cum triticeis granis coctus potus, lac auget. Cum eruo ephelidas, ionthos, lentigines, nigras, cicatrices delet, morſibus viperæ prodeſt, drach. duarum pondere pota.*

*Panis porcinus.*

*† Parũ lata eſt, & nigra, caule digitorum quatuor nudo Dioſcor.*

### *De Cyclamino.*

CAP. XXVI.

CYclaminus panis dictus, his fauni, aliis porci, maior inuenitur, & minor. Maioris radix rapæ modo † rotunda, fo-



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0138-3
DFG

ris terrea & nigra,intus alba,à qua folia & flores violæ nigræ
ſimiles,ſubalbi, ſine caule.Minoris radix ſub terra plurima
auellanæ: & cicerum forma, vterq; eſt medicatorius, calidus
ſiccus initio tertii ordinis,incîdit, tenuat, reſoluit, terget, ex-
purgat, obſtructiones aperit, ſudorem copioſum mouet, cu
tem fœditate eius ablata omnium maximè expurgat. Pituitã
lentã & craſſam ſumptus,& ſuppoſitus,atq; adeò femori, ili-
bus,& vicinis partibus illitus purgat. Obſtructiones viſcerum
præcipuè ſplenis aperit,maximeque ex oxymelite,& ſumptus
& emplaſtri modo admotus colicum dolorem à pituita, aut
ſtercore ſuppreſſo ſanat,caput,& oculos inſigniter expurgat,
præſertim errhino ex ipſo in nares recepto,præſertim poſt pur
gationem per hieram,aut theodoricon, aut catapotia fœtida,
aut ſimilia. Quapropter viſui imbecillo,& aquis in ipſum ruẽ-
tibus,hemicraniæ,cephalalgiæ,torturæ,paralyſi,& cæteris ce
rebri affectibus frigidis confert, errhino, vt dixi, attractus.
Icterum ſanat experiẽtiâ certâ,præſertim ſucco cum oxyme-
lite,vel œnomelite ſumpto, & operto deinde diligenter cor-
pore. Nam ſic ſudore largo materia etiam in vaporem verſa,
bilioſo excremento exonerabitur. Duro lieni confert quouis
vtendi modo, & tumoribus aliis, vt etiã ſtrumas iuuet. Men-
ſes mouet,ſumptus & ſuppoſitus hæmorrhoidas potentiſsimè
aperit. Eius radix collo mulieris appenſa, conceptum prohi-
bere dicitur,ſedis procidentiam illitu iuuat. Corrigitur vt dra
cunculus,& bryonia,ſucci huius drach.quatuor cum ſaccha-
ro ſolutas,& ad tertiam coctas, manè ſumptas, icterum ſana-
re, certiſsimum & expertiſsimum affirmat filius Serapionis.
Idem præſtare ſuccum eum cum æquali portione oxymeli-
tis,vel œnomelitis,vt prius coctum,& ſumptum Græcus teſta
tur. Vnguentum præterea eſt Alexandri ex cyclamino, quod
ventri,femori,ilibus inunctum,aluum deiectione purgat: ſto
macho autem vomitu vacuat aquas ſeroſas, idoneum hy-
dropicis, & à medicamento abhorrentibus : recipit autem
ſucci cyclamini libras tres, ſucci cucumeris agreſtis libram
vnam, olei irini libras duas, butyri vaccini libram vnam,

*Flos roſaceus quidem & ad purpuram vergens, ſed forma violæ nigræ: altera autem eius ſpecies flore cãdido, radice inutili: nulla multitudinis mẽtione Dioſ. Gale. Gradus non finit Gal. nec Aui. Attrahit quoque Gal. cũ hydromelite potus pituitã, & aquam educit & vmbilico, pectini, coxendicibus illitus aluum ducit & aborſum facit Dioſcor. Galen. Succus cum melle errhinũ fit Dioſ. & oculis ſuffuſis, & hebetibus inungitur (nõ naribus immittitur Dioſcor.) Drachm. tribus cum paſſo: aut melicrato potatur radix in ictero Dioſcor.*

euphorbij vnciam vnam, pulpæ colocynthidos vnc. tres, polypodij. vnc. ſex, trita, quæ teri poſſunt, ſuccis octo dies mergantur in vaſe vitreo anguſti oris, obſtructo probè: poſt hos ſemel ferueſiat, coletur: colato adde ſagapeni aureos quinque, myrrhæ aureos tres in aceto priùs diſſolutos, quanto eſt opus: coque ſemper rudicula mouendo, donec ſuccus propè omnis conſumptus erit: tunc adde ceræ vnc. quinque, fellis vaccini aur. quinque, coque donec cera erit liquata: tunc adde ſcammonij, aloës, cocci gnidij, colocynthidos, turbith, ana aur. quinque, ſalis gemmæ aur. tres, euphorbij, piperis longi, zingiberis, chamæmeli, cinnamomi, ana aur. duos: pulueriſata in mortario permiſceantur. Vnguentum quoque alterum ex cyclamino fit ad reſoluendam duritiem ſplenis etiam lapidoſam, & ſtrumas: recipit ſucci cyclamini, humoris lenti ex radice filicis emulcti, ana lib. vnam, ſucci extremorũ tamaricis ſurculorũ vnc. duas, olei irini libras duas, œſypi vnc. quindecim, aceti, vnc. duas, hãmoniaci, bdellij ana vnc. vnã & ſemiſſem, ceræ flauæ vnc. ſex: fac vt priùs Cyclaminus coctionẽ ſufficiẽtẽ ſuſtinet. Datur præſertim ſucco ab aureis duobus ad aur. quatuor.

*Alterius cyclamini acinorum denarius in vini albi cyathis duobus, dies quadraginta potus lienem per aluum, & vrinas emittit Dioſ. Prior autem miſcetur medicamentis, quæ tubercula ſtrumas, omnemq́ue duritiem diſcutiunt Gal. Cum vino denique bibitur contra omnia venena Dioſc.*

*Longa, mas rotunda, fœmina* Dioſ. *Auicẽnæ nõ* Dioſc. *ſunt hi gradus* Longa *non minus calfacit ſed fortè magis minùs tamen tenuium partiũ, quã rotũda: amara, ſub*

## *De ariſtolochia.* CAPVT XXVII.

ARiſtolochiæ tres ſunt ſpecies: longa, rotunda, & clematitis, id eſt, ſarmentaria dicta, quòd radices vitis ſarmentòrum ſimiles ſpargat. Omnes calidæ ſunt Dioſc. in principio ordinis tertij, ſiccæ ſecundo: longa tamen calidior videtur, quãuis terreæ in ea ſubſtantiæ plus ſit, quàm in rotunda, quæ ob id tenuioris eſt ſubſtantiæ, & ad omnia efficacior. Vtraque tamen obſtructiones aperit, reſoluit, attrahit, ſpinas extrahit & lignorum fragmenta carni infixa, tenuat: ſed hæc omnia rotunda magis ob dictam prius cauſam: pituitam purgat, & quorundam ſententia etiam bilem, thoracem quoque & pulmones pituitâ etiam putri expurgat inſigniter: quapropter tuſsi humidæ, & aſthmati etiam antiquo maximè prodeſt quouis vſus modo, vt etiam ſi ſuffitu vaporem per infundibulum æger inſpi

*acris vtraque longa terget, digerit minus quàm rotunda. Ob id ſarcoticum vtilius eſt vlceribus & fomentis vteri Galen. Rotunda ſpinas trahit Dioſco. Gale. †Cum pipere & myrrha pota & peſſo ſubdita Dioſcor. de longa. Rotunda cum aqua pota valet rigorē Dioſc. Clematitis cum oleo aut ſuillo adipe inūcta ſpinæ rigori valet: ſuffitu verò ad graues febres Gal.*

ſpiret, horum præſertim trochiſcorum accipientium ariſtolochiæ rotundæ, arſenici pares portiones comprehendendas oui vitello in trochiſcum aut auellanæ formam fingendas, vnius fumum certis interuallis, vt dixi, per infundibulum inſpiret æger. Ariſtolochia quoque præſertim rotunda cerebrum expurgat, ob id epilepſiæ confert: ſtomachum etiam eadem iuuat, ſingultu à flatibus conflictatum. Hos enim non modò à ſtomacho, ſed liene & aliis viſceribus diſsipat, horumq́ue obſtructiones liberat, & natos inde dolores ſedat, præſertim cum oxymelite radicato. Omnis autem ariſtolochia vterum à partu †expurgat, menſes mouet, aborſum facit. Rotunda præter hæc vlcera maligna, fiſtulas mirè iuuat, quia terget, & carne implet. Podagram quoque & muſculos contuſos cum melle & pauco ſale emplaſtri modo admota iuuat: cum hydromelite verò curat aurium vlcera & auditum roborat. Acetum denique cui incocta eſt, gingiuas adſtringit, & putredinem ab his aufert: dentes: quoque confricatu deterget. Rigori etiam febrili remedium eſt ſingulare. Purgando non nocet, ſed viſceribus confert. Quod ad alia attinet, vt dracunculus corrigenda. Coqui teriq; plurimùm poteſt. Datur à drachma vna ad aur. vnum.

*Clematitis ſeſquidrachma Paulo purgat vt colocynthis. Aëtio fructus ſicci drach. duabus purgat bilē et pituitam. Rotunda auxiliatur aſthmaticis, ſingultientibus, epilepticis, podagricis, ſi cum aqua bibatur, ruptis item & vulſis, et doloribus ab obſtructione, aut flatu crudo & craſſo, putredinibus prodeſt, vlcera ſordida, dentes, gingiuas expurgat.*

## *De Ricino.*

### CAPVT XXVIII.

Ricinus*granum regium eſt duplex: paruus & magnus (quod kerua Mauris dicitur) vterq; medicamentis aptus, ſed magnus magis, ob id eligendus. Calidus ſiccus gradu tertio Dioſc. Hamech autem in principio tertij. Pituitam ac inter-

**Magnus eſt Palma Christi, vulgò lathyris: vulgò cataputia, eſt paruus. Græcus etiā huius tacet Gale. tergere & digerere tātùm dicit. Triginta granis pituitā, bilē, aquas, purgat ſuprà et infrà ricinus: lathyris verò granis ſeptē vel octo eadē ſimiliter purgat Dioſco. ricini fo*

*lia tergent, digerunt, purgant minùs, quàm fructus Gal. Oleum id ad lucernas eſt vtiliſsimum, tenuium partium, & calidius quã commune.*

*†Alij duodecim.*

dum bilem violenter purgat, deiectione & vomitu materias quoque & aquam ſeroſam à iuncturis attrahit. Dantur autem grana eius cocta & trita in iure galli antiqui, conferuntq́; colico dolori, & iuncturarum, vt podagræ, iſchiadi, aut coquuntur in aqua caſei, aut lac caprinum ſuper ea mulgetur & colatur, & datur hydropicis vtiliter. Oleum autem cicinum ſeu ricininũ colico dolori à pituita & flatibus confert. Corrigitur vt balanus myrepſica. Ex vtroque oleum extrahitur vt ex amygdalis. Datur à granis quinque ad grana ſeptem: alterius à granis ſeptem ad grana† quindecim.

*Folia lathyridis cum gallinaceo aut oleribus cocta idem præſtant, quod ſemina, Dioſc. Oleum id purgat aquam, lumbricos necat, ſcabiem, capitis vlcera, ſedis inflammationem vteri præfocationem ſanat Dioſc. Ricini grana triginta, lathyridos grana ſeptem vel octo dat Dioſc. cum caricis aut dactylis aqua frigida ſuper bibula. Paulus vſque ad quindecim in robuſtis ſcilicet vt ea mandant, imbecilliores autem & malo ſtomacho integra deglutiant. Viginti grana pota cũ aqua pura aut mulſa purgant facilè Plin. bilem & aquam, ſi munda ſumantur: ſi autem cum folliculo, vehementius purgant & ſtomachum lædunt.*

*Myrica tamẽ Latinis eſt tamarix.*

## *De geniſta, ſeu ſparto.*

### CAPVT XXIX.

*Virgas habet longas abſque folijs ſolidas ad frangendum difficiles: flores leucoij Dioſc.*

*†Phaſeoli*

*Semina & ſurculorum ſuccus ſtrenuè trahuntur Gal.*

SPartum, geniſta Latinis & myrica eſt arborum capiſtrum: eſt autem arbor montana, cuius rami deſinunt in virgas multas rectas, flexiles, fractu contumaces, quibus vites & alia ligantur: flores habet flauos, lunatâ figurâ ſiliquas†orobinis ſimiles, & ſemina in his lenti ſimilia, interuallis diſtincta. Vltra marina & orientalis eſt, melior, calida ſicca ordine ſecundo Dioſ. Semen verò calidius, floribus & ramulis humiditas ineſt incidens, ſed excrementoſa, & ob id vomitoria. Quin planta hæc omnibus ſuis partibus conturbat, prouocat, incîdit, tenuat. Pituitam & materiam à iuncturis violenter purgat vomitu & deiectione, renes omnibus excrementis perpurgat, vrinas valenter mouet, calculum frangit in renibus, atque adeò in veſica, nec in his materias figi, ac in



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0142-4
DFG

calculum dureſcere ſinit. Flores quoq; huius cum melle roſato aut ouo, ſtrumas reſoluunt. Oxymelitem ex his vel ſeminibus, tumores lienis reſoluit. Vomitus quoq; cum his frequens iſchiadi, podagræ, & renum doloribus prodeſt. Nocet ſtomacho & cordi: ob id cum melle roſato ſumi vult Philagrius, vt his partibus nocere deſinat, & eadem ratione cum roſis & maſtiche. Semen verò eius cum aqua mellis roſati ſumēdum eſt: aniſum quoque, & fœniculi, vel dauci ſemen eius noxas caſtigant: flos modicum coqui poteſt, ſemē diutius. Datur, præſertim flore, à drachmis duabus, vſque ad drach. quinque: ſemine autem à drach. duabus, ad drachmas quatuor.

*Seminis & floris obolos quinq; dat Dioſc. Plin. ſeſquidrach.*

*Semen & flores cum melicrato pota tuto purgant per ſuperiora, ellebori modo: ſemen quoque infrà purgat: & ſuccus ex ramis aqua madefactis extractus, à ieiuno cyathi menſura potus, iſchiade & angina laborantibus eſt vtilis. Plinius aceto pluribus diebus macerat ad iſchiadem, & ſuccum eiuſdem cum oleo inungit. Sunt qui maceratum muria, aut aqua marina, clyſtere inyciunt ad iſchiadē, cruentaq́; & ſtrigmenta vacuant. Semen quoque ſtranguriam ſanat Plin. & idem geniſta tuſa cum axungia genua dolentia curat.*

## *De elleboro.* CAP. XXX.

Elleborus duplex, albus, & niger, idemq́ue ſalubrior albo: quin & albus ſymptωmata terribilia minatur: niger autē corpus incolume, & velut iuuenile tuetur. Eligendus in eo genere eſt ſapore acri, guſtantem mordēte, colorē aſari, fragilis, medius ampli & gracilis, recentis & vetuſti, grauis & leuis, aut potius leuior quàm grauior: leuis autem ac ſine aſperitate. Radix eius eſt præſtantior, & in ea fibrarum ac radicularū cortices, Vere, aut Aeſtate colligatur. Albus autem minus eſt tum acer, tum mordax: neque mox acrimonia eius apparet, ſi amarior eſt nigro. Cætera nigro facultate eſt ſimilis, niſi quòd diutius ſeruari poteſt. Niger eſt calidus ſiccus ordine tertio, tenuat, terget, reſoluit, carnem vlceribus ſupercreſcentem exedit. Adde, quòd ſi is ad arboris alicuius radices creſcat, fructus ipſius purgatorios reddit.

*Ellebo. olim terribilis fuit: poſteà tam promiſcuus, vt pleriq; ſtudiorum cauſa ſumpſerint: albus autē multò terribilior nigro Plin.*

Albus autem calidus ſiccus in medio tertij. ſimiliter terget,

mor

mordet:ſed vomitu multo purgat,& ſternutamenta violenter mouet. Vitandus autem hic eſt, quòd ſtrangulet. Niger autem omnium conſenſu ſumendus,præſertim caſtigatus natura & arte:ſolis robuſtis & animoſis dandus,& Vere ipſo. Datus autem,quando & cui conuenit,temperamentum facit melius,ob id mores quoque probatiores reddit,& corpus incolume,ac velut iuuenile efficit. Hæc enim propria ipſius ſunt opera, Hippocrate autore. Corpus enim totum excrementis corruptis expurgat:cleměter ac ſine moleſtia vacuat bilem vtrãque, & pituitã: ſanguinem proinde puriorem reddit attrahendo ſcilicet excrementa in venis ſanguini miſta, non à ſolis cauitatibus partium, ſed à toto corpore, ac etiam remotis partibus,& cute ipſa.

Ad cerebrum quoque purgandum,& caput totum, & ſenſuum inſtrumenta,& neruos,& viſcera,& veſicam,& vterum eſt efficaciſsimus:cerebrique affectibus,vt cephalalgiæ hemicraniæ,maniæ,melancholię,vertigini,epilepſiæ,paralyſi,aquarũ in oculos defluxui,apertè confert:iuncturarum quoq; morbis,vt nodis,& tumoribus ſcirrhoſis aliis:ſtrumis etiam. In ſumma,eſt velut theriaca,& per antonomaſiam medicina elephãtiæ,cancri, herpetis,eryſipelatis,†exanthematum,phagedęnarum. Puluis quoque tenuiſsimus ellebori nigri,viſum roborat. Acetum quoq; cũ hoc decoctum,auri inſtillatum tinnitui cõfert,& auditum roborat. Idem acetum ſi os colluat, dentium dolori confert:præterea ſplenis affectibus, febrib. diuturnis, quartanæ bilioſæ,reliquis affectibus melancholicis ſanatu cõtumacibus:vrinam,& menſes mouet:corporis colorem & odorem bonum efficit, ac etiã oris, cutis affectus,†& alphos vtroſque quouis vtendi modo ſanat:ex aceto affrictus cuti,eius fœditatem & panos delet. Albus autem vomitu immodico,& violento ſymptomata excitat terrenda: foris autem affrictus cutis vitia,ſcabiem,impetigines, lentigines valenter iuuat. Vterque autem fiſtulis & vlceribus putridis ac malignis medetur. Albus igitur quia huius tempeſtatis corporibus eſt moleſtus, quin & velut venenum, præſertim ſuffocans, vitetur. Nigri autem virtus ad noſtra vſq; tempora eſt tolerabilis,licet etiam difficilis. Sanis enim corporibus elleborus eſt moleſtus, inquit Hippocrates:arte autem & induſtria noſtra caſtigatum quando & cui oportet, rectè propinamus: agitq; ſalubriter. Filius autem Zezar manna melli ſimili tepida quantitatem corticis

*†Bothor puſtulas vocant, variolarũ generi affines.*

*†Morpheam & baras.*

*Aph.16.lib. 4.de albo, non de nigro.*

radi

radicularum ellebori aptam horis octo macerat, colatum dat, in quo virtus eſt ellebori. Idem fit in melle vuato, aut iure gallinarum vel carnium, aut oxymelite, aut vino dulci, aut condito, aut ſyrupo, aut ſapa aliqua, ſuperaddentes polentam vel orizam, aut pultem, & ſorbitioni per ſe datur. Sunt qui in radicem rhaphani perforatã ellebori fibras immittunt die vno: poſtridie fibris ablatis, dant rhaphanum vires ellebori habentem. Daucus item & piper longum, aniſum, petroſelinũ, hyſſopus, ſuccus calaminthæ, origanum, opus cyrenaicus, efficaciorem ipſum reddunt: & præter hæc, epithymus, polypodiũ, ſal Indus, & ſimilia: ſe enim hæc confirmant. Ex hoc item catapotia formauit Haly ad affectus melancholicos, elephantiã, alphos nigros contumaces efficaciſsima, quæ recipiunt hieræ picre drachmas duodecim: ellebori nigri, polypodij, ana drachmas quinq;, epithymi, ſtœchados, ana drachmas ſeptẽ: agarici, lapidis Cyanei, ſalis Indi, colocynthidos, ana drach. tres. Dantur tuto à drachma vna ad aureos duos. Vtriuſq; verò ellebori virtutem ex corpore deturbat mulſa decoctum vuarum paſſarum, aut hordei, aut gallorum, aut gallinarum, cum oleo nucum, vel amygdalarum dulcium, vel ſimili, puluerem verò ellebori ſumere tutum nõ eſt. Datur autem à ſiliquis ſex ad tertiam drachmas vnius, vel vſq; ad drachmam vnam.

*gro. Omnis autem medicatio ſanis eſt periculoſa. Aph. 36. & 37. lib. 2.*

*Cum ſimilibus herbis Paulus dat.*

*Radiculæ graciles, breues, & velut decurtatæ ex cepoſo velut capite procedentes, in vſum ſolæ veniunt Dioſcori. nec hæ totæ, ſed harum cortex deligendus, carnoſus, ſpecioſus, medulloſam intus partem, & quæ eximenda eſt, habẽs tenuem: guſtu acer & feruidus, aſperis tumulis & locis ſiccis, qualis Anticyra eſt, natus, in frangendõ puluerem emittens Plin. Semen tamen à quibuſdam purgationibus adhibetur: ſumma quoque radix, quæ velut cæpe canibus datur purgationis cauſa. Meſsibus albi radices leguntur Dioſco. & Plin. Albus amarior eſt, & minus acer nigro Gale. Albus eligendus guſtu feruens, non tamen vehementer, ſed ſaliuam particulatim, non ſimul mouens, mediocriter extentus, candidus, fragilis, carnoſus, non acuminatus aut iunceus, nec, dum frangitur, puluerulentus, medul*

*Albus in pul. potus valde nocet & ſuffocat: nigrum autem tritum dat cum melicrato Paulus.*

*dul*

*dullam interiorem habens exilem, qualis Cyrenaicus. Improbatur Galatius, Cappadocius, Italus, albior, & magis puluerulentus. Pauli tempore vtebantur elleboriſmo per album, & nunc quoque: ſi enim bonus eſt, venenoſius non fuerit. Quin ellebori nomine apud Hippocratem & Gale. albus venit, vt Apho. 1. lib. 5. Apud Arabes contrà. Ellebori nigri cum alijs miſti vſus non eſt difficilis, ſæpe magno ſucceſſu in melancholia morbo, ſum vſus ſyrupo Saporis, largo ſatis elleboro nigro incocto: & Manard. non difficilem eius vſum expertus eſt, & drachmam integram ſolam potam parum profeciſſe. Paulus infundit aqua dies quinque vncias duas: ergo multus ſatis mannæ, vel melli, vel alijs incoquatur. Si in radicem raphani immittatur albus elleborus, elleboriſmi modus ſimplicior eſt Paulo.*

*Cũ hoc ſucco calidiſſimo nollem dare.*

*Albus datur per ſe, & cum ſeſamo, aut thapſiæ ſucco, aut alica, aut mulſa, aut pulte, aut lenticula, aut ſorbitione alia. Niger autẽ coquitur cum lente, aut iure aliquo Dioſco. Nigrum cum ſcammonio & ſale dat idẽ. Album debilibus cum ſucco ptiſſanæ, aut alicæ, aut alio ſimili, Paulus.*

*Niger pituitam & bilem infernè purgat Dioſco. Bilem maximè flauam, Paulo: Albus autem vomitu purgat res varij coloris Dioſco. Rem viſu terribilem in varijs coloribus vomitionum Plin. Elleborus bonus ad exanthemata, impetigines, lepras, herpetas, eryſipelata, icterum, Paulus. Albus oculorum collyrijs contra caligines imponitur Dioſcori. Oculorum caliginem fotu diſcutit Plin. Niger auri inditur, & poſt biduum aut triduum eximitur in difficili auditu. Albus & niger menſes ciet, & fœtum occidit ſuppoſitus Dioſco. vel appoſitus. Niger ſcabiem curat cum thure, aut cera, & pice, & cedrino oleo inunctus: cum aceto vitiliginem, impetiginem & lepras Dioſco. Albi puluis ſuffocationem facit: ob id incidẽdus in formas ſeſamorũ magnitu-*

dine.

dine. Quibus verò per os accepiſſe ſuſpectum eſt, duarũ drachmarum decoctum clyſtere inijciatur, & balanus ex eo & melle facta Paulo ſupponitur: & Dioſco. cum aceto facta balanus. Niger appoſitus ſi triduo maneat, fiſtulas purgat Dioſco. Nigri obolos tres, aut drach. vnam dat Dioſco. adiecto etiam ſcammonio. Manardus quoque drach. vnam dedit cum granis duobus ſcammonij in malo cydonio aßi, minusq́; & leuius purgant quàm iuſta doſis pilularũ, quas aggregatiuas vocant. Albi Themiſon dabat drach. duas, Plin. ſequentes quatuor, antiquorum vitium cognoſcentes, qui ob metum parcius dabãt, cum celerius erumpat, quò largius ſumitur. Vetant tamẽ dari ſenibus & pueris, & mollibus, ac fœmineis corporibus. Paulus dat à drach. vna ad drach. duas, debilioribus in ſucco alicæ, aut ptiſſanæ, fortioribus in aqua calida aut melicrato, ſectum tamen, non in puluerem tritum, vt antè monuimus. Albo non eſt vſus Manard. ex Italis tamen robuſtos ferre poſſe putat: non dandum tamen niſi in diuturnis & valentibus morbis, per alia remedia non ſanatis, vt hydropi, cachexia, elephanto, paralypſi, epilepſia, podagra, morbo Italico, qui peßimus & longiſſimus eſſe cõſueuit, & auxilia communia velut contẽnere.

Cùm præter ſimplicia medicamenta ad aluum ciendã à Ioan. Meſuæ ſcripta, alia nonnulla apud medicinæ autores inuenerim: ea annotationibus hiſce noſtris præmittere, viſum eſt non inutile. Ea ſunt: Myxa, id eſt, ſebeſten: Cynocrambe, hoc eſt, Canina braßica: Pulegium, Bdellium Arabicum Pathenium, id eſt, Matricaria: Tragoriganum: Iuli nucis iuglandis, catuli vocati: Fæx vini, Tartarum dicta: Atriplex, Malua, Aſphodeli radix, Allium, Beta, Blitũ, Ceſtri, id eſt, Vetonicæ folia. Braßica ſemicocta. Aqua ſtillans à cucurbita in fornace excocta. Chamæpitys, dicta Iua. Lapathon, vulgò Rumex vocatum. Lac, præcipuè aſininum.

ninum. Butyrum. Lentis primum ius. Semen cornicularis, & ſpumei papaueris, Reſina pini piceæ, & laricis, quæ vulgò putatur & vocatur termintina. Item vera, quæ nūc adfertur ex Terebintho, Terebinthina. Vrtica, Seſamoides maius & minus, Peplis, Peplos, Chameſicæ, Lappago, Clematidis ſemen, Picnocomon. Apios, id eſt, ſylueſtris Rhaphanus, Alipon, Empetron, Heliotropion, Magnes, Cortex radicis Capparis, Thlaſpi, Flos, æris, ſquama æris, Mandragoræ ſuccus, Daphnoides, quæ & Laureola, Sambucus, Ebulus, Lac, & cimæ ficus, Filicis fœminæ folia, Peponis & cucumeris radix, Lactuca ſylueſtris, radix Peucedani, Staphis agria, Thapſiæ ſuccus, Androſæmos, Aſcyros, Hippophaes, Hippopheſtos, Lactariæ multæ ſpecies, Mercurialis Struthion, id eſt, radicula, vel condes. Horū hiſtoriā & vires ex ipſis autoribus licet ediſcere: mihi ſatis ſit hoc loco nomina conſcripſiſſe.

FINIS.

# IN ANTIDOTARIVM

## Ioannis Meſuæ Annotationes quædam.

*

*ANTIDOTARIVM eſt vocatum, quòd contineat deſcriptiones antidotorum, hoc eſt, medicamentorum, quæ non foris admota corpori, ſed in corpus recepta, affectibus medentur. Antidotus autem hæc, vel hoc antidotum Græcis dicitur contra affectus datum, vnde Gal. lib. de hac materia ſcriptum, περὶ ἀντιδότων, id eſt, de antidotis vocauit: noſtrates verò libros hac de re ſcriptos, Antidotarium inſcripſerunt, etiam ſi non ſola antidota, quæ omnino ſumũtur, ſed etiã admouenda, olea, vnguenta, cerata, emplaſtra, ex æquo continerent. Quæ duo cauſarũ ſalubriũ materias præcipuè cõprehendunt, quanquã educẽda & faciẽda ipſarum reliqua duo genera magni etiam momenti ſunt in multis morbis. De ſumendis igitur tantum & admouendis Meſu. ſcribit, & illa tanquam præſtantiora, plura, vſu frequentiora, & ferè priora præponit: quibus etiam educendorum ratio quædam complicatur. Hæc propter oppoſitas rationes poſtponit: in ipſorum tamen vtriſque quorundam ordinem cur mutarim, paucis accipe. Inter ſumenda ſtatui prima omnium condita, quòd hæc parte ſua plurima ſint alimenta, non omnino medicamenta. Vt igitur à re nobis familiari magis incipiat oratio, hæc in prima acie locaui. Poſt hæc autem iulepos & ſyrupos natura propè tota, viribus, conſiſtentia, parandi modo conditis proximos (niſi ſi qui in his ſint medicamentoſi magis & compoſiti) vt omittam ſyrupo ſuo condita ſeruari. Sunt item ſyrupi ſuccorum*

Gal. in initio libr. de Antido.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0149-7 DFG

& aliorum quorundam velut condituræ, ad ſaporis gratiam, & cuſtodiæ diuturnitatem. Quoniam verò in ſyrupis plerique ſunt thoracici & pulmonici, præſertim quos deſcripſimus poſtremos: ob id eclegmata viribus his affinia propè omnia ſubiunximus ſectione tertia. Sectione autem quarta deſcripſi decocta atque infuſa his conſiſtentia proxima, & quibuſdam ſyrupis aluum ſoluentibus facultate affinia: vt alicunde inciperet antidotorum propriè appellatorum tractatio. Quanquam & infuſiones & decoctiones ſyrupis ſint neceſſariæ, ſed aliæ multò quàm quæ his Meſ. decoctis & infuſis, vel purgatorijs, vel ſaltem eccoproticis, & ſtercus deijcientibus deſcribuntur. Sectione quinta antidota cõcluſi, tum quæ electaria vulgus vocat, tum alia: ſed in his priora, quæ ſapore ſunt iucundo: poſt hæc amara, & hiera, & alia purgatoria. Sectione ſexta deſcripſi catapotia purgatorijs his proxima viribus, neque iucunda, & conſiſtentia non multò duriora. Septima ſectione trochiſcos multò his duriores ac ſicciores. Octaua autem pulueres quoſdam omnium ſicciſſimos. In admouendis prætereà ordinem mutandum cenſui, ac olea, cæterorum materiam, omniumq́; liquidiſſima, & ferè ſimpliciſſima, vſu frequentiſſima, vſu prima, non poſtrema ſcripſi cum Meſ. ſed reliquis præpoſui ſectione nona. Decima verò, his conſiſtentia & viribus propinqua vnguenta, adeò vt ſæpe olea vocentur. Vndecima autem ſectione cerata ex præcedentibus, & cera conſtantia, ac magna ex parte emplaſtrorum materiam. Poſtrema deſcripſimus emplaſtra, tanquàm maximè compoſita & duriſſima. Habes rationem ordinis in hoc Antido. à nobis parum mutati, non modò in ſectionum ordine, ſed in pleriſque etiam ſectionum ſingularum compoſitis, vt lectio te docebit: qua autem ratione id fecerim, facilè tuipſe coniectabis, vt cur ex fine ſyruporum con-

dita quædam incondita retulerimus: in ſyrupis, cur calidos, thoracicos, iunximus: in eclegmatis, cur viribus finitima: & in cæteris ſimiliter. Ea tamen cautione prædicta mutaui, vt nullam omnino Meſ. compoſitionem omiſerim, aut truncauerim: ſed omnes integras, verbis tamen non paulò purioribus deſcripſerim, licet interdum coactus Barbaras quaſdam voces retinui. Ipſas item libri totius particulas breuiores, quàm vt libri nomen mererentur, ſectiones appellauimus, Hippoc. in epidemijs, & Ariſtotelis in problematis τμήματα, hoc eſt (vt Gaza in Ariſt. vertit) ſectiones, imitati. An verò probem omnes ſcriptas hoc lib. compoſitiones, ſiue à Meſ. inuentas, ſiue ex alijs corrogatas, dicere malo cum Gal. illas me vt antiquas, & multorũ experientia probatas, recipere, & Galen. conſilio ſatius eſſe multo vſu expertas, & confirmatas compoſitiones ſequi, quàm nouas effingere: cùm præſertim methodo ſumma ſi quis altiùs expendat, plurimas Arabum compoſitiones conſcriptas iudicaturus ſit: quas verò paucas damnare conaberis. Si pauca quædam Arabibus certiſſima receperis, in illorum ſententiam omnino abibis, nullamq́ improbandam iudicabis. Quanquam enim harum multæ vſu exciderint, vitioſæ ob id exiſtimãdæ non ſunt, aut Hippo. ſuum pemplium & elleborum nigrum vitio verteris, medicamenta illi etiam in morb. acutis ad corpus purgandum conſuetiſſima quæ ob violẽtam actionem hodie attingit nemo. Et quod purgatoria medicamẽta, antidota, emplaſtra, vnguenta, trochiſci, malagmata, acopa, myracopa, & id genus alia, Dioſcor. Galen. alijſq́ celebribus medicis magno in pretio habita, nunc omnino vſurpari deſierunt. Vt rerum quæ verborum, conditio quædam ſimilis & viciſſitudo ſit. Quomodo enim de verbis cecinit ille, ſic nos de remedijs pronuntiare poſſumus, quòd ſcilicet,

Libr. 2. rat. vic. acut.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0151-4

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentq́;
Vſurpata modò medicamina, ſi volet vſus
Et ratio, Medicis duo præſtantiſſima doctis
Inſtrumenta, quibus quærunt, carpuntq́;, docentq́;.

*Quæ viciſsitudo in ijs Meſ. compoſitionibus vbi contigerit, notas propè ſingulis adſcriptas à nobis mutare cuiuis licebit. Adſcripſimus autem opinor non temerè notas huiuſmodi, ne ſcilicet in obſoletis hodie multam operam collocet bonus lector, quibus arithmeticorum neotericorũ circulum nullius per ſe numeri indicem cernet præpoſitam: in reliquis eſſet diligentior, præſertim celebrioribus & vſu frequentioribus quas aſteriſco & ſtellula quadam illuſtrauimus: vti quæ mediam horum conditionem ſuſtinent, cruce ſignauimus: ne verba hæc vſitatum, inuſitatum, toties mihi eſſent repetenda: vtq́; (quod nuper dixi) bonus lector in ſcripturis hodie conſuetioribus operæ plus ponat, quàm in diſſuetis. Quas ob id veru vel obeliſco confodiendas non cenſui, quòd non improbarem: quódque harum nonnullæ fortè fortuna haud ita multò poſt aſteriſcos alijs rapient. Tempeſtiuum mihi iam videtur pauca quædam de menſuris & ponderibus Meſuæ conſuetis dicere, ne quorundam nouitas inaudita lectori adhuc rudi aut imponat, aut ſit remoramento. Menſuris admodum paucis vtitur Meſues, vt libra menſurali, ſextario, quem κιστ pro ξεστ interpres vocabat, mina. Ponderibus vtitur ferè Græcis, κερατίῳ, οὐγκίᾳ, δράχμῃ: γράμμῃ autem id eſt, ſcriptulo, rarò: gaudet nanque parua pondera exprimere per drach. vnius partes tres, quatuor, 5. 6. vel partem tertiam, quartam, quintam, ſextam: vtimur & aureo. Κεράτιον autem, id eſt, corniculum: κερατ apocope interpreti vocabatur, vt Actuarius καῤῥούβιον appellat: quo nomine etiam hodie vulgus & Meſues ſiliquam ipſam appellat, grana circiter tria lupinis ſimilia,*

Menſuræ & pōdera Meſuæ.

*ſed*

*ſed minora in carne lignoſa & dulci continentem. Horum granorum quodque grana hordei quatuor pendit: octo autem lentis, etiam* κεράτιον *Græcis, Meſuæ* κερατ *quod in eo ponderum aliorum more per apocopem ſcriptum eſt, Latinis ſiliqua dicitur.* Κιστ *autem pro* ξεστ *corruptum ab interprete puto, quod, etiam apocope pronuntiatur vocis Græcæ:* ξέστης *enim Græcis dicitur, Latina voce ſextarius: in hanc detorta, vt* λιτρα *ex libra iiſdem detorta eſt:* οὐγκία *verò integrum eſt. Sextarius autē Italicus vt Galeno, ſic Meſuæ vſurpari videtur, qui duas cotylas ſeu heminas, ſeu libras menſurabiles, id eſt, vncias vigintiquatuor implet. Sed variū pondus efficit, ob rerū metiendarum naturā: vini enim ſextarius capit vnc. menſurales vigintiquatuor. Pendit autē librā & beſſem, ſeu vnc. viginti mellis: ſextarius duas lib. et ſemiſſem: olei ſextarius vncias octodecim pendit. Vnius drachmæ partes duæ ſcilicet ex tribus, ſunt ſcriptula duo: partes verò tres, ſcilicet ex quatuor ſunt ſcriptula duo, & grana quinque, ſeu grana quadraginta quinq̃, quæ ſunt partes tres granorum ſexaginta, quot ſunt in drach. Quantū autē pondus drachmæ tribuat, et quot drac. vnciæ impertiat, & quot vncias libræ, nō perinde compertum eſt. Drachmam autem ipſi pondus minus aureo apertū eſt ex locis nō paucis in ſimpl. & in Antid. vbi elect. pſyllæ dat à drac. tribus ad aureos tres. Elect. Hamech à drach. duabus ad aureos duos: et in catapotijs ſæpe à drac. vna ad aureum vnum, hoc eſt ſeſquidrachmā vt quibuſdam videtur: vt alijs pondus granis quinq̃ aut ſex, drachma grauius, quale eſt noſtri aurei ſolaris. Idem pondus etiā ſolidus, & cum Actuario* ἑξάγιον *dicitur. Aureum autem ſcribit Meſues in hiera Archigenis à Paulo deſcripta: vbi tamen Paulus ſemper habet drachmā: id quod in alijs ex Paulo ſumptis obſeruare licet. Quid quod Serapioni in*

*probanda theriaca, aureus eſt pondus duorum lupinorum, & Auicennas in curando aſcite dat catapotiorum quorundam aureum vnum debili: drachmam vnam forti? Alijs aureus in compoſitionibus purgatorijs eſt pars ſeptima vnciæ: in alijs eſt ſeſquidrachma. Vnciæ autem drachmas octo cum Græcis non videtur tribuere: Nam in hiera Ruffi ſcribit drachm. octo, vbi ſcribere potuit vnciam vnam, ſi illi drach. octo tribueret. In apozemate adianti albi ſectione quarta fumariæ vnciam vnam: mox addit, lupuli, violarum ſiccarum, ana drach. octo: cùm ſcribere potuiſſet, vt alibi ſemel fecit, tantundem: vel omnibus ſimul connumeratis ſubſcribere ana, id eſt, æqualiter particulam Galeno frequentem. In elect. Hamech, ſennæ & aliorum vnciam vnam, polypodij drach. ſexdecim: cùm ſcribere potuiſſet vncias duas. In tryphera verò Perſica myrob. flauarum vnc. vnam & dimidiam: cepul. Ind. ana vnciam vnam: belleric. emblic. ana drachmas quatuor: hîc pro vnc. dimidia videtur accepiſſe, vt proportione quadam pondus diminuat. Neque vnciam drachmarum nouem Meſuæ eſſe potes conuincere: cùm in hiera ſua ſcribat drachmas nouem, vbi dicere potuit vnciam vnam, ſi vnciæ drach. nouem tribueret. Mallem tamen cùm alia Galeni pondera & menſuras ſequatur, etiam cum Galeno vnciæ huius drachmas octo tribuere: non autem nouem cum imperitis quibuſdam pharmacopœis, nulla eius autoritate, nec ratione probantibus. Pondera autem drachma minora vitauit: ſcriptulo tamen vſus in Antidoto ex cocco baphica, & Antidoto aromatico Gabrielis: aliâs drachmæ vnius partes duas, tres, quatuor, quinque, ſex, dicere maluit, vt antè diximus.*

*FINIS.*

# IOANNIS MESVAE DAMASCENI LIBER TERTIVS DE ANTIDOTIS,

*

## *IACOBO SYLVIO MEdico interprete.*

*

CVM IN commentarios noſtros quædam à nobis experta commemoratione digna cō iecissemus, nobis viſum eſt hæc in opus vnū ordine idoneo cogere, cui titulum Grabadin, ſeu de antidotis fecimus: in quo medicamenta experta & ſecretiora, tum à nobis inuenta, tum ab his accepta, qui artis medicæ arcana perſcrutati ſunt, compendio tradere dignū exiſtimauimus. Hoc autem opus totum in libros duos diuiſimus. Priore medicamenta deſcribimus cōpoſita aliis celebriora. Altero ſingularū corporis partiū morbos propriis cuiq; remediis curare edocemus. Priorē verò in ſectiones duodecim diuiſimus, docuimusq́;, harum

| | |
|---|---|
| Prima, | condita. |
| Secunda, | ſapas, iulepos, ſyrupos. |
| Tertia, | eclegmata, ſeu linctus. |
| Quarta, | decocta & infuſa. |
| Quinta, | antidota, quæ electaria vocant. |
| Sexta, | catapotia, ſeu pilulas. |
| Septima, | trochiſcos. |
| Octaua, | pulueres. |
| Nona, | olea. |
| Decima, | vnguenta. |
| Vndecima, | cerata. |
| Duodecima, | emplaſtra, |

# DE CONDITIS SECTIO PRIMA.

CONDIVNTVR plantarum nunc radices, nūc ſurculi, & ſimilia: nunc flores, nunc denique fructus. De quibus omnibus ordine nobis dicendum eſt. Primò autem quibus modis radices variè condiri debeant.

*Condire eſt ſapidum & palato iucundum reddere, idq́; alimentis maximè conuenit: ad medicamenta verò transfertur: ambo autem ſaccharo vel melle, vel vtroq; cōdiuntur & dulcorantur, vt gulæ & ſtomacho ſint grata, & diu ſeruari poſsint integra, & recentibus proxima, non vt vires eis nouas quæramus, niſi quas ſaccharum, aut mel & coctio afferunt: præterquàm dum etiam aromata condîtis ipſis admiſcemus. Condiuntur autem radices, teneri caules, ſurculi, germina, flores, fructus quarundam plantarum: ſemina quoque non pauca, & cortices non modò fructuum, ſed lignorum etiam. Quæ verò condienda ſunt, ſi ampliora ſint, quàm vt vis condimenti coquendo, ad intima vſque penetret, vel ſi quid intus alienum continent, in fruſtra priùs ſecantur, & purgantur intus, & ſi eſt opus, etiam foris, minora verò quanta ſunt, condiuntur. Condîta verò hæc nouiſſe ad medicū pertinere præter, Meſuen, abundè ex Gal. lib. alimētorum colligere licet, atque etiā ex lib. c.ph.p. Illic enim obſonandi, & obſonia parandi artem medico neceſſariam ait, hîc fructuū aut potius ex his ſuccorū variorū conditurā docet: quod magni ſit momenti alimenta vel medicamenta condimentis ægro iucunda facere, nihil aut parum minuta ipſorum facultate. Condiendi verò, ſeu vt vulgò loquimur, conficiendi vocabulum latiùs nobis patet, vt etiam quæ igni clementer coquantur, & quæ ſale & aceto ſeruentur, confici dicamus. Contrà item condîti nomen neotericis medicis in anguſtum ſic eſt coactum, vt*

*illius*

*illius appellatione ea veniant ſola, quæ conſeruis (vt vulgò vocamus) pulueribus cordialibus, ſaccharo multo miſcentur in grumos exiguos & ſemiſiccos. Quæ cōſiſtentia ægris eſt gratior, quàm conſeruarum per ſe, quàm ſiccorum per ſe. Cur autem condita hæc prima ſtatuerim, ac in his, vt ſequentibus permultis, ordinē Meſuæ, nonnihil immutarim, rationem in præfatione antidotarij abundè docui.*

ERyngium conditum renes calfacit, venerem excitat, flatus tamen ventriculi diſſipat: ſic autem conditur. Radices eius amplæ albæ, teneræ, à cortice cinericio & ligno interno purgatæ, in fruſtra pollicaris magnitudinis ſectæ, vno caryophyllo humectato, & particula zingiberis humectati (vt mox in zingibere condito dicam) fartæ intus, vnde lignoſa portio execta eſt coquantur in æquali pondere ſacchari, & duplo †melle, vel melle ſolo ſed triplo· coctis addatur aromatum pōdus iuſtum. Datur ab vncia vna ad vncias duas. *Radices cōditæ.* *†Saccharo recentiores.*

*Cur ſim ſecacul Meſuæ interpretatus eryngium, lege in noſtris annotationibus in Antidotarium. Quæ verò aromata, & quanto pondere addi poßint, ex ſequentibus conditis colliges: quanuis & ſine his ſolo melle aut ſaccharo, aut vtroque condita hæc radix ſit odorata Dioſcoridi, & guſtu aromatico. Datur dormituris: mox etiam à cibo, & ante cibum tuto ſumi poteſt etiam largiore menſura. Radices cynoſorchis & ſerapiadis, & vtriuſq; ſatyrij ſimiliter in eundem vſum hodie cōdiuntur. Nam hæ omnes etiam Dioſcoridi ad venerem proniores reddunt. Meſues autem has radices hoc modo condit.*

DIaſatyrion analepticum & renutritorium phthiſicis, hecticis vel aliter conſumptis & emaciathis: ſemen auget, veneremq; incitat. Accipit radicum ſatyrij plenarum & recētium lib. vnam: tere, coque exactè in lacte ouino dulci quantum ſatis eſſe videbitur, ad lactis conſumptionem. Poſteà tere piſtillo ligneo cum vnciis tribus olei recentis amygdalarum dulcium. Deinde ſyrupum ex ſucci bugloſſi cocti & deſpuma O



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0157-9 DFG

ti libris duabus ſucci pomorũ dulciũ vnc. duodecim cum ſacchari optimi libris tribus coctũ ſuperfunde: miſce percoquendo. Poſtremò ab igni depoſito iniice cinnamomi drac. quinq;: been albi & rub. ana drach. duas: ligni aloës drach. tres: croci, ſantali flaui, tragacanthi, gummi Arabici, ozimi caryophyllati, cubebæ, macis, ana drach. vnam & dimidiam: repone vae vitreo. Da ab aureis tribus ad aureos quinque.

*Hoc inter electaria confectionem de teſticulis vulpis appellabat Meſues: Rarum vſu eſt: nec ſalubre hecticis, aut alia febre laborantibus, niſi aromata tollas: quæ condîto præcedenti etiam addi poſſunt ad venerem plenius augendam. Venerem verò quæ excitant, humida ſunt ad ſecundum ordinem, calida temperata & flatulenta. Vult autem Meſues eam radicem ſumi, quæ ſuperior eſt ac plenior, non eam quæ flaccida eſt, & vetuſtior alterius ceu parens. Quãtum autem vtriuſque vires differant, leges in Dioſcoridis cynoſorchi: ad renutriendum autem, datur vnc. ſemiſſe manè horis duabus aut tribus ante cibum: ad venerem verò, dormituris, aut etiam ante cœnam.*

*Gal. lib. 5. ſimpl.*

† Diaſatyrion alterum ſemẽ auget ac promouet, veneremque arrecto valenter pudẽdo concitat. Accipit autem libram vnam radicum eryngij in aqua cicerum ſecunda coctorum, quæ cum radicum ſatirij plenarum & recentium vnciis octo, radicis rhaphani domeſtici vnc. tribus: radicis draconthij vnc. duabus terantur, & adiectis olei ſeſamini & butyri vaccini ana vnciis quatuor, exactè igni lento coquantur in lactis vaccini, vel ouini quantitate ſufficienti, ad iuſtam craſſitiem: tunc adde mellis deſpumati libras † ſex: ſucci cepæ librã vnam & ſemiſſem perfectè coctum vbi erit, ab igne depoſito adde hunc puluerem, ſcinci caudarũ & lumborum drachmas octo, ſeminis erucæ, naſturtij, paſtinacæ, napi, aſparagi, zingiberis, cinnamomi, piperis longi, † linguæ auis, ana drac. quatuor: cum prædictis miſce. Poſtremò adde ſtrobylorum depellatorum libram vnam & dimidiã, piſtaciorum depellatorum vncias decem, cerebrorum paſſerum vncias duas: miſce omnia probè, aromatiza drachma vna moſchi boni. Datur ab vnc. ſemiſſ. ad vnc. vnam, cum vino generoſo & puro, ſed pauco.

*† Tres tantum hodie.*

*† Semen eſt fraxini.*

*Miſta*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0158-4 DFG

*Miſta hæc conditura quæ promitit, potenter præſtat: nam calidis humidis flatuoſis ferè conſtat, qualia maximè ſunt idonea Galeno libro quinto ſimplicium, ad ſemen non ſolum augendum, ſed etiam promouendum. Cicerum autem decoctum ſecundum miſcetur, quod flatu iuuet, & cùm vretica ſint, cætera ducunt ad partes genitiuas. Pro ſucco autem cepæ, mallem miſcere ſuccum bulborum, qui flatulenti ſunt, & venerem excitant Galeno libro ſexto ſimplicium: quod & Martialis innuit hoc diſticho,*

*Cùm ſit anus coniunx, cùm ſint tibi mortua membra.*
*Nil aliud bulbis, quàm ſatur eſſe potes.*

*Vel radices ſolæ ex aqua aut lacte coctæ, melle deinde condiuntur: radices enim primò melle vix percoquantur, & mel coctione tam longa vreretur.*

Radix paſtinacæ idem poteſt quod radix eryngij: & ſimiliter conditur.

*Conditur etiam ex melle & aceto elixa, ſicq́; in menſas nō inutiliter venit: alij quoque aliter. Radices etiam dauci, cari, ſeſari, raphani, panacis hortenſis, apij, & ſimiliter calidæ, in pituitoſis hominibus idem præſtant etiam tantum frixæ, vel ex iure carnium, aut cum butyro largo coctæ. Quin & raparum & naporum radices ex paucis aromatibus condîtæ & ſumptæ, viribus ſunt proximis, ari, dracōtij, aſſatorum: bryoniæ, iridos, hermodactylorum, gentianæ, aſphodeli, pæoniæ vtriuſque radices condîtæ fuerint efficaciſſimæ. Elenij autem radix ſaccharo aut melle cōdîta, partes nutritorias roborat, obſtructa liberat, peſti reſiſtit. Hactenus radices domeſticæ quas vires condîtæ habeant dictum eſt: nunc exoticæ ſunt dicendæ.*

Zingiber conditum intemperiem ventriculi frigidam & humidam ſanat, & ab ea tardam & deprauatam coctionem quæ cibos in acidam cruditatem corrumpat. Viſcerum lubricitatem corrigit, flatus diſſipat, alimenti in hepar

& cor

& corpus reliquum diſtributionem celerat: ſic autem fit. Zingiberis recentis, ſi haberi poteſt, ſin minus, ſaltem arte humectati pars vna coquitur, vt eryngium cum mellis partibus tribus, & ſacchari parte vna. Sunt* qui zingiberis humectati, & eryngij portionem æqualem ſimul condiunt, fitq; delicatius. Quidam præterea cōdiunt aromatibus, alij aliter. Humectandum autē zingiber album, purum, recens, aqua affuſa primū: deinde arena obrutū, vt in cepulis, myrobalanis mox dicam.

* *Neoterici ſolo ſaccharo condiunt. Nicolaus Salernitanus ſimul cōdit.*

*Zingiber viride, nobis etiam vulgo dicitur, quia recens ſaccharo conditum, ob hæc delicatius affertur ex loco natali Arabia, & troglodytica in Aegyptum, & inde ad nos. Hyeme, & ſeni eſt, & aliter frigidis ſalubre: calidis natura aut morbo, & æſtate, eſt noxium.*

O *Deſpumatū ſit mel.*

DIazingiber idem pollens quod zingiber conditum ſic fit: Sacchari albi partes octo, mellis albi partes quatuor. Saccharum aqua & melle ſolutum coquatur quantum neceſſe, tunc zingiberis boni, albi, læuiſsimè puluerati partes tres curioſè miſceantur.

*Electarium hoc fuerit, vt vocat, tamen ob rei affinitatem & virium conditis iunxit. Potes etiam ſaccharo in aqua ſoluto & cocto puluerem hunc comprehendere, & in offas aut tabellas, vt vocant, formare: idq; ventriculo frigido fuerit ſalubre, & inflationi diſcutiendæ.*

ACorus conditus cerebri & neruorum affectibus cōfert: conditur vt eryngium. Quin & ſingulis eius partibus duæ eryngij boni adduntur.

*Acorus Indicus iam notior, & galanga maior dictus ſumatur, non noſtras paluſtris. Frigidis cerebri & neruorum affectibus ſaluber eſt ſumptus, & ore diu retētus, qualis vſus eſt rectus eorum quæ his capitis affectibus prodeſſe volumus, vt inde vapor in cerebrum promptè tollatur. Idē pollet electarium diacorum à Meſue deſcriptum in ſua praxi, capite de affectibus neruorum. Noſtrum tamen acorum officinæ conditum habent, ſed inutilē omnino cenſemus ad neruorum & cerebri frigidos affectus. Quapropter damnā*

dus

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0160-4
DFG

*dus eſt atque abijciendus, ne poſthac medici parum periti hallucinentur, & eius vſu ægros prodant, ac in ſumptum nõ neceſſarium conijciant.*

LActucarum, buglosſi, cirſij, braſsicæ, aſparagorũ, & aliarum herbarum multarum teneri adhuc caules, à multis hodie condiuntur ſaccharo, & iucundiſsimè eduntur.

*Surculi conditi.*

SAccharum roſatum, ventriculum, & cor, & viſcera reliqua firmat, ipſorumq; intemperiem humidam emẽdat: fit autem ſic. Folia roſarum albarum vel rubrarum nondum perfectarum in vmbra ſiccantur, donec ipſorum humiditas excrementoſa reſoluatur: teruntur tunc in mortario lapideo, additur ſacchari albi triplum, reponuntur vaſe vitreo aut vitrato pergamena operculato, mẽſibus tribus inſolantur, in dies ſæpe agitantur, ſoli auferuntur, ſeruantur. Sunt qui roſas omnino imperfectas condiunt, vt valentius aſtringant. Sunt item qui roſas non terunt, ſed forficibus inciſas cum ſaccharo manibus curioſè confricant, pòſt inſolant.

** Flores conditi.*

*Conſerua roſarum hodie ex ſolis rubris exunguatis, non ſiccatis, duplo ſaccharo cõditis, mox reponitur etiam citra inſolatum.*

*Cùm agat hoc loco Meſues de floribus ſaccharo aut melle conditis ad dulcorationem & cõſeruationem: rectius, roſas ſaccharatas aut mellitas appellauerit, & eodem modo violas, & flores bugloſsi, & roriſmarini ſaccharatos aut mellitos: vel vt hodie omnes appellamus, conſeruam roſarum, violarum, bugloſsi, roriſmarini, quàm ſaccharum, aut mel roſatum, violatum, bugloſſatum, roriſmarinatũ. Quin & hodie aliter nobis fit horum ſic appellatorum vnumquodque. Nam roſis tantũ rubris exunguatis recentibus tritis in mortario lapideo duplum ſacchari hodie miſcemus, mox citra inſolatum reponimus, vaſe tamen non ad cumulum repleto, vt feruenti ſit locus, nec foras exiliat. Saccharũ roſatum fit ſaccharo ſoluto in aqua æquali roſarum albarũ, vel melius in ſucco roſarum rubrarum exunguatarum, & cocto ad iuſtam craſsitiem. Id verò poſtremũ vires quaſdã aluum mouendi retinet. Sunt qui ſaccharum in aqua infuſionis aut coctionis roſarum rubrarum ſiccarum ſolutum coquunt:*

*quunt: ſed hoc vt præcedens rubrũ eſt, & tanto præſtantius eo, quod ex aqua roſarum fit albũ, quanto roſæ rubræ etiam à Meſue albis præferuntur. Intemperiẽ calidam emendat, & partes, ſpiritusq́; à calore diſſolui periclitantes cogendo firmat, præſertim recens, & ſitim extinguit. Ob hæc febribus bilioſis iam coctis prodeſt ad ſeſcunciam, cũ aquæ frigidæ triplo: initio autem obſtructionũ & cruda adhuc materia, nocet. Antiquatum verò ſanguinis ſputo & ſequenti hoc ſputum phthiſi prodeſt, vt mulier quædam largo huius vſu à phthiſi perſanata narretur quorundã teſtimonio. Idẽ aqua hordei diſſolutũ diſenterias lenit. Roſis tum ſiccis, tum recẽtibus, tum harũ ſucco & aqua, ambarum quoq; decocto vel infuſo variè vtimur, vt in ſyrupis præcipuè audies. Roſas autem rubras intellige: nã albis non vtimur niſi diſtillatis, dum recentes ſunt, quòd ſiccæ nihil oleant, cõtrà quàm rubræ. Sunt prætereà qui roſarũ & aliorũ florũ conſeruã faciant ex folijs florum purgatis non tritis, ſaccharo optimo & ſicciſsimo puluerato alternatim inſtratis, deinde inſolatis, eoq; gratiſsimam, quòd tritura floribus odorem ferè aufert, vel ſaltem minuit.*

*Conſerua violarum.*

* SAccharum violatum bilis incendium ſitimque extinguit: aluum ſubducit: fit vt roſatum, niſi quòd violæ paulò diutiùs, & in vmbra ſiccandæ, & cum ſaccharo inſolandæ.

*Violarum humiditatẽ excremẽtoſam ſiccando vult abſumi, vt in ſimplicibus docuit: quanquàm ſunt qui putant ob id quòd vim earum facilem reſolui iudicant, minùs diu ſiccandas in vmbra, & inſolandas. Valentiùs refrigerat quàm roſatum, ſed ingratiùs. Fauces item & aſperã arteriam lenit & dilatat, ob id bilioſæ cynanchæ & pleuritidi ſalubre eſt, ſi per ſe paulatim lambatur, vel eius vncia vna cum aqua hordei paulatim ſumatur. Horum violæ nigræ ſeu purpureæ florum vſus eſt etiam in melle violato, & ſy-*

*rupo*

*rupo violato multiplici. Flores violæ nigræ recentes cauda & viridi ceu caliculo purgati in mortario lapideo triti duplo ſaccharo miſcentur, mox vt conſerua roſarum reponuntur, aut cum Meſue triplo ſaccharo aut melle. Efficacius fit ſaccharum & mel violatum ex violarum recentium ſucco, aut infuſione multiplici.*

SAccharum bugloſſatum cor ipſum roborat, eiusq; tremorem & ſyncopen ſanat, manicos & melancholicos iuuat: fit vt violatum. * *Cõſerua bugloſſi.*

*Datur ad vnciam vnam per ſe: miſcetur autem ſæpe alijs cardiacis, vt ſaccharo roſato, margaritis, corallijs, & ſimilibus. Similiter fit ex floribus boraginis etiam recentibus, & capitello cui inſeruntur purgatis, in mortario lapideo tritis: addito ſacchari duplo, aut cum Meſue triplo.*

SAccharum roſmarinatum, cor, ventriculum, cerebrum roborat, flatus pellit: fit vt roſatum. †

*Fit ex floribus roriſmarini, & harum partiũ intẽperies frigidas ſuo calore corrigit, quo etiam flatus diſsipat. Saccharum quoq; cichoriatũ fit ſeu conſerua florum cichorij recentiũ ad partiũ nutritoriarũ intemperiẽ calidã, & obſtructiones. Fit itẽ ex floribus perſici chalogoga & hydragoga, ex floribus ſaluiæ ad frigidos affectus cerebri & neruorũ: ex floribus geniſtæ noſtratis ad obſtructiones renum. In his ſacchari condituris, & in ſequentibus ex melle his reſpondentibus, ſingulis libris ſacchari aut mellis adduntur roſarum, violarum, & aliorum florum vnciæ quatuor, vt triplum ſit ſaccharum, & mel: hodie autem ferè duplum tantùm miſcent, vt ſit valẽtius, licet ingratius. Quinetiam flores capparis ſale conditi ſeruantur, & flores geniſtæ nondum aperti aceto & ſale ſeruati primis epulis capparum loco ſumuntur magno ſucceſſu, nec ingrato ſapore.* O

MEl roſatum ſic fit: foliorum roſarum, vt dictum eſt, in vmbra ſiccatorum partes duæ in mellis boni partibus *Mel ſit deſpumatum.*

tibus ſex coquantur clementer quantum oportet. Sunt qui foliorum loco ſucci eorum, & mellis portionem æqualem coquant. Alij foliorum & ſucci ana partem vnam & dimidiam, mellis partes tres.

*Mel roſatū Nicolai hodie eſt vſu frequētius.*

*Folia roſarum & violæ flores, & bugloßi, & roriſmarini, vt ſaccharo, ſic melle condiri diximus, vt delicatiora ſint, & ſeruari queant: Viribus autem tantum differunt, quantum mel & ſaccharum. Porrò id mel roſatum nō modo hac conſeruæ ſeu electarij mollis, aut eclegmatis forma ſeruatur roſis tuſis, ſed etiam ſyrupi, cum ſcilicet colatum eſt. Primum genus mellis roſati Meſuæ, ſunt qui appellant mel roſatum cum folijs, ſeu non colatum: ſecundū ex ſucco ſcilicet ac melle, mel roſatum colatum: tertium verò ex ambobus miſtum. Hîc autem mel roſatum ex tritis roſarum folijs recentibus facimus. Id verò poſteà igni liquatum, linteoq́; percolatum, mel colatū vocamus. Rectius ex infuſionis multiplicis roſarum recentium, & mellis pari menſura in ſyrupi conſiſtentiam mel roſatum colatum coquunt, & quò plures ſunt infuſiones, eò valentius: ex roſarum autē ſiccarū infuſione non fiat, niſi medicus imperet. Secundam mellis roſati ſpeciem non ex æquali ſucco & melle cū Meſuæ coquit Aëtius: ſed ſuccum roſarum exunguatarum melli triplum miſcet, ac inſolat, aut colatum coquit: cui affine eſt Dioſco. ex ſucco roſarum, & melle rhodomeli, quanquàm quomodo fiat, & qua vtriuſque menſura, non addat: nec diſsimile eſt Pauli rhodoſtactum ex duabus ſucci roſarum exunguatarum partibus, & vna mellis coctis ſimul deſpumando ad partis quartæ conſumptionem. Id mel roſatū colatum ex largiore ſucco, vt triplo, aut multiplici infuſione cum pauco melle liquidius & potabile, fluxiones calidas, & febres ardentes etiam in acceßionis vigore datū larga copia, tempeſtiuè & cocto iam morbo febres acutas ſæpe extem*

*extemplò ſoluit ſudore, aut acrium & calidorum ſuccorum per aluũ deiectione. Coquit mel roſatum vtrunque in partibus nutritorijs pituitam, & terget (non enim hepar trãſcendit eius facultas) coctionemq́; ſuo calore modico iuuat: affectibus autem ſolum bilioſis inſalubre eſt, vt mel. Idem ſex matutinis à quibuſdam datur vere ipſo cum decocto ex vuarum paſſarum, aniſi, glycyrrhizæ, adianti albi, ana vnc. vna, maſtiches granis ſex, vt pituitam probè apparet purgationi inſanis, ſed ægrotare timentibus, aut etiam tum ægrotantibus.*

MEl violatum, bugloſſatum, roſmarinatum, fit vt roſatum, niſi quòd roſmarinato ſunt qui aromata adiiciãt.

*Mellis violati vſus eſt frequens clyſteribus, quoties abſtergendum, refrigerandum, lubricandum: reliqua duo ſunt rara, frequens tamen florum bugloſsi vtriuſque, & roriſmarini conſerua, quam priùs ſaccharum bugloſſatum & roſmarinatum Meſuæ vocari diximus, pro floribus bugloſsi & roriſmarini, ſaccharatis, ſeu, ſaccharo condîtis.*

*Mel paſſulatum quod vocant, quod ex vuis paſsis calente aqua maceratis, coctis, colatis, ad mellis craſsitiem recoctis, fit, eſt frequens in Meſuæ compoſitionibus, vt eclegmate pineo, elect. diabryonias: id nos inter ſapas reiecimus: mel item emblicarum, ſcilicet myrobalanorum, hoc eſt, quo hæ ſunt condîtæ, & ſeruantur.*

COnditum bugloſsi efficax & expertum ad cordis tremorem, ſtomachi imbecillitatem, deiectam appetentiam, coctionem imbecillam, & formæ corruptionem: recipit bugloſsi, menthæ ſiccæ, florum roſarum, corticum, aut foliorum citri, ana vnc. tres: ozimi caryophyllati vnciam vnã: trium generum cydoniorum, trium generum pomorum, ana vnciam vnam & dimidiam: ſerici crudi inciſi, nucis moſchatæ, zedoariæ, galangæ, been vtriuſque, ſantali citrini, croci, ana vnciam vnam & dimidiã: ligni aloës drachmas duas: vini & aquæ ana

O *Tria hæc genera ſunt acidum ſeu acerbũ, dulce, dulcacidum.*

*Crocus eſt largior.*

lib.ſex, mellis libras octo. aromatizetur moſchi ſcriptulo vno, galliæ drachmis duabus.

**Semina condita.**

SEmina quoque non pauca, ſi magna ſint, interdum depellata: ſi parua, qualia tulit natura, ſaccharo ad ſyrupi conſiſtentiam cocto his manu ſubinde motis, ſuccuſsis, confricatis paulatim cochleari affuſo incruſtantur, & ceu tectorio quodam veſtiuntur: quo modo citri corticem Meſues poſteà veſtiet, ſuccuſſa tamen ſolùm pelui, non etiam manibus verſatum: & nos arancij corticem minutim ſectum, & cinnamomi vulgaris integimus, & caryophyllum, vocamusq́; ſaccharum aranciatum, vel cannellatum. Idem in cortice cucurbitæ fit, carbaſſatumq́; vocant. Inter ſemina verò ferè incruſtantur amygdalæ frequentiùs dulces cum furfure parum terendo ſiccatæ, piſtacia, ſtrobyli, nuclei perſicorum, prunorum, ceraſorum, bombacis, coriandrum, aniſum, anethum, fœniculum, carum, cuminum, ami, ſemen agni, cannabis, amomum, cardamomum, cardamum, cardamine, eruca, eryſimum, ſinapi, vrticæ, cucumeris, cucurbitæ, melonis, citreoli ſemina: papaueris albi ſemen, abſinthij marini ſemen, quod barbotinam vocant, & ſemen contra lumbricos. Sed ex his minora manibus ſubiguntur, maiora pelui ſuccuſſa integuntur, ſaccharo primùm, vt dixi, cocto, ad poſtremum paulò crudiore, vt læues & polita ſint facie.

**Fructus conditi.**

FRuctus aut ſaccharo, aut melle, aut ambobus condiũtur, interdum integri & cum ſeminibus, ſed ferè imperfectis, interdum ſeminibus purgati.

*Ex fructibus ſiliquæ non paucæ adhuc teneræ & virides, ac molles, nondum ob ſiccitatem lignoſæ & exuccæ condiuntur: ſic ceratium, caßiam Arabum, ſiliquam rhaphani, erucæ, ſinapis, leucoij omnis, eryſimi, cardamomi cuiuſdam, à quibuſdam condiri videmus, vt gratiora ſint, & viribus imbecilliora, quòd ante maturitatem decerpuntur: ſic & ſiliquaſtrum pyramidale dum viret, quidam condiunt, non expectata maturitate, per quam rubet ſemine plano, flauo iura crocante, feruidißimo turgida, ventriculo frigido ſaluberrima, Zingiberis conditi vice. Fructus verò alij quibus eſt plus carnis, frequentius condiuntur vt ab exteris*

*teris ſic à nobis. Externorum autem prius condituram declarabo, quòd pauci ſint, & quorum declaratio lucem afferet neceſſariam Zingiberis condiendi prædictæ humectationi. De myrobalanis ergo condîtis dicendum eſt, pòſt ad fructus noſtrates tranſibimus, in quibus ſermo & prolixior, & nobis multò vtilior eſt futurus. Nam myrobalani condîtæ maioris, quàm pro merito fieri hodie videntur, quaſi pars pretij ſit eas è longinquo veniſſe, & ob raritatem apud magnates magis in pretio ſunt, quàm ob ſingularem aliquam facultatem, cum nihil aliud quàm valenter adſtringere deprehendantur, vt taceam, quòd alioqui coctu ſint difficiles, vt neſcias an ventriculo coquendi ſui difficultate plus obſint, quàm adſtrictione roborando proſint. Non addo, plurima ex adſtringentibus, imò veriùs omnia quatenus adſtringunt, & proinde ſiccant, nonnullas ventriculi imbecillitates, vt quæ ab intemperie ſicca proueniunt, lædere, vt Galen. libr. method. 7. demonſtrat. Qua limitatione adhibita, ſunt vera quæ à Meſue ſcribuntur, ſcilicet.*

CEpulæ myrobalani conditæ ſtomachum & ventriculum firmant, appetentiam inuitant, coctionem promouent, rationalem animæ partem vegetam reddunt & ſenſificam: quapropter viſum quoque clariorem, & vſu crebro iuuentutem diu tuentur. Accipiendæ verò ſunt quotlibet humidæ & recentes ſi harum eſt poteſtas, vel ſaltem arte & induſtria idonea humectatæ, quæ ſtylo paſsim compunctæ coquantur ex aqua igni lento, donec tenereſcant. His in aſſerē immiſsis aqua exprimatur. Deinde biduo hydromelite mergantur. Deinde igni lento clemēter coquātur, vaſe vitreo recondātur, ac melle cui incoctæ fuerint, mergātur. Dātur poſt ſex mēſes. Arte autē ſic humectantur. Infunde his aquam plurimā, inſola dies octo: deinde ſeparatim obrue arena humida † quarto quoque die nouanda, aqua ſæpe ſuperfuſa, donec tumefiant, & humectentur: idq́; vel in dolio, aut alio vaſe magno fiat, vel in foſſa quadam ſubterranea magna & loco humido.

*Fructus externi cōdîti.*

*Eadē ipſarum conditura & humectatio ante in ſimpl. eſt ſcripta.*

*† Tertio, in ſimpl. Meſ.*

*Cepulæ ex Ægypto condîtæ in Italiã afferuntur, quia verò caßiam olent, ſpeciarij aqua madefactas rurſus ſaccharo condiunt. Humectatio autem earum, quã docet Meſues, ſuſpitionem quandam ingerit, recentes non fuiſſe Damaſci tunc temporis, niſi dicas Meſuen addidiſſe hanc humectandi rationem, vt etiam exteris conſuleret, ſiccas ferè recipientibus. Hac autem arte poßis fructus quoq; alios ſicciores recentibus ſimiles reddere. Quinetiam pruna paſſa modicè cocta, compuncta, in aquam frigidam mox cõiecta, tumere multum vidimus, nec minus ſi quis ea paßim puncta ſine coctione aqua frigida biduo maceret, quod & vuæ paſſæ, & fructus alij, atque adeò piſces ipſi verum teſtatur. Hydromeli autem cui incoctæ ſunt, his exemptis percoquẽdum eſt ad aquæ conſumptionem, pòſt eo melle mergantur, vt in ceraſis, & fructibus alijs quos condimus, integros facimus: eos enim quantum ſufficit coctos eximimus ne vrãtur, aut diſtabeſcant. Humorem deinde per ſe percoquimus cum ſaccharo in ſyrupi conſiſtentiam, & fructibus vaſi ad repoſitionem impoſitis ſuperfundimus: ſic enim fructus integriores manent, & cocto probè ſyrupo fideliter ſeruantur. Vna manè ieiuno dari poteſt ſingulis aliquot diebus. Placent enim ſapore auſtero & per conditurã dulci, & nõnihil aromatico. Quæ autẽ recentes ſunt condîtæ, ſunt præſtantiores: ac diutius ſeruãtur, quàm poſt humectationẽ cõdìtæ. Ventriculũ roborant vt auſtera reliqua, appetentiã inuitãt ſucto ſtomacho, vt cætera adſtringentia, & cõtracto: coctionem iuuant per ventriculi roborationem, & ſuo calore modico, quẽ aromatica qualitas indicat, & ſaccharũ, coctioq; acquiſiuit. facultatẽ animalem per ſiccatũ vẽtriculum ſynceriorẽ reddit, ob id vegetiorẽ. Nã lux ſicca, anima prudentißima. Ventriculi autem maximus eſt cum cerebro cõſenſus, & affectus ſuos hæ partes inuicem communes faciunt.*

Pro

*Proba autem coctione prima, ſi reliquæ non errent, corpus bellè nutritur, & iuuenili ſimile diu perſeuerat, neq; humoribus excremẽtoſis eſt obnoxium, nec inde orientibus morbis. Vt enim ſiccitates aëris imbribus in totũ ſunt ſalubriores, ſic corpora ſicca ſunt à morbis ex putredine ortis tutiora, quàm humida, vt docet Gal. lib. p. feb. temper. & lib. metho. 8. Ex his patet, quæ priùs diximus, eas in pretio maiori apud medicos haberi, quàm ſint meritæ, cùm ex noſtris fructibus non pauci, vt oliuæ Colymbades, vt nuces condîtæ, vt perſica Corboliana, vt cydonia condîta, vt pruna Damaſcena, & Iorrana, & Dactylia quæ vocamus, ſi condiantur, eadem præſtare poſsint. Quibus ſi quid exiguum deſit, vt qualitas aromatica in his myrobalanis ſanè quàm exigua, per roſas, per poma dulcia & odora, & alia propè infinita, impertiri promptè poterit.*

EMblicæ myrobalani condîtæ ventriculum roborãt, eius ſubſtantiam & facultatem contrahendo, & intemperiem humidam corrigendo. Hæ autem aqua affuſa Soli exponẽdæ donec tenereſcant, & humectentur: tunc expreſſæ, vt priores, hydromelite biduo macerantur: pòſt igni lento coquũtur, coctæ vbi parum refrixerũt, mellis albi quarta parte adiecta reconduntur. Sunt qui præterea condiant aromatibus, cinnamomo, xylaloë, cardamomo, croco, moſcho, gallia, & ſimilibus. *In ſimp. hæc cõditura antè eſt ſcripta.*

*Datur vna ſemel tota diebus aliquot, vt ſuperior. Hæ autem duæ ſpecies quia ſunt amplæ, ad cõdiendum ſunt aptæ, & item flauæ. Ob id etiam condîtæ afferuntur: raro bellericæ, & nigræ recentes cõdîtæ afferũtur, & vires habent à Meſ. adſcriptas: ipſæ recẽtes aut illis proximæ, non autẽ quæ ligno aut veriùs lapidi ſiccitate & duritie perſimiles in officinis habẽtur. Vide igitur ne opinione magis quàm veritate adductus has myrobalanos tanti facias, & ægros quãtumuis opulẽtos ſumptu parũ neceſſario, ne dicam noxio, ipſe oneres. Quàm ſim verus, iudicare poſſunt, qui vſu harũ*

*multo,parum admodum profecerunt. His autem ſi vtendum ſit,mallem contuſas accuratè probare, quàm dentibus parum probè commanſas deuorare,ne ſua dura ſubſtantia ventriculum lædant, & coctioni ſui diutius reſiſtant adeò, vt ne horis quidem quatuor (quantum tempus harum coctioni tribuere ſolenne eſt) percoqui poſsint, & forſan vix ſemicoqui. Nuces myriſticæ, hoc eſt, vnguentariæ, vulgò moſchatæ cùm nullam moſchi qualitatem olfactui præſerant: recentes condîtæ ad nos Luſitanorum nauigationibus ex India cõuehuntur, noſtris iuglandibus amplioribus perſimiles, cortice viridi, carnoſo, & alio lignoſo, inter quos eſt macis, & ſub lignoſo ipſa nux moſchata nobis vſu frequens ad ventriculi robur & intemperiem frigidam: condîtam integram dono mihi iucundiſsimo dedit Bertrandus in ſummo Parrhiſienſi ſenatu Præſes conſultiſsimus pariter ac æquiſsimus.*

*Fructus noſtrates condîti.*

CYdonia condîta fluorẽ alui vomitumq; ſiſtunt, ventriculum roborant, ob id & coctionem iuuãt. Sic autem condiuntur. Cydon ia ampla, nulla putredine vitiata, depellata, intus pur gata, in fruſtra idonea ſecta coque in iulepo multùm aquoſo: poſtridiè in iulepo alio propemodùm perfectè cocto percoque, aromatiza moſcho, vaſe vitreo repone, eo iulepo cui incocta ſunt ſuperdato. Sunt qui ex melle coquunt, alij ex ſapa, alij prætereà condiunt aromatibus, alij aliter.

*Cydonia vtraq; intus & foris purgata, quadripartitò diuiſa, ſaccharo diuitibus hodie cõdiũtur, odorẽ, ſaporẽ, et vim cydoniorũ propè totã retinẽtia. Eadẽ quadripartitò ſecta, diutius cocta ex aqua donec tabuerint, poſtea per linteum colata ſine cõpreſsione, deinde cũ ſaccharo percocta in cerati cõſiſtentiã, faciunt gelatinã cydoniorũ: quod eſt reliquum, violentiùs cõprimenti cochleari cretũ, & cũ ſaccharo percoctũ, ad emplaſtri propè conſiſtentiã, cydoniatũ vile cõſtituit. Si autẽ tã clarũ illud quàm craſſum ſimul cernantur, cum ſac-*

charo vt prius percoquantur, Cydoniatum fit, quod omnibus in vſu eſt, quodq́ ante epulas ad vnciã vnam ſumptum aluum ſiſtit: poſt epulas verò ſoluit, & vapores ad caput ex ventriculo attolli prohibet. Quæ virtus eſt etiam valentior cydonijs, & aliorum auſterorum ſub cineribus coctorum, ſine ſaccharo ſumptorum. Quorum ratio eſt initio lib. 1. & ab finem lib. 2. alimen. & lib. ſimp. cap. 5 & lib. 6. ſani. tuẽ. vbi diacydonium cydonijs condîtis viribus affine deſcribitur. Nam appetentiam excitat, quibus ea languet, coctionem iuuat parum feliciter coquentibus. In ſumma, ventris robur conciliat, & viſcerum in eo omnium: ob id vomitum et fluorem alui cedat: ſic autem fit. Accipe ſucci malorum cotoneorũ dulciorũ, & minus acerborum, ac maiorum (quæ Aſiatici ſtrutia vocant, Galli cotonea fœminina) & mellis optimi ana ſextarios Romanos duos, aceti ſextarium vnum & ſemiſſem. Hæc cum ſuper prunas modicè coxeris & deſpumaueris, immitte Zingiberis vncias tres, piperis albi vncias duas. Deinde rurſus in ſimili igne recoques ad mellis craſsitudinem ſtomachicis medicamentis debitã. Datur mediocris myſtri menſura horis duabus aut tribus ante cibum, vel aliquandiu poſt, vel ante cœnam. Piper ad vncias tres, vel duas & ſemiſſem: Zingiber autẽ ad vnc. quatuor, ſi frigida intemperie laborat ventriculus: tolles omnino vtrunq́, ſi calida: ſi neutra adſit, piperis. vnc. vna, Zingiberis vncia vna & dimidia ſufficiet, in qua media menſura cõponere ſatius eſt: in ipſo autẽ vſu ſi opus eſt, aliquid vtriuſq́ adijcies: valẽtius idẽ adſtringit ex ſucco cotoneorũ, quæ parua rotũda ſunt, & abſolutè cotonea nobis dicuntur: Διὰ μήλων ſeu διάμηλον idem dicitur Galeno lib. 6. c. ph. p. hoc eſt, ex malis ſcilicet cydonijs, quæ abſolutè μῆλα dicũtur, vnde oleum μήλινον id eſt, cydoniorũ & emplaſtra μήλινα, quæ colorẽ mali cydonij referũt ex ærugine vſta

*lib.2.c.ph.g. Malo cydonio miſtum ſcammonium efficit ipſum cholagogum Galeno libro primo alimentorum: vnde, opinor, Arabum conſuetudo emerſit, ſcammonium in malo cydonio vt miteſcat coquentium, & inde etiam cydoniatum Lugdunenſe ſcammoniatum.*

*Idem diacydonium à Meſue in electarijs ſic deſcribitur.*

Diacydonium factum cum ſucco cydoniorum, appetẽtiã languentem excitat: ventriculum & hepar roborat, coctionem iuuat & retentionẽ, eam adſtringẽdo: recipit ſucci cydoniorũ & mellis deſpumati ana lib. tres, aceti boni, puri lib. duas: coque igni lento cõtinenter deſpumando ad mellis craſſitudinem. Tunc inſpergẽ piperis longi, zingiberis, cinnamomi ana vnciã vnã, caryophyllorum, ligni aloës ana vnc. dimidiã, moſchi drach. vnius partẽ tertiam. Fit interdum etiam cũ aliis aromatibus, interdum ſine aromatibus, pro varia vtentium neceſsitate. Fit etiam cum ſaccharo: alii quoque aliter parant.

Diacydonium aliud ventriculum firmat, coctionem iuuat, vomitum bilioſum & pituitoſum ſiſtit, colorem corporis floridum efficit: recipit autem carnis cydoniorum in vino coctorum, & mellis deſpumati ana libras tres: percoque igne lento: tunc adde cinnamomi, caryophyllorum, cardamomi, galangæ, ana drachmam vnã: cinnamomi craſſi drach. tres: zingiberis, piperis longi, macis, ana drach. quatuor. Si autem affectus eſt calidus, coquenda ſunt cydonia cum aceti parte tertia vel dimidia: addito interdum ſucco malorum granatorum acidorum pondere cydoniorum dimidio: interdum etiam ſucco citri quarta parte ponderis ipſorum addito. Idque vel ſine ſpeciebus, vel cũ ſpodii, oxyacanthes, roſarum rubrarum, trium ſantalorum, ſeminis oxalidis ana portione æquali: vel etiam cum aliis pro vario medicorum ſcopo. Aromatizant interdum moſcho, interdum caphura, aliquando vtroque: conditurque nunc ſaccharo, nunc melle.

*Si affectus eſt frigidus, deſideratur.*

*Hoc duplex diacydonium ex electarijs huc iure optimo tranſtuliſſe mihi videor, hodie ſuccum hunc coctione & ſaccharo miſto cogunt, vocantq; gelatinam rem perlucidam pulcherrimam, & gratiſſimam. Idem variè purgatorium fit ab eodem in electarijs, hoc modo.*

Dia

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0172-1

Diacydonion cholagogum colico dolori, & aliis partium nutritoriarum morbis ſalubre, accipit ſucci cydoniorum libras tres, mellis albi lib. duas, ſcammonij vnciam vnam & dimidiam, galliæ bonæ caryophyllorum, zingiberis, maſtiches, piperis longi, cinnamomi, nucis moſchatæ, ana drach. tres: miſce ſimul omnia. Da ab aureo vno ad tres: ſi facere vis cholagogũ ſimul & phlegmagogum, miſce ſcammonij drachmas quinq;, turbith drachmas duodecim: ſi ſolùm phlegmagogũ, abiecto ſcammonio, miſce turbith drachmas vigintiquinque, cnici excorticati, pondus ſcammonij: ſi bilem atram vis vacuare, prædictorum loco miſce elleborum nigrum, vel epithymum. Quidam cum ſaccharo coquunt: alij quoque cum carnibus tantùm: alij cum ſucco tantùm: alij cum ambobus.

*Diacydoniũ huic ſimile habet Nicolaus Salernitanus in vſu frequentius, quam hoc, quod nonnulli quoque parant, ſine aromatibus tamen potius. Diacydonium præter dicta Meſuæ eſt quadruplex in ſyrupis, & conditum cydoniorum, ſeu miua aromatica, hoc eſt, ſuccus ad mellis conſiſtentiam coctus, & multis aromatibus conditus: hoc modo.*

*Miua aromatica.*

Conditum ex cydoniis ventriculum, hepar, & cætera viſcera roborat, appetentiam excitat, coctionem iuuat, vomitum & lienteriam ſedat, medicamentum eſt celebre, ac expertum: accipit autem ſucci cydoniorum acidorum lib. viginti, vini antiqui, boni lib. decẽ, coq; igni lento ſemper deſpumãdo ad tertiæ partis conſumptionẽ, cola, reſidendo clareſcat. Claro adde mellis boni & deſpumati lib. ſex: iterũ coq; deſpumãdo, & in eo ſuſpẽde nodulo ligata hæc aromata: cinnamomi, cardamomi ana drac. tres: caryophyllorũ drac. duas, zingiberis, macis ligni aloës, maſtiches ana drach. vnã & dimidiã, croci drac. duas, omnia præter crocũ parũ terantur, & ſuſpendãtur nodulo vt dictũ eſt: identidẽ fricãdo eũ in ipſo medicamẽto donec craſſeſcat. Deinde aromatiza moſchi drac. vnius parte tertia, galliæ drach. duabus: ſunt qui ſaccharum mellis loco miſcent, & vtrunque ſine & cum aromatibus componunt.

*Miua ſimplex.*

Conditũ ex cydoniis alterũ idẽ pollens accipit ſucci cydoniorũ libras centũ, coq; in vaſe lapideo mundo igni lento ad dimidias, ſemper deſpumãdo, cola: horis circiter tribus reſideat: claram partem exemptam, & vini antiqui libras qua-

*Mel hîc deſideratur. Tũc eadem prope eſt cũ priore.*

draginta coque prunis ad craſsitiem. Nonnulli loco mellis addunt ſaccharum, alij etiam aromata ingerunt, & aromatizant vt prius.

*Mina acetata.*

*† Alij 40.*

COnditum ex cydoniis tertium acetatum idem pollet quod priora, præſertim ſi etiam calida intemperies adeſt: accipit ſucci cydoniorum libras † ſexaginta, coquantur ad dimidias, percoque cum aceti albi libris viginti.

*Mellis aut ſacchari libras octo, aut circiter, hîc quoque tacet: hæc diacydonio Galeni ſimplici eſt affinis.*

*Vt valentius roboret adſtringentia auget.*

COnditum ex cydoniis quartum, accipit ſucci cydoniorum acidorum lib. ſexaginta: menthæ ſiccæ, & foliorum citri ana vnc. octo, foliorum roſarum vnc. tres: coque ad dimidias: cola cum vini albi antiqui libris vigintiquinq;, percoque addito melle, vel ſaccharo, cum, vel ſine aromatibus: quidam item vini loco acetum incoquunt.

*Hæc omnia & præter ea iulepum & ſyrupus ex cydonijs idem pollent, & ὑδρόμηλον Pauli lib. ſeptem ex ſucci cydoniorũ ſextarijs duobus, mellis ſextarijs tribus, aquæ ſextarijs ſex, omnibus ſimul coctis ad tertiam partem, & expumatis. Hæc cum melle condîta magis calent, & tergent, minùs ſtomacho iucunda, cum ſaccharo contrà. Dantur ad vnc. duas, nunc per ſe, nunc cum aqua plantaginis, menthæ, roſarum, ſi aluus adſtringenda eſt, poſtquam ſatis fluxit, aut purgata eſt: alioqui putres materiæ ab his ſuppreſſæ putridas febres excitarent.*

*Quamuis hæc condîta inter ſyrupos à Meſue ſcribantur, huc tamen potiùs transferenda iure cenſui, quod cuique eſt perſpicuum, tum præter hæc iulepum & ſyrupum habet cydoniorum, & ſuccum cydoniorum liquidum et ſiccatum, vt poſt in ſyruporum initio audies.*

PYra condita, cor, & ventriculum roborant, condiuntur vt cydonia.

*Pyrorũ vt aliorum quoq; fructuũ magna eſt differentia, nõ in generibus ſolum, ſed etiã eadem in ſpecie, qua ſaporibus diſtingues, ex hisq; facultates iudicabis, vt lib. 4. ſimp.*

docuit

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0174-3

DFG

*docuit Gale. Ex pyris præſertim acerbis, aut acidis, & fructibus ſimilibus tot compoſitionum genera fieri poſſunt, quot ex cydonijs dicta, & ea cum ſaccharo, vel melle, cum, vel ſine aromatibus. Ex his quoque iulep. & ſyrupus fieri poteſt, & ſuccus horum liquidus & ſiccus ſeruari poteſt: eodem modo in fructibus propè reliquis, atque adeò in herbis ipſis facere poſsis. Eſt præter hæc ſyrupus de pyris, & ſuccus pyrorum ſole vel igni ſiccatus, vt in ſyrupis leges.*

POma condîta cor firmant, ſyncopen & cordis palpitationem ſedant: condiuntur vt cydonia.

*Poma condienda ſunt odora, hæc verò condîta ſaccharo, partium principum intemperiem calidam ſiccam emendãt refrigerante vi ſua & humectãte: odore autem etiam vitalem ſpiritum inſtaurant. Quam ergo ſyncopen & palpitationem emendent, ex his patet, quanquàm depoſito cortice & coctione odoris magnam partem deponant.*

COndîtum alterum de pomis ſalubre ad cordis & ſtomachi imbecillitatem, coctionemq́; iuuandam, recipit carnium pomorum dulcium & redolentium, intus & foris purgatorum, & in fruſtra inciſorum lib. ſex, ſacchari albi boni lib. quinque, aquæ roſatæ lib. duas, ligni aloës drach. quinq;, ſantali flaui drach. tres, caryophyllorum drachm. quatuor, cinnamomi drach. quatuor & dimidiam, ambræ drach. duas, moſchi drach. vnius partem tertiam. Eodem modo condiuntur poma acida & parua. & aromatica, & dulcia. Sunt prætereà ex pomis ſyrupi quatuor, & ſuccus pomorum, vt cæt. ſiccatus, vt in ſyrupis dicemus.

*Ex electarijs huc trãſlatum.*

*Saccharo etiam condîmus hodie ceraſa, corna, vuam oxyacanthæ, vuam ribes noſtratis: & ex his vt ex cydonijs & fructibus alijs gelatinam, vt vocant, coquimus, ex ribes verò omnium gratiſsimam ſanis & febricitantibus.*

PErſica condîta ventriculum calidum, & cor firmant, ſitim ſedant, oris fœtorem emendant: condiuntur vt cydonia.

*Hæc, quòd frigida humida odorata ſint, imbecillas*

par

*partes has ab intemperie calida ſicca roborant, ſitim extingunt à calida, vel ſicca, vel vtraque cauſa naſci ſolitam, vt lib.1.ſimpli.cap.30. præcipuè cum ſaccharo condita, vt lib.7.ſimpl.cap.de melle: odore præterea cor ipſum, ſpiritumq́; vitalem recreant, & oris odorem tetrum præcipuè ex putribus in ventriculo humoribus procedentem tegunt.*

Conditum ex perſicis ventriculi ardorẽ mitigando ipſum roborat, ſitim extinguit, tetrum oris halitum emendat: accipit perſicorum propemodùm maturorum intus & foris purgatorum, & ſucci perſicorum aliorum ana lib.tres, ſacchari albi libras duas: tere perſica in medullæ conſiſtentiam, coq; cum ſyrupo, vt in condito ex cydoniis diximus. Vbi coctum erit, pulueriza ſuper ipſum ligni aloës, ſantali flaui ana drach.duas, cinnamomi, cubebæ, macis, ana drachm.quatuor, moſchi ſcriptulum dimidium. Eſt cùm fit ſine aromatibus: ſalubre eſt ac expertum.

*Vt ſitim extinguat, & aliter refrigeret, humectet, tollenda ſunt aromata.*

*Salubre, efficax & iucundum.*

Conditum ex prunis ventriculi ardorem, & inde natam ſitim extinguit, febres mitigat, aluum ſoluit: accipit carnium prunorum nigrorum, oblongorum, mediorum, ſubdulcium, elixatorum in aqua, cui portulaca incocta fuit, lib.duas, ſacchari albi lib.vnam, aquæ violarum lib.duas: coq; igni lento ad craſsitudinem, reconde vitreo vaſe. Da ab aureis quatuor ad ſex aureos.

Conditum ex ſorbis ventriculum roborat, immodicam purgationem ſiſtit: accipit carnis ſorborum propemodũ maturorum coctorum in aqua, cui roſæ prius incoctæ fuerint, & cortices granatorum, libras quatuor: mellis, aut ſacchari libras duas & dimidiam: coq; ad craſsitudinem, & reconde vaſe: da vnciam vnam.

*Fluorem alui immodicum ſiſtit ante epulas ſumptum, præſertim cum ſaccharo conditum. malicorij vnciæ duæ aut tres, roſarum vnciæ quatuor aquæ prius incoctæ fuerint.*

*Ex meſpilis vtriſque, & ſimilibus fructibus idem fieri poteſt.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0176-4

CItra condita ventriculum, corq; roborant, coctionem iuuant, oris halitum commendãt.

Cortices citrorum tam magnorum, quàm vola manus capere poteſt, carne purgati lixiuio claro mergãtur dies nouem, mutato ad diem quintum: pòſt merge aqua clara, donec amaritudine depoſita dulceſcant: tũc vaſe mundo, aqua fontis plurima coquantur, donec tenereſcant: aquoſa deinde ſubſtantia ab his expreſſa in vaſe lapideo mergantur vigintiquatuor horas, iulepo ſufficienti ex ſaccharo albo & aqua tripla conſtante, pòſt coquantur igni lento ad penidiorum cõſiſtentiam. Extracti ex hoc iulepo cortices, vaſe vitreo reponantur, ſuperfuſo ſingulis viciſsim velut incruſtandis iulepo roſato ad mediocrem, ſeu ſacchari candefacti craſsitiem cocto. Sunt qui ambra & moſcho aromatizant. Datur poſt menſem.

*Condìti cortices hi in compoſitiones cardiacas ob id recipiuntur, quia cor roborant, & calefaciunt. Condìtur etiam caro quibuſdam idem pollens, ſed refrigerat, vt ambo ſimul condita ſint temperata. Eodem modo condiuntur cortices aranciorum & limonum, quos vocant, quinetiam ipſi fructus parui toti condiuntur interdum, vti virentes multùm nuces, & amygdalæ, & alia pleraque.*

COndìtum citri, cor, ventriculum, hepar roborat, coctionem iuuat, oris gratiam commendat: fit ex corticum, vel foliorum citri vnciis quatuor, cydoniorum vnciis duabus, pomis quatuor odoris fruſtratim ſectis, maceratis biduo in vini antiqui libris octo cum pondere aromatum. Pòſt aliquoties feruefiunt, & cum mellis deſpumati, & ſacchari albiſsimi, & aquæ roſarum ana libris duabus, percoquitur in craſsitudinẽ iulepi, aromatizatur cum moſchi granis quindecim: ſi autem recens, per ſe bibendum eſt: multò parcius coquatur. Vel fit ex corticum citri vnciis ſeptem, †bugloſsi vncia vna & dimidia, melisſophylli ſemuncia, caryophyllorum aureis duobus, ligni aloës aurei ſemiſſe: macerentur triduo, vini boni lib. quatuor, pòſt cum ſacchari lib. duabus coque, aromatiza galliæ aurei ſemiſſe, croci granis quindecim, maſtiches drach. vna, moſchi granis decem.

*† Alij menthæ ſiccæ.*

*Idem pollet quod prius, & appetentiam excitat, flatus diſ*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0177-0

*diſsipat,pulſum cordis emendat,intemperiem frigidã corrigit,ob id huc ex ſyrupis tranſtulimus.*

Conditum ex fructibus appetentiam excitat,& bilem flauam ex ventriculo deturbat,eiusq; intemperiem calidã corrigit:accipit carnis cydoniorum,& pyrorum auſterorum, & malorum acidorum ana lib.vnam: coque ex aceto forti,in quo rhus vigintiquatuor horis maceratus fuerit:deinde addita lib.vna omphacij ex acinis cum ſeminibus multum diuque tritis expreſsi, & carnis ſorborum immaturorũ vnciis quinq;, omnia cum ſacchari lib.quatuor coquuntur ad mellis craſsitudinem:tunc adduntur ſucci baccharum,oxyacanthæ vnciæ duæ,ſpodij,ſeminis oxalidis ana vncia vna:percoctum conde vaſe vitreo.Datur à drachmis duabus ad drach.tres cum aqua frigida & ſucco citri,aut ſucco ribes,aut alio eiuſdem naturæ.

*Efficax eſt ac iucundum:dari autem poteſt ab vnc.vna ad ſeſcunciam,cùm nullius in eo ſimplicis vires ſint formidandæ.*

Conditum ex ſucco fructuum accipit ſucci cydoniorum iam cocti ad dimidias lib.duas,ſucci malorum ſylueſtriũ, & pyrorum ſylueſtrium cocti etiam ad dimidias ana libram vnam,vini antiqui libras duas:coq; vt prius cum,vel ſine aromatibus,cum melle vel ſaccharo.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0178-6 DFG

# SECTIO SECVNDA DE SAPIS, IVLEPIS, ET SYRVPIS.

*ABSOLVTA vtcunque præter alia fructuum conditura, vel integrorum, vel inciſorum, vel etiam curioſè contritorum, ordine optimo conſequitur, ſuccorum ex ipſis, & floribus quibuſdã herbiſq; tritis expreſſorum cõditura, quanquàm & horum etiã quoſdam prius leniter attigimus in ſaccharo & melle roſato, & alijs paßim. Nec omnes ſuccos huiuſmodi ſemper condimus, ſed quidam, quales ſunt expreßi, reponuntur vt vinum, omphacium, agreſtium pomorum ſuccus, quo vice omphacij ſeptentrionales populi vitium penuria vtuntur, vt vini loco pyrorum & pomorum ſucco ſimiliter ſeruato: niſi quòd omphacium ſalem paucum ad ſui cuſtodiam requirit. Seruantur ſimiliter ſuccus roſarum, violarum quibuſdam, cydoniorum, limonum, granatorum, oxyacãthæ, vuarum: ſed his vaſe vitreo concluſis. Similiter quoque ſeruari poſſunt fructuum omnium ſucci, præſertim acerborum vel auſterorum. Aliorum autem, ac herbarum ſucci ſeruandi, parua coctione & reſidentia purgentur ante repoſitionem: in vaſis plenis, vel oleo, ſi lubet, ſuperfuſo reponantur: ſic fumariæ, abſinthij, eupatorij, & aliarum quarundam herbarum ſuccos quidam hodie reponũt loco frigidiore. Succos alios ante repoſitionem mediocriter ſole feruente vel igni ſiccamus, vt abſumpta humiditate excrementoſa feruoris & corruptionis autore, integri ſeruentur, quales Meſuæ rob & robub appellantur, nobis verò ſapæ: hi verò ſunt.*

*Vinum pomatum & pyratum.*

SApa eſt ſuccus à nobis tantùm purgatus, & craſſatus ſolis aut ignis calore. *Sapæ.*

*Hos ſuccos electarij mollis, vel eclegmatis conſiſtentiam à nobis adeptos per conſumptionem aquoſæ ſubſtantiæ, ſapas vocauimus, vti Arabes rob & robub, quod illis abſolutè pronunciatum, ſapa Latinorum eſt, ſeu defrutum. Græcorum verò σιραῖον ϗ ἕψημα, hoc eſt, vinum ad dimidias vel tertias coctum. Quæ nomina vino ſoli cocto licet vtriq; tribuerint, fortè quòd ex ſuccis vinum aut ſolum, aut frequentiſſimè ad hanc conſiſtentiam coquerent. Arabes tamen alios quoque ſuccos ſimiliter coxerint, & rob vel robub non quidem abſolutè, ſed addito plantæ nomine vocãt: nobis viſum eſt eorum imitatione eos ipſos ſapas nominare non abſolutè quidem (vt vini ſuccum ſic coctum, hactenus appellatum ſcimus) ſed expreſſo nomine rei cuius eſt ſapa: vt ſapa ribes, ſapa oxyacanthæ, &c. ſapa autem ipſa (cuius Meſues non meminit) vires habet maximè varias pro vuarum ex quibus coquitur natura. Ferè autem nobis ex vuis albis coquitur, vt ſit dulcius, eademq; coctione rubet, anodyna eſt, condimentis magnam ſaporis gratiam conciliat: calfacit, quia vinoſa: humectat, quia nutrit: aluũ ſubducit, quia dulcis: libro ſecundo rat. vict. acut.*

SApa ribes refrigerat, adſtringit: ob id ventriculum calidum, & cor roborat, amborumque feruorem, & inde natam ſitim extinguit, bilioſam vomitionem, & deiectionem ſedat, & alterat.

*Succi ribes libræ decem coquuntur igni lento ad tertiæ partis conſumptionem, colantur, ſubſidere permittuntur donec clareſcant. Clarum deinde igni clementi percoquitur, aut inſolatur ad iuſtam craſſitudinem, qua ſeruari poſſit. Datur cum aqua frigida aut niuis. Succus herbæ oxalidis illi eſt facultate proximus. Sapam verò ex vuis dum coquimus, quantum vi expreſſum eſt, id totum percoquimus ferè ad trium partium conſumptionẽ, quòd vina nobis ma-*

*gna*

gna ex parte vt cæteri terræ fœtus ſunt humidiora & aquoſiora. Hæ autem ſapæ à Meſuæ deſcriptæ refrigerant, & adſtringunt, & propemodum idem pollent, aduerſus ſcilicet calidas intemperies, & inde natam partium imbecillitatem: quibus abactis, temperieq́ natiua ſeu ſanitate reſtituta, robur facultatum partis in ipſa temperie ſitum, tanquàm rediuiuum recreatur. Quòd autem ſitis non à ſtomachi tantùm, ſed etiam cordis intemperie calida & ſicca fiat, docuit Galenus in arte medica: factam verò à caliditate, ſapæ refrigerando extinguunt: ſiccando autem nouam excitarent, niſi aqua miſta remedio eſſet. Sic grauata, & alia adſtringentia in febribus & alijs affectibus calidis & ſiticuloſis refrigerando ſitim ſedant. Quatenus verò ſiccant, ſitim nouam mox excitant, niſi ex aqua ſuccus eorum bibatur, eaq́ frigida vel niuoſa. Adde quòd hæ ſapæ ob craſſitiem bibi non poſſunt, nec promptè in corpus totū permeare. Quæ res neceſſaria eſt ad febrilis caloris alterationem & ſitis naturalis extinctionem, quæ partibus ineſt omnibus, vel calfactis, vel ſiccatis, vel vtraque qualitate alteratis & inanitis. Bilis præterea vomitum & deiectionem adſtringit & alterat, ſiue ſeorſum hæc duo ſymptomata accidunt, vt in febribus ſæpe, & in plurimis dyſenterijs, ſiue ſimul, vt in cholera, morbo acuto, & ob multam & repentinam vacuationem bilis primùm, ſed aliorum deinde humorum periculoſo. Si enim ſolus humor bilioſus redundans & naturā grauans vacuaretur, tolerabile malum eſſet: at deprauato naturæ impetu, etiam benignus humor expellitur, & tandem ſanguis. Ob id ſiſtenda hæc vacuatio ſumpto hoc condîto, vel ſimili, paulò quidem ante cibum ad ſiſtendam deiectionem: ad vomitum verò poſt cibum per ſe, vel cum aqua roſarum, plantaginis, & ſimiliter adſtringente. Cum autem bilis flaua ſit omnium quæ in

*corpore ſunt, calidiſsima, partes per quas permeat & excernitur, ignis modo vrit, præſertim cum vſtione malignior euaſit. Hanc calfactionem ſapa ribes alterat, & euincit refrigerando. Aiunt ex Syriæ montanis, & ex Aegypto ſuccum hunc frigidum ſiccum adſtringentem ab arborum fructibus prunorum æmulis expreſſum, nunc ſiccatum, nunc liquidum, nunc ſaccharo aut melle conditum afferri. Eius loco ex noſtris ribes expreſſum coquimus cum ſaccharo in gelatinam, vel in ſyrupum.*

SVccus granatorum acidorum ſimiliter fit, & poteſt. *Vinum granatorum eſt eius loco in vſu.*

SVccus perſicorum intemperiem ventriculi calidam iuuat, ſitim ſedat.

SVccus acidus citrorum, idem quod ſuccus ribes.

SVccus fructuum intemperiem calidam tollit, vẽtriculum roborat, vomitum & fluorem alui ſiſtit: fit ex ſucci granatorum acidorum & acidodulcium, ſucci cydoniorum acidorum, ſucci pyrorum immaturorum, ſucci pomorum montanorum, ſucci meſpili tricocci, ſucci acidi citrorum, omphacij partes æquales: merge his baccarum, oxyacanthæ, & rhois ana partem dimidiam, & fac vt in ſucco oxyacanthæ dixi.

SVccus fructuum alius intemperiem calidam & ſitim extinguit, aluum ſubducit: fit ex ſucci granatorum acidorum & acidodulcium, aquæ prunorum, aquæ tamar Indorũ, parte æquali, ſucci acidi, citrorũ parte dimidia: fac vt in ribes.

*Pro acidis, dulcia ventrem magis molliunt, libr. primo ſanitatis tuend. lubricando: ſed hæc comprimendo.*

SVccus myrtinus vt ſuccus ribes: in ſumma, omnis ſyrupus ex ſuccis factus, ſi abſque melle & ſaccharo igne vel ſole incraſſetur, rob vocatur.

*Hi ſucci propè omnes non modò fluorem alui ſiſtunt, & dyſenteriæ conferunt, & vomitui, ſed etiam immodicis vrinis, immòdico fluori menſium: vomitui & ſcreatui ſanguinis, intemperaturis calidis hepatis, renum, & aliarum partium.*

*Succi autem huiuſmodi in vſu eſſe deſierunt, fortè quòd ægriùs ſeruentur integri etiam ſiccati: quorum loco in vſu frequentiore ſunt ſyrupi omphacij, oxyacanthæ, ex cydonijs, granatis, acida parte citrorum, de quibus & cæteris ſyrupis mox dicemus. Neque verò deſierũt ſyrupi Meſuæ idem pollentes, de prunis, pomis, pyris, cornis, ſucco rhois.*

SVccus omphacωn, id eſt, vuarum immaturarum, ſcilicet omphacium, earundem eſt virium, & pulſum cordis cohibet: fitq́; modo eodem. *Robub de agreſta.*

*Omphacium ſuccum vocant, & parant quidam, alij cum melle coquũt, appellantq́; ὀμφακόμελι. Huius craßi omphacij meminit Gal. lib. 6. c. ph. p.*

SVccus cornorum maturitati propinquorum idem pollet, ac ſimiliter ſiccatur.

SVccus baccarum oxyacanthæ idem poteſt, & eodem modo paratur: vel baccarũ eius ſiccarum libr. duæ, omphacij lib. tribus triduo macerantur, manibus fricantur, exprimuntur, omphacium id expreſſum percoquitur. *Rob berberis.*

SVccus rhoïs, & mororum domeſticorum, vel potiùs batinorum nondum maturorum, & cydoniorum, fit & valet vt prædicti. *Rob de ſtomach.*

SVccus pomorum, cor & ſtomachum roborat, ſyncopen ſanat, vt prædicti.

*Poma acida vel acidodulcia eligantur, quália ſunt mala agria nobis dicta, vel ſylueſtria, & immatura, quorum ſucco Picardi & Normanni vice omphacij vtuntur.*

SVccus pyrorum ſimiliter fit, & valet.

SVccus prunorum inflammationem extinguit, ſitim ſedat, ventrem ſubducit.

*Pro varia prunorum natura variam habet facultatem, vt priùs in iulepis docuimus: hodie ſuccus prunorum ſiccatus, & in caſei formam coactus, menſis quadrageſimalibus circunfertur. Eſt etiam agreſtium prunorum ſuccus ſiccatus loco acaciæ nobis in vſu, refrigerans, ſiccans adſtringens.*

*Præter ſapas, ſuccos magis ſiccatos, ſeruamus ſuccum glycyrrhizæ, prunorum agreſtium, aloën, ſcammonium, quod tamen, ſi liquor ſit, præſtantius eſt, quàm ſuccus vt in ſimplicibus docuimus.*

*Succus prunorum agreſtium quo acaciæ loco vtimur, ſic paratur. Baccas pruni ſylueſtris aqua in vaſe pauca aliquot diebus maceratas coque, cola, recoque donec craſſeſcant, ſerua qua voles figura, ſi vis in vaſculis.*

*Vuas quoq; paſſas aqua calida horis viginti quatuor macerant, percoquũt, colo exprimunt, expreſſum ad mellis conſiſtentiam recoquunt, & mel paſſulatum vulgò vocant à conſiſtentia, colore, dulce, Io. Man. in conſilio de lepra, nos ſapam vuarum paſſarum in Meſuæ compoſitis.*

Syrupi.
Lib.1. ſimp.

*SApas ſyrupis præpoſuimus, quòd hæ omnino ſint ſimplices: niſi compoſitas ea ratione dicas, qua Galenus aquã calfactam: ſyrupi autem omnes compoſiti, etiam ſi eorum permulti exemplo Dioſcoridis & Galeni in alijs, à Meſuæ ſimplices dicantur, quòd ſint minimùm medicamentoſi, & parum multis conſtent. Simplex autem compoſito & natura & docendi ratione prius eſt. Syrupus verò eſt medicamenti forma liquidior, ex ſuccis vel alijs plantarum partibus, cum humore aliquo percoctis & mellitis, vel ſaccharatis ad ſaporis gratiam, & cuſtodiæ diuturnitatem. Syruporum copia quàmmaxima, & parum neceſſaria luxuriarunt Arab. cum longè præſtaret ſuccos medicis vſibus neceſſarios vel ſynceros ſeruare, quibus ſeruari licet, vel ſiccatos ad mediocrem craßitiem, vt ſapas ipſas prædictas, vel ex melle, aut ſaccharo condîtos: reliquas verò plantarum partes ſiccas ſeruari donec vtendi incideret neceßitas, niſi ſi quarum adhuc virentium facultatem expetimus, quam decocto ſimiliter condîto ſeruare conueniat: ſine tamen illa aliorum ſimplicium farragine. Quæ tamen ſyrupis poly-*

chre

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0184-8

*chreſtis, & ad multos affectus efficacibus debetur quomodo theriacæ, mithridatios, & aliæ magnæ veterũ cõpoſitiones, numeroſa ſimplicium præſtantiſſimorũ congerie ſunt miſtæ ob vſus plurimos & maximos. Syrupi autẽ ab Arabibus inuenti ſunt, vt vis plantarum alioqui euanida & lubrica, efficax diu ſeruetur, & fomẽtando (vt cum vulgo dicam) interdum increſcat, interdum facultatem nouã pariat, vtq́; remedia huiuſmodi ad manũ ſint, quoties vtendi neceſſitas inciderit, ſintq́; vtentibus iucundiores. Syrupus verò dicitur, quaſi Syriæ regionis ὀπὸς, id eſt, liquor, vt Hermolao in vnguento ſuſino videtur: alij Barbaræ voci etymũ aliud Græcum ſomniant, cum Actuarius & Simeon ſcriptores Græci, nõ ſyrupum ſed σιράπιον vocent, & affinem ei potionem ζουλάπιον vel ζούλαπον, quod alij iulapium, alij iulepum, vel iulebũ, alij ἰολάβον, ceu violarum infuſionem, malunt appellare. Porrò inter iulepũ & ſyrupũ quod intereſt apud Meſuem, ſequens eius dictio docebit, vbi ſyrupi ſimplicis ſpeciem facit iulepum, quamuis eidem iulepũ multò magis coquatur, quàm ſyrupus, adeò, vt humoris ſaccharo incocti, vncia tantùm vna manet in libra iulepi: in libra autẽ ſyrupi vnciæ duæ. Simpliciſſimũ item iulepum, vt ex violis, roſis, ſaccharo, aqua, ob id lympidius & delicatius: quia tamen coctũ magis, aqua largiore, vt tripla, quadrupla, vtendi tempore diluitur: ſyrupus tantùm dupla, vt ex conditis præcedentibus, præcipuè citris cõditis patet. At huius ætatis medicis contrà inoleuit conſuetudo iulepos minus multo coquere, quàm ſyrupos, ne tam multa aqua egeant, vtq́; ſint minus glutinoſi. Quin & ſyrupos aqua aliqua dupla ſolutos vocant hodie iulepos.*

SYrupus aut ſimplex eſt, vt iuleporum ſpecies, vel ex multis cõpoſitus, ob effecta & plurima & maxima. Item ſyruporũ aliqui ſunt ſpecies oxymelitis, alij etiã aromata recipiunt.

*Primùm iulepa Meſuæ deſcribam, quòd conditis roſarũ & violarum ſint affinia. Deinde ſyrupos ex ſuccis fructuum conditis quibuſdã fructuum conſiſtentia & viribus multùm ſimiles. Poſteà ſyrupos ex ſuccis herbarum, poſt eos qui magis ſunt compoſiti. Syruporum autem ſimplicium, præſertim ex ſuccis fructuum typus & imago quædam à Galeno delineata lib. 6. c. ph. p. vbi ſuccum mororum, batinorum, pyrorum agreſtium, cydoniorũ, vini muſti ex melle coquit, & item potiones quædam Græcis* ἡδία, ὠφέλιμα, προπόματα, *id eſt, ſuauia, vtilia, præpotiões dictæ, & alia quædam mox dicenda. Genus iuleporum, vna eſt ſimplicium ſyruporum differentia, aliæ ſyruporum ſimplicium nomen vſurpant.*

IVlepum roſatum, febrium, thoracis, & ventriculi incendium, caloremque flammeum extinguit, ſitim inexpletam ſedat: recipit aquæ in qua roſæ ſunt maceratæ libr. quinque, igni lento coquendas cum ſacch. lib. quatuor. Datur cum aqua frigida.

*Hoc iulepũ refrigerat ordine primo, & leniter ſiccat, & adſtringit: ob id vẽtriculum, & hepar, & cor ignita, & à calore diſſoluta roborat, tũ refrigerãdo, ad temperiẽq; reducendo, tum ſubſtãtiam harũ partium triplicẽ in vnum cogendo. Idem etiam putredini febres gignenti reſiſtit, ſiccitate ſubamara, & aromatica qualitate. Propterea in febribus peſtilentibus eſt longè præſtantius violato, vt quod venenis, aërisq; corruptelæ ſua qualitate aromatica reſiſtit. In febribus quoq; ſomnum conciliat, tam per ſe refrigerando & humectãdo (nam cũ aqua quadrupla ſumitur) quàm per accidens, dum vapores calidos, acres, ab humoribus putrentibus ad caput elatos, inſomniam excitare ſolitos, adſtringendo, & per frigus cogendo meatus prohibet. Quan-*

*quam & refrigerãdo putredinẽ in præſens remittat, eiq́, vt dixi, aromatica qualitate reſiſtat: ſitim eadem ex cauſa ſedare certiſſimum eſt, tum à calido, tum à ſicco, tum à calido & ſicco ſimul natam, quia roſis & aqua refrigerat, & humectat aqua: nec ſolùm ſitim animalem in ore ventriculi ſedat, ſed etiã naturalẽ in ſingulis corporis partibus calfactis, ſiccatis. & inanitis: quam actionem ſaccharum eſſentiæ tenuitate iuuat, & dulci ſapore hepati iucundo. Quo modo vinum vel acetum aquæ miſtum ſitim magis & citiùs extinguit, quàm horum trium per ſe quodque, vt abundè probat Galen. libr. 1. ſimpl. capit. 30. & alijs. Hoc iulepum ex roſarum rubr. ſiccarum infuſione aliquando in vſu eſt, frequentius tamen ex infuſione roſarum recentium, ſed nomine ſyrupi, non iulepi: de quo mox. Hydroroſatum Paulus ex coctis libris quatuor roſarum in aquæ ſextarijs quinque & duobus mellis componit. Aqua verò ſit optima, qualem Galenus deſcribit primo ſanitatis tuendæ, & ea (ſi valenter eſt refrigerandum) priùs calfacta, pòſt niue vel aliter refrigerata, vt idem docet libr. methodi. 7. Vel eius loco aqua deſtillata tuo propoſito idonea. Potentius fiet hoc iulepum ex ſucco roſarum recentium, vel etiam earundem infuſione multiplici, & ſacchari libis duabus.*

IVlepum alterum roſatum fit ex aquæ roſarum libris tribus, ſacchari libris duabus. *

*Id iulepum eſt hodie vſu frequentiſſimo in febribus & ſiti aquæ quadruplo miſtum, quia ſuauiſſimum, paratu facilius & clarius quàm præcedens. Id quia REGI NOSTRO FRANCISCO in vſu eſt fre-*

*quēti, iulepum Regium à medicis Parrhiſienſibus appellari cœptum eſt: idq́ ſolum medici hodie in ſuis placitis abſolutè requirunt. Veteribus ignotum, rhodoſtagma, ſeu aquam roſarum, & hunc ſacchari vſum neſcientibus. Quibuſdam verò vni libræ ſacchari in aqua communi clarificatæ adduntur aquæ roſarum vnciæ duæ, vt ſit ex aqua roſarum pauca, & multa communi compoſitum, ſed id inefficacius.*

IVlepum violatum, febres, phlegmonas, pleuritidē, aſperitatē gutturis & thoracis, tuſsim mitigat: fit vt iulepū roſatū.

*Violæ enim ſiccæ aqua macerantur cui ſaccharum incoquitur, vt violarum vnc. ſint tres, aquæ ſextarijs tribus, horis 24. macerētur, colatum coquitur cum ſacchari lib. tribus, vel aquæ ex violis recentibus deſtillatæ, vel infuſionis violarum ſiccarum, aut potiùs recentium lib. 3. ſaccha. lib. tantum duabus, non tribus, quorundam more percoquitur* ἰοζουλάπιον *Græcis recentioribus dicitur, &* ἰοσάχαρ *Actuario quod eſt* ἴων, *id eſt, violarum ſuccus ſaccharatus. Paruarum autem eſt virium ex aqua violarum deſtillata, quod tamen à plurimis hodie paratur & coquitur: minus quàm ſyrupus refrigerat, humectat primo gradu, febribus acutis, tuſsi ſiccæ, affectibus calidis ſiccis partium thoracis, & ventris inferioris ſalubrius & ſomniferum magis, quàm roſatum.*

IVlepum de ſucco violarum fit ex ſucci violarum libris tribus coctis cum ſacchari lib. duabus: ſimiliter fieri poteſt ex ſucco roſarum, eſtq́ue purgatorium.

*Id iulepum ex ſucco violarum & roſarum, & cæterorum eſt præſtantiſsimum, quod plantarum ſuccus ipſarum velut quidam ſanguis eſt. Iucundius eſt ex florum infuſione, minus efficax, niſi multiplex fiat infuſio, & flores recentes ſint: iucundiſsimum et maximè imbecillum ex aqua deſtillata: in febre ardenti, æſtu ſtomachi aut thoracis, ſiti*

*inexpleta. Ad idem valet Actuario ioſachar, id eſt, ſuccus violarum cum ſaccharo coctus, bilis acrimoniam obtundens, idemq; ob lentorem thoracis vitijs eſt aptum, & aqua cum ſaccharo cocta, & aqua floribus nymphea & ſaccharo cocta, bilis ardorem mirè frangit, & refrigerat.*

INfuſio roſarum & violarum hoc fit modo: foliorum roſarum & violarum recentium libræ ſex, horis octo macerentur libris quindecim, aquæ calfactæ, in vaſe terreo vitrato, ſtricti oris operculato: poſteà colantur. Eidem aquæ iterum calfactæ, roſarum & violarum recentium tantundem immittitur, tandiu maceratur, colatur: id ſi velis ſeruare, oleo affuſo, & vaſe eodem bene operculato dies quadraginta inſola, vocaturq; id mucharum roſarum, aut violarum.

*Ex hac infuſione fit ſyrupus roſatus & violatus ex infuſione roſarum & violarum. Infuſiones verò iſtæ ſeorſum faciendæ ſunt: quanuis ſimul breuioris ſermonis cauſa docētur. Poſſunt tamen ſimul infundi ana vt ambarum vires miſtas habeat. Si verò quinquies roſæ vel violæ mutētur, aut etiam frequentius, & addito ſaccharo percoquantur, ſyrupus fiet roſatus vel violatus purgatorius: & eò magis, quò plures factæ fuerint infuſiones violarum vel roſarum omniū: maximè tamen purgatorias experimur quotannis, quas vulgus incarnatas à carnis per cutim colore, quæ omniū ſunt odoratiſſimæ dum recentes ſunt: citò enim odorē amittunt, & ſyrupus ex his purgatorius magis eſt recēs: poſt menſem verò ſextū paruarū eſt viriū. Eius ex infuſionibus quinque ſunt qui dant vnc. ſex, nos ex nouem infuſionibus ab vnc. duabus ad tres. Si autē ex vna infuſione, vel duabus fiat ſyrupus, eſt roſatus, aut violatus, abſolutè dictus. Poſt expreſſas autē roſas & violas, magna abijciendū eſt & aliæ recētes quoq; ſunt immittendæ. Frequentius autē ne corrumpantur, eius infuſi libræ quinq; cū ſacchari libris quatuor per albumina clarificatis, igni lento coquuntur ad*

ſyrupi conſiſtentiam. Quòd ſi infuſionis & ſacchari ana lib. quatuor cum Nicolao ſumantur, citius percoquetur. In febribus calorem extinguit, ob id ſitim ſedat, et ventriculum roborat. Huic affine eſt Aëtij et Pauli hydroroſatum ex roſarum exunguatarum libris quatuor in aquæ ſextarijs quinque, & mellis ſextarijs duobus coctis ad tertiæ partis conſumptionem, aut inſolatis: ſed citò corrumpitur, niſi loco frigidiſsimo ſeruetur. ὕδωρ ῥοσάτον Actuarij doſibus ab hoc parùm variat. Alij ſyrupũ violatũ, vt & roſatũ ex ſucci violarũ libris tribus coctis igni lento, cum ſacchari libris duabus, vt iulep. antè ſcriptum componũt cæteris efficatiorem. Alij huius ſucci vncias 4.6.8.12. cum ſacchari libra vna coquunt, vt in ſaccharo violato & roſato ex violis, & roſis integris. Alij penuria recentiũ violarum, aridas infundunt, aut coquũt, aut aquã ex violis deſtillatã coquunt, vt ex omni iulepo ſyrupum faciant, maiore tamen coctione adhibita. Qui verò ſyrupus fit ex aqua deſtillata, vel infuſione violarum et roſarum ſiccarum, paruarum eſt virium. Contrà verò ex infuſionibus multis recentium violarum, vel roſarum albarum, rubrarum, præcipuè autem (vt dixi) incarnatarum, aquas & bilem purgat, æſtate ſalubriter ab vncijs duabus ad vncias quatuor: ſunt qui ad vncias ſex, pauco aniſi, aut fœniculi, aut cinnamomi addito, ne flatus in ventre moueat, & liquore idoneo. Præſtantior autem multò eſt hic ſyrupus roſatus purgatorius, quàm qui ab Auicenna componitur ex ſucci roſarum libris duabus, mellis libris quatuor, ſcammonij toſti vncia vna, coctis ad ſpiſsitudinem. Si autem libræ infuſionis dimidiæ incoquatur libra vna ſacchari, minimùm ſoluit noſter ſyrupus: ſi libra libræ, mediocriter: ſi infuſi libræ vni & dimidiæ ſacchari libra vna incoquatur, mirè ſoluit. Coqui etiam cũ melle in hyemem poteſt. Qui verò ex ſucco roſarum clari-

fica

*ficato coquitur cum æqua portione ſacchari, vncijs tribus, etiam aluum comprimẽdo ſoluit, ſed multò clemẽtius, quàm qui ex multis infuſionibus roſarũ recentiũ. Qui deniq; ex infuſionibus tribus roſarum ſiccarum fit ſyrupus, ſic, vt roſarum vnciæ quatuor ſingulis aquæ colandæ libris inijciantur, valenter adſtringit, & ventriculum roborat, à neotericis inuentus, & ſyrupus roſarum ſiccarum appellatus.*

*Purgatorius quoque aquarum & bilioſi ſucci fit ſyrupus ex 4.5.6. infuſionibus florum recẽtium perſici: idemq́; odorus, ſaporis iucundi, modicè calidus. Ex iiſdem floribus ſaccharatis, ſeu cum ſaccharo contuſis conſerua, vt vocant, eodem modo purgatoria eſt, præſertim recẽs. Vis enim ignea & purgatrix ab his omnibus facilè vaneſcit.*

IVlepus zizyphorum aſperitatem gutturis & tuſsim iuuat, ſputum tenue, quia incraſſat, faciliùs expelli facit: ob id raucitati & pleuritidi confert: fit ex zizyphis magnis & pinguibus centum coctis in lib. quatuor aquæ ad dimidias, quæ libræ duæ reliquæ cum ſacchari libra vna percoquuntur in ſyrupum, id eſt, iulepum ſimplex. *Iulep. ex iuiubis.*

*Non eſt in vſu, quamuis in hos affectus fuerit efficaciſs. cum aqua hordei, vel adianti, vel communi. Eius loco in vſu eſt ſyrupus zizyphorum poſt dicendus. Syrupus zizyphorum ſimplex ad catarrhum tenuem in pectus, ad ſputũ liquidius incraſſandum modicè, fit ex zizyphis centum coctis in aquæ pluuialis lib. quatuor ad dimidias: colatum percoquitur in ſyrupo cum ſacchari lib. vna: poſteà compoſitus ſcribetur valentior.*

SYrupus de prunis valet idem quod ſyrupus de violis, & ſimiliter fit.

*Eius ſyrupi, vt prunorũ, varia eſt natura: ſi enim dulcia ſint, aluum ſubducit: eius autẽ loco Diaprunõ ſimplex vſurpamus: ſi auſtera ſint, aluum cohibet, niſi ſummis epulis ſumptus, firmatis partibus ventriculi ſuperioribus, deor-*

*ſum*

*ſum pellat. Si acida ſint, refrigerat, humectat incîdit, tenuat, appetentiã excitat. Dulcacida verò Meſues videtur intelligere, quæ parùm aluum ſubducant, & magis refrigerent modo violarum.*

O SYrupus de pomis cor imbecillum roborat, ob id ſyncopen & cordis tremorem ſanat: fit ex pomorum dulcium & acidorum ſucci ana lib. quinq; coquendis ad dimidij conſumptionem: deinde biduo reſidere permittentis donec clareſcant. Tũc colẽtur, & cum libris tribus ſacchari fiat ſyrupus. Quidã huic ſucco nondum per reſidentiam purgato immergunt ſericum crudum, cocco baphica recenti tinctum donec is rubeſcat, & cocci ac ſerici facultatem receperit, iſque eſt præſtantior.

*Syrupus de pomis ſimplex quibuſdam in vſu, alijs compoſitus pòſt dicendus, magis. Efficacior erit, ſi poma dulcia augeas, quòd illa odore cor magis roborant, vt Pauli hydromelum ex cydonijs odoris, & aliud ex ſolis dulcibus pomis oſtendunt, vt contrà Serapio ex ſolis pomis acidis: acida enim putredinem prohibent, appetentiam inuitant, ſitim ſedant, ventriculum poſt vomitum bilioſum roborant. Ne autẽ accipe ſericũ pannum ab infectoribus tinctum in chermes cum alumine, & alijs, quòd illud chermes à ſucco baphicæ cocci ſit diuerſiſſimum, vt dicemus in ſyrupo corticis citri. Hæ compoſitiones ex fructibus ſyrupi ſunt, quia minùs coquuntur iulepis, aut affines, quia ſimplices, minus tamen claræ.*

O SYrupus de pyris vẽtriculum roborat, & cibum in eo continet: fit vt ſyrupus de pomis.

*Pro varia pyrorum natura variæ ſunt eius vires: in hunc autem adſtringentia pyra, nõ tamẽ acerba, ſed ſolùm auſtera aut ſubauſtera Meſues acceperit, quæ refrigerãdo, et adſtringẽdo vẽtriculũ à calore imbecillũ, vt in febribus, roborat, et cum cibi tenax non ſit, ſed vomitu, aut deiectione mox excernat firmata retẽtrice, & oſculo vẽtriculi vtroq; adſtricto cohibet. In vſu nõ eſt, tamen ſaluberrimus fuerit.*

SYrupus de cydoniis idem pollet, & eodem fit modo.

*Dyſenteriam hepaticam mirè ſanat, modicè per caſſiam aut mannam vacuato corpore.*

*Sed valentior eſt ex ſucco cydoniorum paruorum, quæ maſcula vocamus, & quæ acerbiora ſunt, quàm ex ſucco ſtruthiorũ ſeu prægrandium; quæ fœminæ vulgò dicuntur. Hoc recentiores quidã μηλοζούλαπον & κυδωνίων χύλισμα vocãt. Alijs miua cydoniorum ſimplex dicitur, licet poſteà Meſuæ ſcribatur miua ſine ſpeciebus & cũ ſpeciebus. Paulus etiam hunc hydromelum vocat.*

SYrupus de perſicis intemperiem calidam ventriculi, & inde natam ſitim compeſcit, oriſq; fœtorẽ: fit vt ſyrupus de pomis.

*Syrupus ex ſucco perſicorum præſertim minus humidorum (qualia nos Corboliana vocamus, quòd in Corbolij territorio & plurima & præſtantiſſima proueniant) profectò fuerit præſtantiſſimus & multo vtilior, non minus iucundus, quàm perſica ipſa condìta: refrigerat, humectat, ob id intemperiem calidam ſedat, & ſitim, & odore iucundo tetrum oris odorem tegit, & epicraſim emendat, eum ſcilicet qui à corruptis in ventriculo humoribus, vel vlceribus excitatur, non eum qui à putredine humorum vel partium in pulmonibus, faucibus, ore toto, naribus prouenit, quia vel in has partes non fertur, vel in his vix momento manet: adde, quòd qualitate aromatica putredini reſiſtit.*

SYrupus ex ſucco cucurbitæ febres ardentes bilioſaſq; reliquas gutturis aſperitatem, pleuritidem emendat: cucurbitam magnam maza inuolutam clibano coque, eius expreſsi ſucci libras quinque cum ſacchari libris tribus percoque.

*Nobilis quidam noſtras, in peregrinatione Hieroſolymitana Ioppe ardentiſſima febre correptus, à medico Iudæo eſt confeſtim hoc ſyrupo perſanatus: id obiter addendũ putaui, vt lector intelligat multa in Meſuæ præſtantiſſima*

medi

*medicamenta velut neglecta iacere, quorum vſus eſt ſaluberrimus. Hic ergo ſitim & vehementem febrium ardorem potẽter extinguit magna frigiditate & humiditate. Gutturis hæc aſperitas calidam & ſiccam expirationem per febres ardentes ſequitur, pleuritis ab omni humore fit, frequentiſsimè tamen à bile, vt apho. 33. lib. 6. ob id bilioſis & calidiſsimis morbis pleuritidem bilioſam tanquam acutiſsimam & calidiſsimam hîc commemorat.*

* SYrupus de granatis acidis febres bilioſas, & quæ ex pituitoſis flammam multam inuehunt, iuuat.

*Ex ſucco purificato granatorum acidodulcium, vel acidorum ſimul & dulcium, vel acidorum tantùm, aut acidorũ maiori portione, cum ſaccharo fit hic ſyrupus, vt præcedẽtes, quia refrigerat, humectat, & obſtructa nonnihil liberat, eſſentiæ tenuitate bilioſis febribus eſt efficax, ſed etiam pituitoſis (quia ſapor acidus etiam incîdit) & præcipuè multum inflammatis. Nam vt ligna viridia ægrè incenduntur, ſic pituita putrendo vix vritur: vbi autẽ accenſa omninò eſt, modo aliarũ ardet: quod & Hippo. cauſus pituitoſus & hybernus declarat. Syrupus ex ſucco omnis oxalidis, idẽ pollet, vt pòſt leges. Paulus ῥοιτὸν parat ex partibus tribus ſucci granatorum & vna mellis. Sunt qui ſericum mergant, putantes id magnam vim habere roborandi cordis.*

*Lib. 3. rat. vict. acuto.*

* SYrupus de granatis dulcibus, ſitim, tuſsim, pleuritidem iuuat: fit vt prior: præſtantior euadit ſi ſucco maceratis ſericum cocco baphica tinctum.

*Sitim à ſicco ſedat, humectãdo minùs eam, quæ à calido eſt, quòd dulcia in ventriculo calido promptè in bilem flauam vertantur, & ſitim inde excitent: ſi videlicet exactè dulcia ſunt vt mel: aliud autẽ ſentiendum de minùs dulcibus. Sunt enim in dulci ſapore alijs ceu gradus quidã maioris & minoris ratione diſtincti, vt pituita dulcis in 1. ſit*

*gra*

*gradu, lac in 2. glycyrrhiza in 3. mel & ſanguis dulciſsi. in 4. ob id mel quia ſummè eſt dulce, à calore vel ſuo vel alio promptè amareſcit glycyrrhiza autem recens etiam diu coqui poteſt citra periculum aduſtionis, vnde & ipſa Græcis ἄδιψος dicitur, quòd ſitim ſedat: lac coqui diutiùs poteſt, pituita diutiſsimè. Quatenus autem dulcia tergent, hic ſyrupus aſperitatem gutturis lenit, ſi ab humore ſiccato inæquale eſt, & humectando, ſi à ſiccitate exaſperatum eſt. Quoniam item dulcia tergendo ſputa promouent: in omni autem pleuritide facilè ſpuere eſt ſaluberrimum, & quò citiùs & largius ſpuitur, eò breuior & tutior eſt pleuritis. Cor prætereà roborabit hic ſyrupus, ſi ſucco huic ſericũ crudum grano tinctorio, (κέρμες, Mauri vocant) infectum immiſeris, donec ſuccus ruber euadat. Nam vtrunque, ſericum inquam & coccus baphica vim cordis roborandi habere creditur. Poſſet eadem ratione cæteris huius generis ſyrupis hoc ipſum miſceri, non huic, & ſyrupo de pomis tantùm.*

*Lib. 4. ſimp. cap. 16.*

*Aphoriſ. 12. lib. p. lib. 1. criſewn, & lib. 2. prog.*

*

*Syrupus acetoſitatis citri.*

SYrupus ex ſucco citri acido bilis flauæ, & febrium ab ea, aut viſcerum phlegmone ortarum ardorem flammeum potenter extinguit, ac ſitim vehementem: ebrietati reſiſtit, vertiginem iuuat, febribus denique peſtilentibus, præſertim conſtitutione æſtatis venenoſa & peſtilente opitulatur, ſic fit: Succi citrorum acidi libras duodecim in vaſe vitrato coque igni prunarum lento ad tertiæ partis cõſumptionem, cola, reſidere donec clareſcat permitte. Clari ſucci libras ſeptem percoque ad iuſtam craſſitudinem cum iulepi clari & purgati libris quinq;. Aut ſi æſtas eſt, inſola donec aquoſa eius ſubſtantia conſumatur.

*Vertiginem bilioſam.*

*Venenis etiã reſiſtit.*

*Cola per linteũ ſine expreſsione.*

*Hoc aquoſum in fructibus cauſa feruoris & putredinis, Gale. in ſimp.*

*Sapor acidus refrigerando vehementiam bilis potenter obtundit, præſertim miſtus aquæ frigidæ, cum qua dupla huius ſyrupi vnciæ duæ propinantur, vel eius loco aqua bugloſsi, intybi, meliſsophylli, vel alia pro ſcopis varijs: cor, ventriculum, & partes alias ab intẽperie calida imbecil-*

*las*

*las firmat, & dum ſpiritus calore immodico tenuatos reſolui prohibet, ac ipſorum putredini, & humerum, & aëris tota ſua ſubſtantia reſiſtit, per accidens naturam roborat, febresq́; peſtilentes, aut gigni prohibet, aut genitas emendat. Refrigerando item ac humectando (nam per ſe frigidus ac modicè humidus, duplo autem aquæ aſſumpto vtráq; qualitatem intendit) febrium maximè bilioſarum incendium compeſcit, & ſitim ac ſomnum conciliat. Quoniã poſtremò vapores minuit extincto calore vaporem cauſam effectricem ebrietatis poto iam vino potente & vaporoſo reprimit frigiditate. Qua de cauſa nonnulli cùm vinũ meracius bibere cogantur, ob ventriculi imbecillitatem, ab eo ne caput vaporibus calidis tentetur, aquam ſuperbibunt: alij pomum aut pyrum, aut aliquid ſimile poſtremum ingerũt: alij ore tantùm ea continent: alij ore aperto reſpirãt, vt vaporum à vino calidorum pars magna cum expiratione foras exhalet, non deferatur in caput, vbi ſpiritibus miſta pro ſuo impetu, errabundo motu ſpiritus ipſos animales dimoueant, vt inde nobis appareant communia ebriorũ ſymptomata. Inter quæ vnum quoque eſt vertigo, cum ſcilicet omnia circumagi videntur. Cui ſyrupus iſte etiam ſuccurrit, & viſis quæ vapor nunc bilioſus, nunc alius à ventriculo, vel etiam toto corpore elatus in càput, & ſpiritui viſorio permiſtus nobis mentitur. Qualia multa ieiunis quibuſdam, omnibus verò febrem depoſituris criſi per vomitum, aut emorrhagiam narium accidunt. Citrea mala ſeptentrionalis Gallia cum deſideret, hũc ſyrupum ex Prouincia, & Gallia Narbonenſi coëmit. Poßis tamen ex ſucco limonum (quos plurimos, & integerrimos prædictæ regiones quotannis tranſmittunt) iſto non multò inferiorem: magis tamen refrigerantem & penetrantem coquere: ambo præterea cor, & ſtomachum roborant, & ſpiritus reſolui*

Ceſus. Paulus.

Lib. 3. prog. & criſewn.

*prohibent: nec malus fuerit ex ſucco aranciorum indidem magna copia huc anno prope toto delatorum.*

*Syrupus item acetoſus ſimplex, & de granatis acidis, facultate refrigeratoria huic eſt affinis, viribus alijs longè inferior. Iulep. clarum eſt ſaccharum aqua diſſolutum, coctum, cum albuminibus clarificatum: vel iulepum accipe cum ſucco citri factum, aut roſatum. Potes etiam ſacch. libr. duas in aquæ triplo ad penidiorum conſiſtentiam coctas illi ſyrupo incoquere, pòſt inſolare dies 40. vt diutius ſeruetur. Si contra bilem ſumitur manè dentur eius vnciæ duæ cum dupla aqua: ſi ad ſitim & calorem febrilem, longè à cibo frequenter die ſumitur vncijs duabus cum aquæ quadruplo.*

SYrupus ex corticibus citri ſtomachum firmat, & oris gratiam cõmendat. Corticum citri libra vna in aquæ fontis libris quinque coquitur ad duarum librarum cõſumptionem, & cum ſacchari libra vna percoquitur in ſyrupum condiendum moſchi granis quatuor. Alij corticum quantitatem iuſtã in iulepum probè coctum proiiciũt, & fit delectabile. Quòd ſi aqua cui cortices citri ſint incocti, ſericum cocco baphica tinctum maceraris, præſtantior euadet.

*Cortices ſint recentes.*

*Alij libris 2. ſacchari, alij 3.*

*Cerebrum, cor ſtomachum, & reliquum etiam ventriculum, ſi frigida intemperie laborant, calore aromatico roborat iſte ſyrupus, & cortex conditus, ſiue humidus, ſiue ſiccatus, diligenter manſus, & ore contentus, vel deglutitus. Nobis, vt dixi, citrorum deſiderio non paratur, ſed eius loco ſæpe vtimur eo ſyrupo, in quo ipſi cortices citrorum conditi ſeruantur. Quia verò eſt odore iucundo, tetrum oris halitum tegit, & obtundit, præſertim qui à corruptis in ventriculo humoribus effertur. Nam à partibus alijs ori vicinis odorem fœdum, nec multum, nec diu diſſimulat. In idẽ vitium cortex citri conditus eſt efficaciſſimus, ſiue ore contineatur, ſiue etiam præmanſus deuoretur, præſertim aëre frigido, aut temperato, & in ventriculi intemperie frigida*

*potius, quàm alia quæuis: nam manifeſtè calfacit. Odorem verò huius ſyrupi aromaticum moſcho addito auget, vt etiam partes principes valentius roboret. Quamuis autem calidus ſit, tamen peſtilentibus morbis, & veneno reſiſtit, partes principes roborando. Ne autem accipe pannum ſericum tinctum in chermes, rem à noſtra natura & cocci alienam, non ſolùm per ſe, ſed ob aluminis & aliorum tincturæ panni huius neceſſariorum miſtam malignitatem. Miſcetur hic ſyrupus ſæpe alijs compoſitionibus ad cerebrum, cor, ſtomachum roborandum. Idem pollet conditura corticum citri liquida. Nam ſicca minùs eſt efficax, quæ fit corticibus in ſaccharum propè percoctum iniectis. Fieri ſimiliter poteſt ſyrupus & conditura ex corticibus limonum & aranciorum, ſed poſtremi, quòd amariores ſunt, aqua macerando ſunt antè dulcorandi.*

*Syr. de acreſta. Cholera morbus. fel lon Gallis, quòd fel ſiue bilis vomitu ſimul & deiectione vacuatur.*

* SYrupus de omphacio ventriculum roborat, etiã prægnantium, ne aliarum partium excrementa facilè recipiat, ob id choleræ morbo medetur, intemperiem calidam ventriculi febres bilioſas, ſitim vehementem extinguit, venenis reſiſtit. Fit vt ſyrupus ex ſucco citronũ. Nonnulli condiunt caryophyllis.

*Refrigerat, & potenter adſtringit, ſi ex vuis natura auſteris (quales vulgò nobis dictæ Burdegalenſes) & immaturis expreſſum ſit omphacium: ob id hic ſyrupus ad vncias duas cum vncijs duabus aquæ coctæ & chalybatæ, ante cibum præſumptus, non modo deiectionem immodicam in cholera ſiſtit, ſed etiam omni dyſenteriæ, præſertim bilioſæ, quæ frequentiſſima eſt, multùm cõfert, purgato prius, ſi opus fuerit, corpore per rhabarbarum etiam toſtum, vel aliud idoneum medicamẽtum. Si autẽ paulò poſt cibum ſumatur eadẽ aut propinqua menſura, vomitũ immoderatiorem, & à cholera, & à cauſa alia cohibet: Quia verò refrigerat, ſiccat, adſtringit vt acetum, tribus his qualitatibus putredini reſiſtit, vt ſal duobus poſtremis, mel & ſac-*

*cha*

charum, & coctio à ſole vel igne ſola ſiccatione, ob id conditioni peſtilenti vſu eſt frequentiſſi. omphacium. Vt aromatico ſit odore, miſcent nonnulli caryophylla, quibus multò aut paulò minus refrigeret pro caryophyllorum quantitate & viribus. Paulus omphacij ſextarios tres cum mellis ſextario vno igni lento coquit: vel dies 40. inſolat, donec aquoſa eius ſubſtantia ſit conſumpta, & ob id ὀμφακομέλι appellat. Actuario ad eadem fit ex omphacij libra vna, ſacchari libris duabus, bilis ardorem & febriũ magis refrigerando obtundit: nympheo ſacchar eiuſdem ex florum nymphea libris duabus in aqua parium coctis expreſſum, deinde percoquitur, cum ſacchari libris duabus ſeruatur: & omphacium cum ſale & omphacium ſiccum cuius meminit Galen. lib. 6. com. ph. p. Fit ex omphacij coctione, & reſidentia purgati lib. ſeptem, & ſacchari clarificati libris quinque, additis caryophyllorum drachmis duabus, aut circiter.

SYrupus myrtorum ventriculum & viſcera alia roborat, ob id fluorem alui antiquatum ſiſtit, & tuſsim mitigat: fit vt ſyrupus de omphacio prædictus.

Hæmorrhagiam omnẽ cohibet, ſumptus cum aqua chalybata, vel plantaginis, ſiue à pulmone eſt, ſiue ab vtero, ſiue renibus. Diabetem quoque reprimit, & omnem immodicam vacuationem quia refrigerat, ſiccat, adſtringit. Eadem opera omphaco ſacchar præſtat. Viſcera ab intemperie calida imbecilla & ſoluta roborat, tuſſi à defluxu calido & acri medetur dictis qualitatibus, & ſuo lentore velut incruſtando muniens fauces, ac guttur: fit ex ſucci myrtorum, id eſt, myrti baccarum libris duodecim, coctis ad tertiæ partis conſumptionem, deinde colatis, & quieſcendo purgatis libris ſeptem, quibus affunde ſacchari clarificati libras quinque, percoque igni lento in ſyrupum, vel ſi æſtas



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0199-9 DFG

eſt, in ſola vſque ad partis aquoſæ conſumptionem: ſic Meſues & Serapio componunt. Parrhiſijs autem quòd myrtos parum recentes habemus, ex ipſis in aqua temperatis & coctis paramus, ſed imbecilliorem. Hic ventris fluorem etiam antiquum ſiſtit, & ſcreatum ſanguinis, quæ vt præſtet efficacius aſtringentium catalogum, roſas, rhoa, acaciam, hypociſtidem, balauſtia, oxyacanthã, baccam, meſpila, carnem cydoniorum, ſuccum granatorum, maſtichen, ſantala, ebur vſtum miſcent, cum horum vnum aut ſaltem pauca ſufficiant. Myrteton Pauli libr. 7. huic affine eſt, ex ſucci myrtorum ſextarijs tribus coctis, cum melle ſextario vno ad tertiæ partis conſumptionem ſemper deſpumando.

* Syrupus ribes (ſic enim vocant Barbari, doctis ignoratum fructice) vel Damaſceni, vel noſtratis calorem, febres bilioſas, ſitim extinguit, profluuium bilioſum, vomitum, hæmorrhagiam ſiſtit, cardiacis ſuccurrit, appetentiam excitat, exanthemata ſeu morbillos & variolas ſanat, in peſtilentia eſt efficax, ebrietati reſiſtit, viſum acuit: fit vt ſyrupus ex acida parte citrorum, cui viribus æquale eſt. Ex baccis item ribes rubentibus racematim cohærentibus in aqua coctis, & expreſsis cum ſaccharo percoctis, fit cremor gelatinæ vulgari ſimilis, qualis ex cydonijs, cornis, oxyacanthæ, vuis, gelatina vulgò dictus, quòd gelu concretione refert: ſed hic omnium eſt gratiſsimus, & poteſt eadẽ, quæ ſyrupus, & ſapa ribes prædictus. Quàm vellem ſimplices herbarũ ſuccos vt fructuũ, melle vel ſaccharo condîtos & coctos, vel etiam igni aut ſole ſiccatos ſeruari, potius quàm ſic variè initio miſceri, cùm poſſet medicus vtẽdi tẽpore pro ſuis indicationibus & ſcopis miſcere. Eſt multũ in vſu, nomine ſyrupi de baccis myrti. Eſt alius ſyrupus myrtorũ compoſitus pòſt ſcribendus, frigidus eſt ac ſiccus ad primum gradum, miſta etiam pauca caliditate aromatica.

SYrupus ex vuis purgatis prodeſt tuſsi & thoraci: fit vt ſyrupus zizyphorum.

SYrupus ex dactylis ventriculum adſtringendo roborat, ob id vomitum, & fluorem alui ſiſtit: fit ex dactylis enucleatis, tritis, coctis ad conſumptionem duarum partium, deinde in ſyrupum percoctis.

*Succo dactylorum caremus, vuarum abundamus, tamen cocto in ſyrupum non vtimur: poteſt, qui volet, componere, & compoſito ad dictos affectus vti. Quæ ex vino, & aceto, ſuccis fructuũ, cum melle, aut ſaccharo fiunt potiones, œnomeli, oxymeli, oxyſacchar ſimpliciá hîc adſcribi poſſunt, quia tamen multipliciter componuntur, in compoſitos ſyrupos diſtuli.*

## SYRVPI SIMPLICES EX SVCCIS HERBARVM.

SYRVPVS ex ſucco oxalidis febribus bilioſis & peſtilentibus ſaluber eſt, cordis & ventriculi flammeum calorem extinguit, ipſaque roborat: fit vt ſyrupus violarum.

*Syrupus item ex intybi ſucco ad hepatis intemperiẽ calidam, et obſtructionem, accipit ſucci intybi purgati lib. octo, ſacch. albi lib. quinque & dimidiam, coque in ſyrupũ. Sic fiat ſyrupus ex ſucco cichoriorum, lactucæ, portulacæ, betæ, braſsicæ, bugloſsi vtriuſque, eupatorij, abſinthij fumariæ, hyſſopi, menthæ, marrubij, arthemiſiæ, & ſimilium herbarum tam frigidarum, quàm calidarum, & temperatarum. Poſsis etiam ſacchari quantitatẽ ſucco æqualem in aqua æquali prunis liquare, et per pannũ laneũ colare, mox percoquere, etiam vltra aquæ conſumptionem, ad conſiſtentiam ſcilicet penidiorum, quæ vocãt, aut ſacchari roſati, mox à prunis depoſito ſaccharo ſic percocto, ſuccos huiuſmodi reſidendo, puros paulatim miſcere, parũ coquere, & ſeruare. Potes etiã ſuccos parũ coctos, reſidendo purgatos colatos ſimul cum ſaccharo vel iam clarificato, vel ſimul clarificando,*

*ſine aqua coquere in ſyrupum: ſed coctione tam longa vis ſuccorum, præſertim refrigerantium, propè tota corrumpitur: quod priori modo non ita accidit. Quando autem in ſyrupum ſuccus eſt coquendus, modo poſteriore prius reſidendo eſt purgandus: deinde ouorum albuminibus, poſteà cum melle, aut ſaccharo coquendus ad mellis craſsitiem, aut circiter, vt ſeruari poſsit.*

HActenus ſyrupos ſimplices & iulepos deſcripſimus, nunc cõpoſitos aggrediamur, primùm refrigerãtes ferè, poſteà calfacientes & roborantes.

*Syrupos ex ſuccis fructuum medicamentoſis, præſertim refrigerando, & adſtringendo, & obiter ex ſuccis herbarum etiam calfacientibus, ſimplices explicuimus: compoſiti ſuperſunt, inter quos Meſues acetatum, ex aceto, aqua, ſaccharo recenſet, quamuis minimum ſit compoſitus.*

*Frigidi autem hi aduerſus bilioſos affectus & ſanguineos ſunt efficaces, vt calidi ad pituitoſos & melancholicos, niſi quibus melancholia feruet.*

*Primum autem compoſitos ex ſuccis fructuum docebimus, quo ordine ſimplices prius ſunt deſcripti.*

SYrupus acidus ex prunis potenter refrigerat, ob id magnã ſitim ſedat, intẽperiem calidam partium internarum cum febre, & ſine febre extinguit, & ebrietatem, & vertiginem, & vomitum ſiſtit cordis tremorem & ſyncopen ſanat. Fit ex ſucci ſeu aquæ prunorũ acidorũ, granatorũ acidorũ, & tamar Indorũ ana lib. vna, ſucci acidi citrorũ lib. dimidia, cum ſacchari lib. vna, igni lento coctis. Datur cũ aqua frigida, vel aqua niuis. Si abſq; ſaccharo coquitur ad craſsitiem, ſapa quædã fiet.

*Aqua hìc vel ſuccus eſt, vel prunorum, & tamar Indorum decoctum, minus quàm ſuccus efficax.*

SYrupus acidus de pomis, cor, & ventriculum roborat, ſitim ſedat: fit vt ſyrupus acidus de cydoniis.

SYrupus alter acidus de pomis, ad tertianas exquiſitas & ardentes æſtiuas, ſitim ventriculi & hepatis intẽperiẽ calidã, recipit ſucci malorũ acidorũ, granatorũ acidorũ, vuarũ agreſtium

ſtium, ana lib. vnam, aquæ roſarum, aquæ cui infuſi ſunt tamar indi, & pruna, ana lib. vnam & dimidiam, ſucci intybi cocti & deſpumati, & aceti ana lib. duas, ſacchari lib. octo. Conditur à quibuſdam caphura. Datur cum aqua frigida, vel melonum hyemalium.

*Delicatus eſt ac vtilis, ablata tamen caphura. Hi melones ſunt citri forma & colore, in hyemem ſeruari ſoliti.*

SYrupus alius acidus de pomis eadẽ promittẽs, recipit ſucci pomorũ acidorũ lib. vnã, ſucci acidi citri lib. dimidiã, iulepi boni lib. duas. Datur cũ aqua niuis. Si maceraueris ſericũ cocco baphica tinctum, ſuccis prædictis valentiùs corroborabit.

*Sericum quidam malunt auferre, & morbis biliosis æſtate feliciter vſurpant.*

SYrupus Saporis de pomis ad melancholiam, & maniam, cor etiam exhilarat, accipit ſucci pomorum redolentium lib. †tres, ſucci bugloſſi domeſtici & ſylueſtris ana lib. duas, folliculorum ſennæ vnc. quatuor, croci drach. duas, ſacchari albi lib. tres. Fit autẽ ſic: ſenna contrita, horis 24. ſuccis maceretur: ſemel deinde ferueſiat, aut bis coletur, expreſſum pòſt cum ſaccharo percoquatur in ſyrupum. Crocus autem panno lineo ligatus inter coquendum infricetur.

†Alij quatuor.

*Hic apud Meſuẽn eſt in praxi, capite de mania et melãcholia ſanguinea. Sapor verò hic rex fuit Perſarũ, cuius meminit Crinitus lib. 13. cap. 4. à quo, vel in cuius gratiã hic ſyrupus eſt cõpoſitus. Alius eſt apud Meſuen in cephalalgia melancholica valentior. etiã ad quartanas, & lienẽ obſtructum efficax, ex adianti albi, radicum & florum bugloſſi domeſtici & ſylueſtris, polypodij, epithymi ana vnc. vna, folliculorum ſennæ, fumariæ, chamæmeli, ſtœchados ana drach. ſeptem, chamædryos, ſchœnanti, ellebori nigri, ana drac. tribus, eupatorij drach. quatuor, ſucci pomorum dulciũ vnc. octo, coctis ſimul præter epithymum, & ſuccum in aquæ libris tribus ad libræ vnius conſumptionem, tunc adde epithymum, & parum coque, & cola: deinde ſuccum, & lib. duas ſacchari, & percoque.*

SYrupus acidus ex cydoniis, ſtomachum roborat, & naturã calore diſſolutam: ob id vomitum cohibet, ſitim tollit, fit ex ſucci clari cydoniorum acidorum partibus decem, aceti parte vna & dimidia, ſacch. partibus duabus.

*Raſis lib. 9. ad Almanſorem huic ſimilem habet ſyrupum ex cydonijs. Obſerua hîc pro ſucci quantitate immodica ſaccharum parcius.*

O SYrupus acidus de ſuccis fructuum, refrigerat: ob id ſitim ſedat, ardorem bilis, & febrium, & phlegmones, aut intemperaturæ calidæ, cordis, ventriculi, hepatis, extinguit: recipit ſucci granatorum acidodulcium & acidorum ana partes tres, coque igni lento ad tertiæ partis conſumptionem, biduo clareſcere permitte, eius partes duas cum iulepi partibus tribus, vel pluribus, vel paucioribus percoque.

O SYrupus acidus de ſuccis & aquis fructuum ventriculum præſertim calidum roborat, ob id vomitum etiam prægnantium, & fluorem albi bilioſum ſiſtit, recipit ſucci granatorum acidodulcium, cydoniorum, pomorum, pyrorum, meſpilorum tricoccorum, ſingulorum parem portionem aquæ, cui rhus & vua oxyacanthæ incoctæ ſint, partem vnam & dimidiam, ſacchari partes tres, coque in ſyrupum.

*Fuerint hi ſyrupi etiam ad condimenta aptiſſimi, quæ appetentiam excitent.*

O SYrupus acidus ex manna febri æſtuanti & cum ſyncope confert, ac ſiti inexpletæ, tuſſi ſiccæ, ventriculi & hepatis inflammationem ſedat, accipit mannæ vncias tres in ſucci intybi cocti & purgati lib. vna, macerandas in vaſe lapideo. Deinde ſimul ferueſiant, manibus fricentur, colentur, pòſt cum aquæ roſarum, ſucci granatorum acidodulcium ana lib. vna, ſucci vuarum agreſtium, ſucci citrorum ana lib. dimidia, ſacchari lib. tribus percoquitur.

* SYrupus portulacæ valentes refrigerat, ob id ſitim, febrium ardorem, vẽtriculi & hepatis intemperiem calidã corrigit, accipit ſeminum portulacæ tritorum lib. vnam, horis 24. macerandam in ſucci intybi cocti & purgati lib. †quatuor, poſtea igni lento coque ad dimidias, & tunc cum ſacchari lib. duabus percoque in ſyrupum: additur interdum aceti lib. vna, vel ſucci granatorum acidorum lib. vna & dimidia.

*†Alij ſex, vel etiam octo.*

Po

*Poteſt ſuccus intybi cum ſuccis alijs refrigerantibus coqui ad vſus eoſdem. Syrupus quoq; intybi à Gentile ſcriptus refrigerat, humectat, obſtructiones aperit, intemperiẽ calidam hepatis, renũ, emendat, bilis acrimoniã frangit, recipit ſucci intybi & lichenis herbæ ana lib. tres, roſarum, violarũ, lentis paluſtris, polytrichi ana vnc. dimidiã, adianti albi, hordei mũdati, ſeminum cõmuniũ frigidorũ ana vnc. vnã cum ſaccharo quantũ ſufficit: fac ſyrupum, aromatiza ſantalis albis & rubris, & vua oxiacanthes: cui ſi cinnamomum, lignum aloës, corticem citri aromatis gratia im- * mittas, cor magis roborat, ſed minus refrigerat. Eſt etiam in vſu ſyrupus cichorij compoſitus à Nicolao Florentino vreticus, ſplenicus, melancholiam vacuans, hepatis obſtructionem liberans: recipit autem intybi hortenſis & ſylueſtris, cichorij hortenſis et ſylueſtris ana manipulos duos, fumariæ, cucurbitæ, lichenis herbæ, lupi ſalictarij ana manipul. vnũ, hordei mundati, fructuum halicacabi. ana vnc. quatuor, glycyrrhizæ, trium adiantorum, aſplenij caſſuthi ana drach. ſex, radicis fœniculi, aſparagi, apij ana vnc. duas, coque in aqua, cola, percoque: addunt nõnulli lib. ſingulis rhabarbari panno raro ligati vnciã dimidiã, ſæpe inter coquendum exprimendã: aliũ compoſitiorẽ habet Gulielmus Placentinus: ſimplex verò, aut ſimplici proximus, & minimùm cõpoſitus ratione bona efficax probatur: mallemq; rhabarbari aut ſubſtantiã, aut expreſſionẽ ſyrupo ſimplicem miſcere vtendi tẽpore, quã parãdi, quòd minus pretioſam, & efficacem magis portionẽ reddat. Quòd ſi per hũc ſyrupum vis lienem aut hepar, aut renes purgare, præſtabit multò ſyrupum ſimplicẽ miſcere decocto ſimplicium ſplenicorum, vel hepaticorum, ve nephriticorum. Ex ſucco lactucæ, oxalidis, portulacæ, & aliarum ſimiliter refrigerãtium atq; bugloſſi vtriuſq; & reliquarum quoque herbarũ viri*

* Species quatuor ſeridis Dioſc. Nam quod Nicolao huic eſt taraxacon Serapioni eſt cichoriũ, ſeu ſeris ſylueſtris Dioſ.

*bus ſaltem inſignibus præditarum, poſſunt parari multò meliores, quàm qui vulgò ſunt in vſu.*

O SYrupus de cannis ad tuſsim, pleuritidem, ſitim, vtilis, recipit ſucci granatorum dulcium libras duas, aquæ malorum dulcium, & aquæ cannarum, ſacchari, aut penidiorum ana lib. vnam & dimidiam.

*Per aquas, ſuccos intellige. Mala verò dulcia noſtratia ſubſtituimus pro malis Meſuæ de Senitarum regione: alij mora, quibus fit diamoron, intelligunt.*

† *alij triginta.* † *alij ſeptē.* † *alij lib. duab.*

* SYrupus violatus pleuritidi & tuſsi à cauſa calida prodeſt, fit ex violarum vnc. duabus, ſeminum cydonij, & maluæ ana vnc. vna, zizypha, myxa ana † viginti, cum aquę cucurbitę lib. † ſex, coque ad tertiam partem, & cum ſacch. lib. † vna & dimidia fiat ſyrup.

*Ad pleuritidem & alios affectus bilioſos efficax initio, & augmento: refrigerat enim & humectat primo gradu, ob id tuſsim ſiccam iuuat, ſitim ſedat cum aquæ frigidæ quadrupla, ſomnum conciliat veſperè ſumptus vnc. duabus cum æquali aquæ portione, vel ſolus. Syrupus autem violatus abſolutè eſt, qui ex violarum infuſione prædictus eſt, hic verò dicitur ſyrup. violatus compoſitus.*

*Syr. capili vener.*

* SYrupus adiantinus ad thoracis affectus calidos, & viſcerum obſtructiones, recipit glycyrrhizæ vnc. duas, adianti albi vnc. quinque, tempera aquæ fontis lib. quatuor, horis vigintiquatuor, coque ad dimidias, expreſſum percoque cum ſacch. clarificati aquæ adianti albi ana vnc. octo.

† *alij cētum.* † *alij drac. 5.* † *alij ſex.*

SYrupus zizyphorum raucitati, tuſsi, pleuritidi confert: ſic ex zizyphis † ſexaginta, violarum, ſeminis maluæ ana † vnc. quinque, adianti albi, glycyrrhizæ hordei mundati ana vncia vna, ſem. cydoniorum, papaueris, melonis, lactucæ, tragacanthi, ana drachmis tribus: coque cum aquæ fontanæ lib. † quatuor, & ſacchari lib. duabus.

*Alij coquunt ad dimidias, colatum percoquunt in ſyrupo cum ſacch. libra vna potiùs, quàm libris duabus. Tuſsi ſiccæ & aſperitati arteriæ, omnibusq́; thoracis affectibus et fluxionibus calidis confert. Viribus affinis eſt violato, ſed eo*

mi

*minus refrigerat: Vlceribus veſicæ etiam vtilis eſt: minus in vſu eſt hic compoſitus, quàm ſimplex priùs ſcriptus. Malè hic legebatur Zizyphorum lib. x. quod libras decem interpretati ſunt, pro lx. hoc eſt, ſexaginta. Nam libris Zizyphorum decem, &c. capiendis, aquæ libræ quatuor non ſuffecerint. Id addo, vt intelligas vitia contingere plurima ex notis ponderum, & numerorum, quæ nos ob id integra, aut propè dimidia ſcribimus.*

SYrupus contra catarrhum calidum, coryzam, pleuritidem, tuſsim, recipit zizypha, & myxa ana centum, violarum, mannæ ana vnciam vnam, glycyrrhizæ, florum bugloſsi ana vnciam & dimidiam, ſem. maluæ, cydoniorum, ana drach. ſex, ſacchari libras duas, ſucci mali granati dulcis libram vnam: fiat ſyrupus.

*Coqui omnia debent in aqua, nodulo ex ſeminibus impoſito.*

SYrupus papaueris ad catharrum & tuſsim cauſam inſomniæ: fit præſertim ex capitum papaueris albi & nigri, ana drachmis ſexaginta coctis in libris quatuor aquæ pluuialis, ad conſumptionem librarum duarum & dimidiæ: tunc percoquantur cum ſacchari albi, & penidiorum ana vnciis quatuor.

*Galenus in diacodio hunc terminum decoctionis nō vult tam longum in recentibus præſertim capitibus, quia vim perdit: ſed donec ipſa capita coquendo tabeſcant. Poteſt fieri ex ſolo ſemine, ſed præſtat ex capitibus cum ſemine decoctis ipſum componere, quòd in capitibus vis refrigeratoria ſit inſignior, vt indicat opiū ex his præſertim nigris inciſis, emanans liquor maximè omnium narcoticus. Hic ſyr. ſimplex vſu frequētior, quàm ſequens, catharrhum calidū, tenuē, & acrē, in aſperā arteriam ſiſtit, quia frigiditate ſua cogit, & craſſum efficit humorē, ob id ad fluēdū ineptiorē. In quem vſum diacodion adhibet Gal. Caloris quoq; incendiū extinguit, ſomnum conciliat, ſitim ſedat, guttur lenit.*

*Tuſ*

*Tuſsim quoque ab eodem catarrho ſiccam finit, aut ſaltẽ mitigat, ſicca autẽ eſt, quòd nihil materiæ tenuioris, & efflationem tuſsis materiam eludentis expectoratur, & lentore ſuo gutturis aſperitatem lenit. Pro pluuiali aqua quidã malum fontanam, & coquunt ad cõſumptionem tantùm libræ vnius, vel vnius & dimidiæ in formã iulepi. Capita autẽ papaueris ſint recentiora, quia frigidiora ſunt, & diu minùs coqui deſiderant, quàm ſicca: ſomnum quoque conciliat, tum per ſe refrigerando & humectando ſumptus vncijs duabus hora ſomni, tum per accidens mitigata tuſsi vigilias excitante. Eadem vi ſitim extinguit, à calido & ſicco naſci ſolitam. Papaueris non nigri ſed rubri legunt nonnulli, quòd papauer rhœas eſt Dioſcoridi refrigerans, & omnibus ſuis partibus ſomnum concilians, ne putes cũ quibuſdam ipſum anemonem eſſe calidam herbam.*

O SYrupus papaueris ad tuſsim ſiccam, phthiſim, catarrhũ inſomniæ cauſam, recipit papaueris albi & rubri ana drach. †quinquaginta, adianti albi drach. quindecim, glycyrrhizæ, drach. quinq;, zizypha triginta, ſeminis lactucæ drach. quadraginta, ſeminis maluæ & cydoniorum ana drach. ſex: coque in libris quatuor, aquæ ad dimidij conſumptionẽ, colatum cum ſacchari & penidiorum ana vnc. octo in ſyrupum percoque.

† *Alij triginta: & in priore legũt: vide diacodium in eclegmatibus.*

*Alij papaueris nigri legunt, de quo nuper. Catarrhum calidum, acrem, tenuem, in pulmones ruentem prohibet, incraſſando, lenit aſperam arteriam, ſomnũ conciliat. Datur ad thoracis partium affectus cum aqua adiãtorum, vel bechij. Semina muccaginoſa panno lineo ligata, facultatẽ ſyrupo tradũt: muccaginem in linteo retinet, quæ ſyrupos minimum glutinoſos redderet. Rarus vſu eſt, frequentior ſimplex nuper dictus. Competũt etiã hi ſyrupi papaueris fluori alui & dyſenteriæ poſt totius purgationẽ, aut quia ſomnum conciliant, qui fluxiones ſiſtit, & coquit: aut quod intemperiem calidam ſiccã inteſtinorum à materiæ ferè bilio*

*lioſæ, aut melancholicæ affluxu emendat. Diacodiū & eclegma papauerinum in eclegmatibus dicenda, idē propè poſſunt. Huc adſcripturus eram ſyrupos alios thoracicos, ſed calidos, niſi ante compoſitos frigidos abſoluiſſe præſtitiſſet. De his igitur in fine ſyruporum agam, quibus continenter ſuccedent eclegmata remedia, maximè thoracica & pulmonica.*

SYrupus acetatus ſimplex materias calidas frigiditate, tenuitate verò craſſas & glutinoſas ad expulſionem apparat Galeno, etiam in partibus remotis, ad quas eſſentiæ ſuæ tenuitate alia quoq; medicamenta affectus in his contumaces victura conuehit: humorem tamen melancholico ſibi temperamento affinem iuuare non videtur: recipit aquæ fontis libras quatuor, cum ſacchari libris quinque, coquantur in vaſe lapideo, ad dimidias ſemper deſpumādo, carbonibus accenſis, aut flamma exigua, & ſine fumo, tunc adde aceti albi, clari libras duas. Si autem valentiſsimum vis, libras quatuor: ſi viribus mediocre, lib. tres: & percoque in ſyrupum: datur ab vnc. vna ad vnc. tres cum frigida.

*Affectibus bilioſis ſaluber, quia bilem tenuitate & caliditate furioſam frangit: craſſat, extinguit: humores autē craſſos tenuat, incidit, obſtructiones aperit, vrinas mouet ac ſudores. Quæ contraria poteſt, nimirum contrarÿs conſtans ſubſtantÿs etiam aceti ratione. Cùm autem acetū ſit frigidum ſiccū, viribus maximè, & humor melancholicus frigidus ſiccus, & melancholia extincto iam calore frigida ſicca Galeno dicatur, ob id humores & affectus melancholicos augere videtur acetum, præſertim in mulieribus, quia vterum lædit Hippocra. lib. 3. rat. vic. acu. & eius ratione ſyrupus acetatus tamen, quia hos humores & ſimiliter craſſos, lentos expulſioni apparat tenuando, incidendo, meatus aperiendo: ſaluber etiam eſt affectibus melancholicis, vt quartanæ libro primo ad Glauconem, & ſplenicis remedÿs ſumendis, & admouendis miſcetur in methodo medendi, & lib.*

& lib.9.c.ph.p.putredini etiam reſiſtit, vt acetum, ob id peſtilentibus febribus eſt ſaluberrimus cum aqua bugloßi. meliſſophylli, & alijs, partes principes roborantibus. Non abs re autē in vaſe lapideo, aut ſiliceo, aut terreo vitrato coquit. Nam acetum à vaſe æneo, æruginoſum aliquid cōtrahit, & corrodens. Quòd autem Galeno autore hanc ei ſyrupo vim tribuit, rerum affinitate fecit. Id enim Galenus oxymeliti tribuit, à quo hic ſyrupus nullo differt, niſi quòd mellis loco, ſaccharum mellis ſpeciem accipit, & quod craſſius coquendo efficitur, quàm Galeni oxymeli, ad diuturnā custodiam. Poteſt tamen hic ſyrupus vt Galeni oxymeli parum coqui, æſtate præſertim, & fiet liquidißimus, clariſſimus, iucūdißimus in hos omnes affectus, vt quotidie experimur, potiùs, quàm tantam craßitiem ex multa coctione natam aqua vel dulci, vel deſtillata diſſoluentes, præſertim quibus affectibus mel timetur. Acetum autem album tenuius & potentius alio eſt.

Syrupus acetatus cōpoſitus.
Radicē intybi omittūt quidam.
† Expreſſum vbi eſt.

* SYrupus acetatus cum radicibus bilem craſſam & auulſu difficilem, ac pituitam incîdit, terget, obſtructa hepatis, lienis, renum, aperit: recipit radicum apij, fœniculi, intybi ana vnc. tres, ſeminum apij, fœniculi, aniſi, ana vnc. vnam, ſeminis intybi vnc. dimidiam: hæc omnia igne lento coquantur ad dimidias in aquæ fontanæ libris decem; †tunc additis ſacchari lib. tribus clarificetur, deinde acetum additur, quantumlibet pro ſcopis, vt dixi nuper, variis.

Nam ſi imbecillum vis, aceti libras quinq; addus: ſi valentißimum, decem: ſi medium, libras ſeptem, & dimidiā. Sed hic aceti modus atque adeò primus, in hoc ſyrupo, & in præcedente nobis eſt moleſtus, præſertim quibus frigidus eſt ventriculus, quem vt cæteras partes neruoſas acetū lædit. Ob id etiam Galenus mel duplum acetum miſcet, & melli duplam aquam, Meſues quoque aquam propè duplam ſaccharo vbique miſcet. Quinetiam ſæpe ſine aceto hic ſy-

*rupus fit, & tunc de duabus radicibus ſine aceto dicitur, quia ex radicibus quinque vreticis, apij, fœniculi, petroſelini, ruſci, aſparagi, duas tantùm recipit. Febribus pituitoſis quàm bilioſis aptior eſt, quia modicè calet, & ijs incipientibus vt Bizantinus paulò valentior procedentibus.*

SYrupus Bizantinus ad icterum, & febres putridas, bilioſas, & phlegmaticas ſolutu contumaces, recipit ſucci intybi & apij ana lib. duas, ſucci lupuli & bugloſsi hortenſis vel ſylueſtris ana libram vnam, ferueſiant ſemel, & purgentur eius ſucci clarificati lib. quatuor, igni lento coque in ſyrupum, cũ ſacchari lib. duabus & dimidia. Interdũ acetum menſura ſuccorum purorum dimidia incoquitur, interdum roſarum vnciæ duæ, glycyrrhizæ vnc. dimidia, ſpicæ nardi drach. duæ, ſemi. aniſi, fœniculi, apij, ana drach. tres ſuccis incoquuntur, & vi mirus euadit. *

*Coquendo deſpumentur & clarificentur, & colentur ſucci. Si hunc vis obſtructa potentiùs aperire, adde acetum album, apium, petroſelinum, fœniculum, & alia vel ſplenica, vel hepatica, vel nephritica, aut ei iunge, vtendi tempore ſyrupum de radicibus vel duabus, vel quinque.*

SYrupus de quinque radicibus ad eadem efficacior, proximus viribus ſyrupo Bizantino, incerti eſt autoris, accipit radicum apij, fœniculi, petroſelini, aſparagi, ruſci ana vncias duas, coque in lib. ſex aquæ fontis ad tertiæ partis conſumptionem, expreſſum percoquitur cum ſacchari lib. tribus, addendo ad finẽ aceti vnc. octo. Alij addunt decocto ſeminis apij, fœniculi, petroſelini, ana vnc. vnam, & in libras decem aquæ coquunt ad dimidias. Expreſſum percoquunt cum mellis potiùs quàm ſacchari libris quatuor. *

SYrupus acetatus de ſuccis herbarum, recipit ſuccorum ſyrupi Bizantini partes tres, ſacchari partes duas, aceti partem vnam. O

SYrupus acetatus diarrhodon ad febres complexas, & eas, quæ formam corporis corrumpunt, obſtructiones hepatis O

patis & lienis idem aperit, recipit ſucci intybi, apij, ana libras duas & dimidiam, radicum apij, fœniculi, intybi ana vnc. duas, roſarum vnc. vnam, glycyrrhizæ vnc. dimidiam, ſpicæ nardi drach. duas & ſemis, ſem. apij, fœniculi, aniſi, ana drach. ſeptẽ, cum aquæ lib. ſex coque ad duarum partium conſumptionẽ, deinde cum lib. duabus aceti, & lib. tribus ſaccha. fiat ſyrupus. Datur ab vnc. vna ad vnc. tres.

*Affinis eſt ByZantino viribus, niſi quòd paulò eſt eo calidior, qui ſequitur autem, multò efficacior & calidior.*

SYrupus acetatus de ſuccis herbarum cum aromatibus, obſtructiones aperit, ob id febres putridas, & implexas, & morbos alios obſtructioni ſuccedentes curat: recipit ſuccorum apij, fœniculi, intybi, lupuli, coctorum & purgatorum ana lib. duas, ſucci bugloſſi, lib. duas & dimidiam, roſarum vnc. vnam, ſpicæ nardi drachmas tres, glycyrrhizæ vnc. vnam, ſeminum apij, fœniculi, aniſi, rhabarbari, eupatorij, abſinthij, caſſuthæ, ana drach. quinque, ſacchari lib. duas & dimidiam, aceti libras duas: condiatur galliæ aromaticæ drach. duabus.

SYrupus acetatus, cholagogus, & refrigeratorius, recipit pruna paſſa, myxa, ana centum, tamar Indorũ librã dimidiam, myrobalanarum citrearum vnc. quatuor, ſucci roſarum recentium vnc. tres, mannæ, caſsiæ, ana vnc. tres & ſemiſſem, ſacchari libras quatuor. Fac ſyrupum, pòſt adde aceti libras duas, ſucci granatorum acidorum libram vnam & dimidiam, percoque igni lento cum ſcammonij drachmis ſex, panno tenui illigatis, & ſæpe confricatis.

*Huius imitatione ſyrupus vnius humoris vel plurium, vel omnium purgatorios ad præcautionem, vel curationem morborum, præſertim longorum, deſcribunt medici, potiones multò iucundiores ægris, quàm ipſa purgantia medicamenta, vel ſaccharata, vel liquore aliquo ſoluta: vt ad pituitam purgandam, ex radicibus fœniculi, apij, petroſelini, polypod. ſemi, aniſi, anethi, fœnic. ameos, cnici, hyſſopo, calaminthe, pulegio, & ſimilibus, cũ agarico, turbith, & ſimilibus: ad melancholiam, ex radicibus capparis, tamaricis, polypodij, lapathi, aſpleno, phillitide, adiantis, bugloßis, lupo, fu*

*po, fumaria, floribus cordialibus, epithymo, ſenna folliculis, & ſero lactis, præſertim caprini.*

HActenus ſyrupos compoſitos refrigerantes docuimus, nunc ad calfacientes morbis frigidis ſalubres tranſeamus: oxymelitis genera primùm dicturi, ſi priùs de aqua mulſa, & vino mulſo egerimus.

*Morbi frigidi ſunt pituitoſi & melancholici, præſertim à pituita inſipida, vitrea acida, & humore melancholico. Nam pituita ſalſa ex putredine aut bile miſta iam calida eſt: vt melancholia ex putrefactione, vel vſtione ſanguinis, vel humoris melãcholici, vel bilis flauæ genita, quamuis actu frigida videtur vt calx, fæx vini, vſta tamen poteſtate calida eſt: ac vbi actu per nouam putredinem, vel cauſam aliam calida euaſit, eſt ardentiſſima, & calcis, ac facis vſtæ in morem vrit, & cancrũ facit ſæpe vlceratum.*

AQua mulſa magnarum eſt virium ex maiorum noſtrorum ſententia, ſiquidẽ ſitim ſedat, affectus frigidos, præſertim cerebri & neruorũ, & iuncturarum, iuuat: loco vini potum tuſsim humidam, puris & pituitæ craſſæ & lentæ expectorationem promouet, lauat, terget, purgat inteſtina, viſcera, meatus vrinarios: ob id colicis prodeſt, & aluum ſubducit, calculum in viis vrinæ gigni prohibet. Fit ex mellis boni (quod colore ſit pallido, odore iucundo, ſapore modicè acri, & dulci conſiſtentia craſsi & tenuis, media, non vetus) libra vna aquæ fontanæ dulcis & claræ lib. octo in vaſe lapideo, vel vitrato igni lento coctis, & continenter deſpumatis: deinde panno dẽſo colatis. Quod ſi mox per ſe bibendum eſt, aquoſius fiat: larga enim coctione craſſatum, vt iulepus diu quidem ſeruatur, ſed in partes remotas ægrè penetrat, in bilemq́; ob multã dulcedinẽ facilè vertitur, & ob id ſitim auget, niſi largiore aqua miſta diſſoluatur, vt inſipidum, aquæ modo, videatur. Alias quoq; facultates coctio varia ei acquirit, quia parum coctum inflat, magis aluum ſubducit, minus nutrit: largiùs verò coctum, inflationem diſsipat, magis nutrit, minus deiicit. Addũt nonnulli aromata, zingiber, crocum, cinnamomum, macis, & ſimilia: alij galliam moſchatam, lignũ aloës, & ſimilia. Fit etiã ex mellis parte vna, aquæ fontanæ partibus octo, fermenti in

*Aqua Paulo etiã octupla. Dioſ. & Auic. tãtùm dupla.*

*Coquẽdo ad partis quartæ aut quintæ conſumptionem.*

his diſſoluti vnciis tribus, in ſingulas libras aquæ mellitæ, quæ vaſi ligneo trade, relicto trium digitorũ ſpatio vacuo, in quod dum muſti modo feruebit, recipiatur: vbi feruere deſierit, obturato vaſe modo vini doliorum, tertio pòſt menſe ſit potabile. Immitti poſſunt aromata panno lineo ligata.

*Μελίκρατον recens ὑδρόμελι ſepoſitum, vt ſeruetur, Dioſcoridi dicitur: alijs cõfunditur pro aqua mulſa, ſeu mellita.*

*Melicratum malè pro οἰνόμελι Meſuæ interpreti dicebatur. Has vires hydromelitis ex Hippocratis & Galeni libris probare, quia eſt cuiuis procliue, ſi vel lib. præcipuè tertium rationis victus acutorum, aph. 41. lib. 5. li. ſan. tuend. & methodi medendi legerit, ob id ſciens omitto. Addam tantum, inflationes, & tormina maximè excitare, quando in aqua tãtum calfacta mel diſſolutum eſt: qualem mulſam crudam Serapio vult dari dormituræ mulieri, quam concepiſſe ſuſpicamur, niſi eius potui ſit aſſueta. In arthritide calida, pro mulſa, aqua ſaccharata eſt præſtãtior. Quòd ſi vel à mulſa, vel ſaccharata aqua poſt vſum ſeptem dierum aut vires nimis collabantur, aut ventriculus malè coquat, ad vinum eſt redeundum, vel potiùs vinum mellis tranſeundum. Secundum hydromelitis genus eſt infinitis partibus valẽtius & generoſius, & item quod vinum mellis vocat Plinius. Vtrunque enim colore, & calore, & ſaporis gratia vinum exoticum, quòd Baſtardum vocant: mentitur: eſtq́; efficaciſſimum in affectibus cerebri, & partium neruoſarũ frigidis, paralyſi, apoplexia, epilepſia, lethargo, colicis item, & nephriticis, & ventris inferioris intemperie frigida: ſeruaturq́; vtrunque, & valentius euadit tempore & loco calido. Vires eius miraberis, ſi parũ antè coxeris, & deſpumaueris: deinde dies quadraginta, aut circiter, extra pluuiã ſoli verno expoſueris. Expoſui etiã æſtiuo, & autũnali, nec infeliciter, niſi quòd ſemel in acetum longè omniũ acerrimum abijt, quod ſolem nõ habuerat liberũ, nec poſt ferue-*

Aphor. 41. lib. 5.

Li. 14. c. 17.

*factio*

*factionem & inſolationẽ fuerat operculatũ. Fermentum nõ miſceo, vt nec Plinius: id tamen accelerare feruorẽ, & augere acrimoniam certum eſt: quanta verò menſura ſit miſcendũ, ex Meſuæ corruptis codicibus difficile eſt coniectare: hi enim vnc. tres in libras centum aquæ, & mellis expetunt: alij in ſingulas libras aquæ, & mellis ſimul miſtorũ vncias tres fermenti miſcent: alij ad mellis lib. vnam, aquæ lib. octo, fermenti vnc. vnam Melicratũ Hippocrati eſt noxium bilioſis, & quibus magna ſunt viſcera, Gale. etiam febribus colliquantibus: aquoſius vrinas & ſputa magis promouet, minùs aquoſum aluum magis ſubducit.*

OΙνομέλι vinum mulſum, intemperiem frigidam ventriculi, hepatis ſanat: flatus in eis & hypochondriis diſsipat: oris odorem, cutis colorem commendat: fit ex vini antiqui boni lib. decem, mellis boni & deſpumati libr. duabus, addendo cinnamomi tenuis drach. quinque, ſpicæ nardi drac. vnam, caryophyll. zingiberis, ligni aloës, macis, ana ſemunciam, cardamomi † drachm. duas, croci drach. vnam, & ſemiſſ. tere negligenter, cola panno raro, aromatiza moſchi drach. tribus. † *Alij drac. tres.*

*Oenomeli Gal. podagricis, arthriticis, nephriticis, & ſenibus, ex melle, & vino Sabino, aut ſimili, & petroſelino componit, adiecta bethonica, & ſaxiphago in nephriticis. Qui verò curioſiùs componunt, etiam ſpicæ nardi aliquid inijciunt: hodie verò eidem magnam aromatum miſcellam immittunt. Olim fuit vſu celebre ad cerebri, neruorum, & aliarum partium affectus frigidos, ſed id medicamẽtoſius, quale hîc ſcribitur: nunc magno harum frigidarum regionem incommodo in vſu eſſe deſijt, præterquàm quòd circa natalem Chriſtianum in Bacchanalibus vulgi regalibus, plebecula ad palati gratiam, non ad intemperaturæ frigidæ propulſionem, etiam largiùs bibit, & claretum vocat: magnates verò pretioſius, οἰνόσακχαρ, parciore tamen menſura, quod ferè ex ſacch. vnc. quatuor, & cinnamomi vnc.*

*Lib. 5. ſa. tu.* Oenomeli *ſimplex.*

*dimid.in lib. vini ſingulas conficitur, & Hippocraticū vinum appellant, tanquam Hippocrate inuentore dignum, ob virium & ſaporis excellentiam, cui etiam mellis parū addunt quidam, præſertim ſi vinū auſterius, ad ſaporis gratiā, & coloris: clarius enim euadit colatū. Vinum mulſum*

Dioſc.

*Dioſ. fit ex vini veteris auſteriq; metretis duabus, & mellis boni metreta vna, alijsq; duobus modis parat, ſemper tamen ſine aromatibus. Vinum verò melitites, ex muſti auſteri congijs quinq;, mellis cōgio vno, ſalis cyatho vno: vinū autē aromatites Dioſ. longè diuerſum eſt ab hoc Meſuæ mulſo aromatite, præſertim primū: nā ſecundū quadātenus conuenit. Aliæ ſunt eidē, & Actuar. variæ vinorū conditurę, vt abſinthites, ſaluiatū, pycatū &c. Ex quibus vinū abſinthites ad atrophiam ex ventriculi imbecillitate efficaciſſimū etiam Imperatorū experientia docet Gal. lib. de Theriace ad Piſonem.*

*Oxymeli ſimplex Galeni ſeu acetū mulſum.*

OXymeli fit ex aqua, aceto melle: aqua verò miſcetur, vt longa coctione cauſa inflationis in oxymelite reſoluatur, vt etiam prōptiùs deſpumetur, vt deniq; medicamēti huius facultas ob aquoſam ſubſtantiam in corpus diſtribuatur: mel verò additur ad oppugnandam pituitā. Ex melle autē & aceto miſtis facultas quædā tertia horū neutri tāta conſurgit, certiſsima, & efficaciſsima ad tenuādū, incidendū, reſoluendū

Lib. 8. *meth.*

humorē craſſum, lentū, vētriculi, hepatis: præſertim verò iuncturarū, & in febribus diuturnis, quarū materiam incîdit, & coquit, fit ex aceti parte vna, mellis partibus duabus, aquę partibus quatuor. Neceſſe tamen eſt, interdum augere acetū, vt in ſyrupo acetoſo diximus. Primū autē mel & aqua ſimul coquūtur, vbi deſpumata probè ſunt, addito aceto percoquūtur, ſemper quoq; deſpumādo. Datur ab vncia vna ad vnc. tres.

*Oxymeli ſimplex Galeni.*

*Iam quæ ex aceto (in quod vinum corruptione degenerat) fiūt cōpoſitiones, dicamus. Oxymeli Græcis, nobis acetū mulſum, craſſa in ventriculo & venis tenuat, lenta incîdit, ac ſtrenuè terget, obſtructa liberat, ſine manifeſto calore: ob id nec febres accendit: ſputū euocat, ſitim ſedat, aliaq;*

per

*permulta efficit Hippoc.lib.3.rat.vict.acut.morb. Si tamen immodicè vtare, inteſtina rodit, neruoſa lædit, tuſsim excitat, etiam in ſynochis tutò datur lib.11.meth. Sic Galeno componitur lib.4.ſan.tuen. Aceti albi acerrimi libr. vna, mellis optimi lib. duæ, aquæ fontis lib. quatuor, coquuntur ſimul ad tertiam, vel etiam ad quartam, ſpuma interim detracta, quam ſi multam mel egerat, malũ eſt, & ob id diutiùs coquendum. Optimum verò vel minimum ſpumæ euomit, & breuiſsimo tempore coquitur, & plurimùm quartam partem eius, quod fuerat initio, amittit. Si vis oxymeli valentius, miſce tantum aceti, quantum mellis, aquæ duplo, quale eſt oxymeli Pauli lib.7. Idem Meſues imitatus eſt in ſyrupo acetoſo ſimplici, quem facit mitiorẽ aceti partibus tantùm duabus miſtis: valentẽ verò miſtis quatuor: mediocrem deniq; tribus. Sed cùm vna omnibus menſura non placeat, quia hi acetoſius, illi mellitius magis ament, pro cuiusq; palato miſceatur. Aut ſi vnicum vis, para imbecillius: cui medicus acetum addere vtẽdi tempore, ſi opus erit, poterit. Si diutius vis ſeruare, coq; perfectius, donec aceti & mellis qualitates planè fuerint vnitæ, nec acetũ adhuc crudum guſtanti appareat. In ſyrupi conſiſtentiam cũ Meſue coquunt ea ratione noſtri pharmacopolæ, cum liquore aliquo diſſoluendum, vt potabile fiat. Quod autem cum Galeno quadrifariã coquitur ad tertiam, vel etiam quartam partem, parum diu, vt dies octo, vel circiter, æſtate præſertim, etiam ſi loco frigido condatur, ſeruatur integrum. Nam corruptione abit in acetum acerrimum, quod hydromeliti quoque calido aëre accidit, tamen longè eſt omnibus medicis potionibus idem iucundius, vt id etiam vino ægri plerique præferant, præſertim ſi paulò eſt aquoſius, quale æſtate & in febribus coquere ſoleo, aut aqua cocto miſta parare. Ferè autem aquæ pintis ſex mel-*

*lis libras duas igni lento deſpumo, ut ſit clarius, pòſt aceti quartaria tria incoquo, cætera, ut mox audies, perſequor. Quia autem mel noſtrum improbius eſt cinnamomo vulgari, pauco odoris, & ſaporis gratiam augemus immiſcendo, dum colatur, in lib. ſingulas ad drach. duas, & albuminibus ouorum ſordem eius omnem cogimus, quam panno laneo, dum parumper refrixit, colantes ſecernimus, ut iam ſit quàm puriſsimum, & vino albo ſimillimum, ubi mel album, & acetum album accepit: aut flauo, ſi mel flauum, & acetum vulgare recipit. Oxymeli aliter coquit Dioſcor. & poſt eum Plinius. Oxymeliti ut hydromeliti incoquere potes quæ eius actionem intendunt, tenuantia, incidentia, tergentia, ut hyſſopum, thymum, ſatureiam, origanum, pulegium, calaminthem, & quæ ipſius vim ad partem affectam deducunt, ut aſplenium, tamaricem, in obſtructione lienis, eupatorium, cichorium, obſtructo hepate. Vnde Paulo eſt oxymeli ſplenicum, & oxymeli calculoſis efficax. Quinetiam purgantia eidem incocta clementiùs et efficaciùs vacuant, ut cnicus, agaricus, pituitam, epithymus, polypodium, chamædrys, chamæpytis, elleborus niger: melancholiam, rhabarbarum, ſcammonium, bilem flauam cortex rad. ſambuci, colocinthis, aquas: ut id vnũ pro omnibus propè tũ iulepis, tum ſyrupis eſſe poſsit, ſi quis cognouerit vti. Vnde & Meſuæ eſt oxymeli cholagogũ, phlegmagogũ duplex & melancholiam vacuãs. Id oxymeli qua ratione ſit coquẽdũ, libro 4. ſan. tuend. ut dixi, docetur, quas vires habeat, ibidem & locis alijs permultis præſertim libro 3. rat. vict. acut. Vt verò mulſa multum cocta eſt calidior, magis incîdens, tenuans, tergẽs, quia mel retinet largius, aqua in vaporem magna parte ſoluta: ſic oxymeli, quod pharmacopolæ ad conſiſtentiam ſyruporum coquunt, ut ſeruari poſsit, eſt potentius quàm aquoſius, & miniùs coctum: ſed*

Gal. apher. 24. lib. 1. & lib. 13. meth. ad finẽ ut id vnũ ſit typus quidam ſyruporum.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0218-7
DFG

*hoc eſt gratius, & citius ob fluxilem conſiſtentiam penetrat, quam vim aceti tenuitas non minus, quàm aquæ fluxilis ſubſtantia iuuat, vt libro 1. ſimpl. Aquam verò, vt cætera humida iuuare diſtributionem docet Hipp. aph. 11. lib. 2. & Gal. initio libro 4. vſus part. Illud autem vix potabile, niſi aqua vel cruda, vel alia diluatur.*

*Oxymeli diureticum.*

OXymeli de radicibus, incîdit, tenuat, terget, ob id oſtructiones ventriculi, hepatis, lienis aperit febres diuturnas à bile craſſa aut pituita iuuat, vrinam mouet: fit ex corticum mundatorum & inciſorum, radicis apij, fœniculi, ana vnc. duabus, ſem. apij, fœniculi, aniſi, ana vnc. vna, macerentur omnia vigintiquatuor horis in vaſe lapideo, aceti lib. decem, aquę lib. viginti, coque ad tertiæ partis conſumptionem, colato adde mellis dimidium, igni lento percoque.

*Acetum ſit albũ & antiquum.*

*Vſu frequens procedentibus morbis: nam ineuntibus tutius eſt oxymeli ſimplex, hodie verò frequentius fit, hoc modo. Corticum rad. apij, fœniculi, petroſelini, ruſci, aſparagi, ana vnc. duæ, ſem. apij, & fœniculi ana vnc. vna, aquæ libris duodecim, & aceti lib. vna macerantur, & ad dimidias coquuntur, expreſſum pòſt cum mellis quantitate idonea percoquitur: alij loco ſeminum, radicis raphani vnc. vnam & dimidiam miſcent, alij vtrunque, alij neutrum pro ſcopis varijs, alij quoque ſine aceto parant, & vocant ſyrup. de quinque radicibus ſine aceto, ſunt qui ſaccharum mellis loco miſcent, vt minus caleat, & ſit iucundius. Non modò ad affectus ex bile craſſa, & pituita etiam craſſa & lenta natos valet, ſed etiam ad melancholicos, vt febres quartanas, præſertim in declinatione. Valentius eſt quàm oxymeli de duabus radicibus, & quàm ſyrupus Byzantinus: etiam ſudores mouet, ſi calidum bibatur, & corpus bene tegatur, præſertim cocta iam materia.*

*Oxymel cõpoſitũ quinque rad.*

OXymeli phlegmagogum fiet id prædictum, ſi inter coquendum medulla ſem. cnici panno lineo raro ligata mergatur, & identidem confricetur. Potentiùs vacuabit ſi etiã



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0219-6 DFG

turbith cum zingiberis nodulo prædicto addatur.

*Alios humores vacuare poterit incoctis ſimiliter ſimplicibus, quæ peculiariter illos humores trahunt. Poteſt verò poni in prædictam quantitatem Meſuæ, cnici medullæ lib. vna & turbith vnciæ tres.*

OXymeli vacuãs melancholiam recipit thymi, calaminthes, agarici, bugloſsi hortenſis & errhatici, glycyrrizæ, ana vnc. vnam, polypodij vnc. tres, chamædrios, chamępytios, ſtœchados, ſpinæ albæ ana drach. quinque, vuarum paſſarum purgatarum lib. dimidiam, macera vigintiquatuor horis, aceti albi, ſucci bugloſsi ana lib. duabus, & dimidia, aquæ lib. duabus, coq; igni lento ad dimidias, cola, cum mellis lib. tribus percoque: inter coquendum autem epithymi vnc. vna, ellebori nigri aurei tres, nodulo ligata, merſaq; ſæpe confricentur.

*Humorem melancholicum & melancholiam expulſioni apparat, & vacuat, in affectibus melancholicis mitiſsimum & ſaluberrimum. Quod verò ellebori vnc. duas reciperet, cum Manardo eſſet vehementius.*

OXymeli ex liguſtico ad pituitam craſſam, lentam, putrem, obſtructiones hepatis & ſplenis aperiendas, vrinam mouendam, recipit radicum apij, fœniculi, petroſelini, calaminthes, dauci, ana vnc. vnam: zingiberis, ſem. liguſtici, apij, fœniculi, aniſi, cari, eupatorij, aſari, abſinthij, ana vnc. ſemiſ. caryophyll. galangæ, ana drach. tres, ſpicæ nardi drach. duas: coque in aceti libris decem ad dimidias, & cum mellis lib. quinque percoque.

OXymeli ex calaminthe calfacit, incidit, terget humores craſſos, lentos, putres, ob id intemperiem frigidam ventriculi & hepatis corrigit, ſcirrhum, lienis, & aliorum viſcerum diſsipat, febres diuturnas iuuat. Recipit rad. apij, fœniculi, intybi, ana vnc. vnã, ſchœnu anthûs drach. duas, ſem. apij, fœniculi, aniſi, ana drach. ſex, calaminthes montanæ & domeſticæ, ſpicæ, aſari, caſiæ, maſtiches, dauci, petroſelini, ana vnciã dimidiam: caryophyllorum, liguſtici, zingiberis, galangę, ana drac. duas: coque in aceti lib. octo, & aquæ lib. ſex, ad duarum partium conſumptionem: adde mellis deſpumati libras quinque. Datur ab vncia vna ad duas.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0220-7
DFG

ACetum ſcillinum veterum conſenſu & experientia eſt efficaciſsimũ ad cerebri affectus frigidos & curatu cõtumaces epilepſiã, vertiginẽ, gingiuas laxas & putres ſanat, dẽtes cõfirmat, oris odorẽ cõmendat, fœtore eius valẽter diſsipato: partes reſpiratorias iuuat & expurgat, & muſculos laringis roborat, ob hæc vocem clarã efficit. Ventriculum putridis humoribus deterſis expurgat, appetentiã excitat, coctionẽ iuuat, hepar, & lienem quoq; expurgat, horumq́; dolorem leuat. Inteſtinorum, & veſicæ retentricẽ vim firmat, præfocationi ab vtero, affectibus iũcturarũ prodeſt: humores enim craſſos tenuat, lentos incidit, & fluxiles ad expellendumque promptos reddit, & expellit, interdum etiam bilem atram: corpus laxum & molle firmat, in iuuentute conſeruat, à putredine vindicat, coloratum bene efficit, ſed vſu multo emaciat: ſic autem fit, ſcillæ laminas inter corticem & cor medias, acu lignea filo conſutas tanto interuallo, ne ſe contingant, ſiccabis in vmbra dies quadraginta, poſteà conciſam cultello ligneo lib. vnã dies alios xl. inſolabis in aceti boni lib. octo in vaſe vitrato, ſtricti orificij, bene obſtructo: poſteà colabis & vteris: ſi verò accelerare cogeris, ſepeli vas in calido cinere, vel ſabulo, non repentè, ſed paulatim, vt horarũ ſpatio intercedente. Paulus verò, ſcillæ laminas recẽtes in aceto inſolat à Veris initio, ad æſtatis finẽ, in vaſe vitreo probè obturato, & poſteà vtitur. Datur ieiunis quotidie paulatim, donec ad ſeſcunciam perueniatur.

*Acetum ſcillites veteribus frequens vſu, hodie rarum per ſe, ob amaritudinem & acrimoniam mordacem: idq́; multi cum melle: & fit oxymeli ſcillitum alij cum ſaccharo in ſyrupi formam percoquunt. Id acetum incîdit, tenuat, terget humores craſſos, lentos, putres quales pituitoſi & melancholici in omnibus corporis partibus, ob id affectibus ab eorum copia excitatis, & diuturnis conducit, epileſiæ, vertigini: auditui obtuſo, aſthmaticæ, raucitati, familiaribus ſenectuti vitijs: & cæteris ob hæc à morbis præcauet, & ſanitatem tuetur, ſi per ſe ſumatur: melius autem cum melle in ſyrup. Datur a drach. vna ad drachm. octo manè cum aquis aut decoctis aptis: in affectibus autem thoracis paulatim lambatur. Si tamen æſtas*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0221-3

*eſt, aut febris hectica, vel alia adeſt: abſtine huius vſu ob ſcillæ caliditatem: aqua ex aceto ſcillitico deſtillata eſt gratior, & efficacior. Vomitu etiam valenter purgat humores in ventriculo craſſos, lentos, putres, datum ad ſeſcunciam cum mellis aut ſacchari rubri vncijs tribus, aquæ hordei cyathis tribus. Acetum autem ſcilliticum Dioſcoridi & Paulo ſic fit, ſcillæ candidæ purgatæ concîſa ſegmenta lino traiecta modicis interuallis, ne ſe contingant, in vmbra dies quadraginta ſiccantur, iterum purgantur: horum mina mergitur aceti boni ſextarijs duodecim, ſic, vt vas folia non tangat: deinde vaſe operculato probè inſolatur diebus *ſexaginta, poſt quos exempta, expreſſaq́; ſcilla abijcitur, & defæcatum acetum transfunditur, ac reponitur: veteratum valentius euadit: alias eius compoſitiones tibi recenſet Dioſcorides, hæc conſuetior. Cultro ligneo partes inter centrum & ſuperficiem medias ſeparant: acu etiam lignea conſuunt quidam, ne ferrum tangat, quo venenari opinantur. Partes autem medias etiam Dioſcor. lib. 4. præferre videtur. Eodem prope modo hodie nobis fiunt ex floribus ſiccatis roſarum, ſaluiæ, ſambuci, roriſmarini, acetum roſatum, ſaluiatum, ſambucatum, roſmarinatum, vulgò anthozatum dictum, & præter hæc, vuatum, ex vuis paſſis.*

**Septem Dioſco.*

* OXymeli ſcilliticum humores craſſos, lentos auulſu cõtumaces ſeparat, ob id confert ventriculi & aliorum viſcerum affectibus hos humores ſequentibus, ructum acidum ſanat, & veſicæ mollificationem, ſeu vrinæ incõtinentiam fit ex aceti ſcillitici libris duabus, mellis deſpumati libris tribus coctis deſpumando, vt in oxymelite diximus.

**Coquitur in ſyrupum vt oxymeli.*

*Efficacius eſt aceto ſcillitico & iucundius ad cerebri, pulmonis, vẽtriculi, affectus pituitoſos, aut melancholicos, etiã contumaces: nam humores hos dictis partibus etiam impactos educit. Compoſitum id quidam faciunt additis ſimplicibus*

cibus

*tibus compoſiti oxymelitis:aliter Paulus libro ſeptimo compoſitius facit & efficacius:ſunt qui huic aquæ libras quatuor addendas putent,quæ aceti ſit dupla, vt in oxymelite ſimplici,ſed cum mel iam ſit deſpumatum, & acetum ſcillites paratum. Potes cum Meſuæ ſine aqua coquere, vt Nicolaus etiam oxymeli compoſitum coxit.*

Oxymeli ſcilliticum de radicibus,fit vt oxymeli cõpoſitũ de radicib.ſed pro aceto cõmuni accipit acetũ ſcilliticũ.

*Id potentiùs multò incîdit,tenuat,terget,obſtructa aperit,in diuturnis quartanis, & quotidianis, quàm oxymel compoſitum de radicibus.*

Oxymeli ſcilliticum Democriti epilepſiam,vertiginẽ,cephalalgiam,hemicraniam,cerebri,& pulmonis obſtructionem ab humoribus valenter impactis ſanat. Recipit origani,hyſſopi ſicci,thymi,liguſtici,cardamomi,ſtœchados ana drach.quinq;:coq; in libris tribus aquæ ad librarum duarum conſumptionem, percoque cum mellis libris duabus, mellis vuarum paſſarum libra dimidia,ſucci bryoniæ vnciis quinq;, aceti ſcillitici libra vna & dimidia,ſemper deſpumando.

*Eſſet efficaciſsimum ad eos affectus quibus eſt deſtinatum,ſi quis ipſum coqueret. Oxymel Iuliani laudatum Galeno libro ſecundo ad Glauconem in podagra, Paulo libro tertio cap.13. Tralliano in cephalalgia deſcribit Paulus lib. ſeptimo principio medicamentorum compoſitorum purgantium:id eſt parari digniſsimum. Oxyrhodinon propriè eſt mistum aceto roſaceum oleum,Gale.cap.octauo,lib.tertio ſimplicium: hodie etiam aquam roſarum miſcent varia ſingulorum menſura, Arculanus. Quoniam mellis & ſacchari vires ſunt finitimæ, vt docet Galenus libro ſeptimo ſimplicium, tamen veteribus conſuetiſsimum erat mel, inuſitatum ſaccharum, contrà, quàm Arabibus & neotericis: ob id Arabes Græcorum velut ſimiæ ex ſaccharo permulta repræſentarunt, quæ Græci ex melle pararunt: hinc.*

Et lib. 13. met.

Oxy

*Syrupus acetoſus Meſuæ.*

* OXyſaccharum ſimplex ex aceti libris duabus, aquæ libris quatuor, ſacchari libris quinq;, ſemper deſpumando igni lento percoctis: valentius fit adiecta aceti libra vna, valentiſsimum libris duabus adiectis.

*Nicolaus aceti vncias quatuor, ſucci granatorum acidorum lib. dimidiam, ſaccha. lib. vnam miſcet, morbis æſtiuis & bilioſis præſtantius eſt, quàm oxymeli. Oxoſachar ex aceti lib. vna, ſacchari libris duabus ſine aqua coctis ad bilem flauam & cephalalgiam calidam, maluit appellare, quòd τὸ ὄξος acetum ſit, ὀξὺς, ὀξεῖα, ὀξὺ, acidus. Oxoſachar è radicibus Actuarij bilem vſtam, pituitam incîdit, terget, obſtructa aperit, hepar, lienem, renes: fit autem ex corticum radicis, fœniculi, apij, intybi ſatiui, ana ſextante, coquendo in aceti libris tribus, ad libræ vnius cõſumptionem: deinde expreſſum percoquitur cum ſacchari libris duabus. Simile, ſed compoſitius eidem ſcribitur, initio ſerapiorum. Sumptum id videtur ex ſyrupo acetoſo cum radicibus Meſuæ, niſi quòd hic aquam addit, & ſem. apij, fœniculi, intybi, aniſi, & ponderibus variat. Oxyſaccharum multò cõpoſitius facit Nicolaus ratione nulla: potes vt diximus, quælibet incoquere oxymeliti, ſic oxyſaccharo pro ſcopis varijs. Oxoſachar διὰ μήλων Actuarij corpus refrigerat, ſtomachum roborat, cor, & hepar æſtate exhilarat, appetentiam inuitat: capit aceti ſelibram, ſucci cydoniorum librã vnam, ſacchari libras duas, coque ad iuſtam conſiſtentiam. Sumptum ex ſyrupo acetoſo de cydonijs Meſuæ, ſed ponderibus mutatis.*

*In potionibus febricitantium.*

†

** Senibus familiares affectus, & ſplenem durum.*

SYrupus de calaminthe, aſthma, tuſsim antiquam, intemperiem viſcerũ frigidã, & ſplenicos, & * ſenes iuuat. Recipit calaminthes domeſticę & ſylueſtris, ana vncias duas, liguſtici, dauci, ſchœnu anthûs, ana drachmas quinque, vuarum paſſarum purgatarum lib. dimidiam mellis lib. duas.

*Quibuſdam in vſu eſt, ad calfaciendum, incidendum,*

*tenu*

*tenuandum, aperiendum,tergendum obſtructiones viſcerum,ob id ſplenem tumefactum minuit,cum aqua aſpleny, vel phyllitidis,thoracem & pulmones expurgat cum aquis thoracicis. Coquitur in lib.ſex aquæ ad dimidias,expreſſum percoquitur cum mellis lib.duabus.*

SYrupus de calaminthe alter,ſingultum,& vomitum à pituita,vel bile flaua,craſſa,ſedat. Recipit ſucci calaminthes, & vini odori,ana lib.quatuor,ſucci malorum granatorũ acidorum, cum ſua pulpa interiori,lib.quinque: coque ad dimidias,biduo permitte,vt craſſum ſubſideat, & clarum percoquatur in ſyrupum cum ſacchari lib.quatuor,aromatizetur drach.duabus galliæ aromaticæ,in vaſe vitreo bene obſtructo,inſola dies quadraginta.

*Quibuſdam in vſu eſt cum aqua menthæ & abſinthij: parum calet, ventriculum,& hepar expurgat, & ſimul roborat. Fuerit igitur ſaluberrimus, tum etiam quòd alimentum cum medicamento coniunctum habet: quod genus medicamentorum Galenus maximè commẽdat. Nam calaminthe amara,acris, expurgationem propè ſola facit: vinum putredini reſiſtit, vires eius & granatorum vehit: granata acida incîdunt quoque, & tenuant,ſed etiam roborant: ſaccharum dulcorat, & cuſtodiam ſiccando iuuat cum igni & ſole. Gallia iucundiorem facit, & facultatum noſtrum corpus diſpenſantium robur auget. Cùm igitur ſit paratu facilis, & magnarum virium, in vſu frequentiore habendus fuerit, niſi ſyrupo menthæ viribus proximo ſis contentus.*

SYrupus abſinthij ventriculum,& hepar roborat,ob id appetentiam excitat,retentricem vim firmat,amborum dolorem ſedat,& aliorum viſcerum mollificationem iuuat. Recipit abſinthij Romani lib.ſemiſem,foliorum roſarum vncias duas,ſpicæ nardi drach.tres,vini albi,antiqui,boni,odori,ſucci cydoniorum ana libras duas & dimidiam,in his macera horas vigintiquatuor prædicta, coque igni lento ad dimidias,

*† Aut cum ſacchari lib. duabus.*

*† Alij vnc. 12.*

*† Alij addi midias.*

cum † mellis libris duabus, fiat ſyrupus efficax, & multa experientia probatus. Vel abſinthij Romani † drach. centũ coquantur in aquæ libris tribus † vſque ad partem tertiam, fricetur manibus, coletur, expreſſum cum mellis, & vini ana libra vna, percoquitur in ſyrupum.

*Hic autem ſimplex eſt, ſerapium de abſinthio Actuarij ab hoc eſt diuerſiſsimum. Prior ſolus eſt in vſu ad ventriculi, & hepatis, & viſcerum aliorum imbecillitatem etiam dolorificam, & cachexiam. Datur etiam in albo mulierum fluore, & ad febres biliosas iam procedentes, non multùm calidas: ad ineuntes verò poſterior, & ſimplicior & aptior. Quanta autem vis ſit abſinthio Pontico (quem Romanum à Meſue vocari in ſimplicibus probauimus) in deturbanda bile flaua ex ventriculo, in roborando ventriculo, & hepate, Galenus in ſimplicibus, & methodo, in compoſitis partium medicamentis, & alibi paſsim abundè inculcat, vt non ſit opus teſtimoniorum multitudine eius facultatẽ demonſtrare. Datur per ſe ſi materia appetentiam lædens eſt frigida: ſi autem calet, datur cum frigidis.*

SYrupus de eupatorio ventriculum, & hepar roborat, obſtructiones aperit, calore digerit, ob hæc, incipienti hydropi, hypochondriorum dolori, febribus antiquis, ventriculi, & hepatis formam corrumpẽtibus confert, flatus diſsipat, intemperiem frigidam expugnat. Recipit radicum apij, fœniculi, intybi, ana vnc. duas, glycyrrhizæ, ſchœnu anthûs, caſſuthæ, abſinthij, roſarum, ana drachmas ſex, adianti albi, ſpinæ albæ, & Arabicæ, florum aut radicum buglosſi, aniſi, fœniculi, eupatorij, ana drachmas quinque, rhabarbari, maſtiches, ana drach. tres, ſpicæ nardi, aſari, folij, ana drachmas duas, coque in aqua lib. octo ad † tertiam, & cum ſacchari libris quatuor, & ſucci apij, & intybi quantitate ſufficienti fiat ſyrupus.

*† Partis tertiæ conſumptionem.*

*Hic ſyrupus quia calfacit, incîdit, tenuat, terget, roborat partes omnes nutritorias, appetentiam excitat, coctionem firmat, obſtructiones in eis aperit, per vrinas expurgat,*

*gat, intemperiem frigidam corrigit: proptereà hydropem omnem ab hepatis, vel lienis primario affectu proficiſcentem ſanat, & inde natum cutis colorem plumbeum, cacochymiam item, atque adeò cachexiam dictarum partium vitio natam emendat. Cui malo ſuccedit corruptio formæ ventriculi, & hepatis, & corporis reliqui per harum partium actionem toti corpori communem, habentium vitium, malè nutriti. Expreſſum percoque cum ſacchari clarificati libris quatuor, & ſucci purgati apij, & intybi, ana lib. duabus paulatim addendis, vt in ſyrupo fumariæ maiori.*

Syrupus de mentha ventriculum frigidum roborat, ob id * nauſeam, vomitum, ſingultum, fluorem arui ſedat: recipit ſucci menthæ libram vnam, ſucci granatorũ dulcium, & acidorum ad dimidias cocti libras duas, mellis, vel ſacchari libras quatuor. Vel ſucci cydoniorum mezorum & dulcium, ſucci granatorum mezorum & acidorum & dulcium, ana librã vnam, & dimidiam, in quibus horas vigintiquatuor macera menthæ ſiccæ lib. vnam & dimidiam, foliorum roſarum vnc. duas, coque igni lento ad dimidias cum mellis, vel ſacchari lib. duabus: fiat ſyrupus aromatizetur cum gallia.

*Vel accipit menthæ parum ſiccatæ libram vnam, & dimidiam, roſarum rubrarum vncias duas, ſucci cydoniorum dulcium, ſucci granatorum acidorum, dulcium, acidodulcium, ana libram vnam, & dimidiam, coque igni lento ad dimidias, expreſſum percoque cum mellis, aut ſacchari libra vna, aromatizetur cum gallia Meſuæ. ſi autem ſiccior ſit mentha, quia ſuccorum plus ebibit, ſuccos auge. Poſterior eſt valentior, & ſolus in vſu cum ſaccharo, quia mitior eſt & gratior, quàm cum melle. Ventriculum & ventrem reliquum inferiorem frigidum ſuo calore blando, & lenicula adſtrictione roborat. Ventriculum vel diſſolutum, vel à cauſa frigida imbecillum roborat.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0227-7

* SYrupus fumariæ maior, ventriculum & hepar roborat, obſtructiones aperit, cutis morbos, præcipuè ab humore ſalſo vel vſto natos, vt pſoram, lepram, impetiginem, ſerpiginem curat, recipit myrobalanos cepulas & citreas ana† viginti, florum, violarum, boraginis, vel bugloſſi, violarum, abſinthij, caſſuthæ, ana vnc. vnam glycyrrhizæ roſarum ana vnc. dimidiam, epithymi, polypodij, ana drachmas ſeptem, pruna centum, vuarum paſſarum purgatarum libram dimidiam, tamar Indorum, caſsiæ fiſtulæ, ana vnc. duas: coque in libris decem aquæ ad lib. ſeptem conſumptionem, & cum ſucci fumariæ cocti & purgati, & ſacchari ana lib. tribus, fiat ſyrupus.

† Alij legũt 3.20.

*Ab vncijs tribus ad vncias quinque vel ſex ſumptus, etiam purgat pituitam ſalſam, & bilem vtranque vſtam: purgatoria enim clementia & parua quantitate recipit, curatiſq; cutis vitijs colorem commendat: vt apertis obſtructionibus febres putridas, præſertim dictis humoribus natas, & icterum vtrunque ſanat: ne putes hanc facultatem poſteriori à Meſue attributam, illi eſſe peculiarem, cum ſit communis vtrique, vt morbum Hiſpanum iuuare: id quod ex generalibus his facultatibus conijectare non eſt difficile, cùm ſit maior, compoſitior, & potentior minore. Vterque ſumitur cum aqua intybi, bugloſsi, ſed hic in multo vſu eſt. Hic ob pruna, paſſas, caſsiam, tamar Indos eſt craſsiſsimus, proinde ingratiſsimus, & qui æquè citò vt ſyrupus portulacæ ſitum ducit, atque corrumpitur, niſi facta ſimpliciũ decoctione, coquas in ſyrupum, ſuccum fumariæ deſpumatum & clarificatum, cum ſaccharo aqua fontis clarificato, tuncq; paulatim addas decoctionem, ſemper coquẽdo: tandem verò caſsiam, & tamar Indos ob ſubſtantiæ raritatem, & virium imbecillitatem, parum diu coquendo: ſed cùm parui ſit momenti, & tam operoſa paratio & iniucunda, ſatius eſt omittere, vt ſyrupus epithymi ad eadem efficax.*

* SYrupus fumariæ minor, hæpatis obſtructionem aperit, ob id icterum ſanat, pituitam ſalſam, & bilem vſtam vacuat, pro

proinde pſωram, lepram, pruritum, & alia cutis vitia inde orta ſanat, & corporis colorem floridum reddit. Recipit myrobalanorum flauarum vnc. duas, violarũ, caſſuthæ, abſinthij, ana vnc. vnã: coq; cum lib. ſeptẽ aquæ vſq; ad partẽ tertiã. Expreſſum cũ ſucci fumariæ cocti & purgati, & ſaccha. ana lib. duabus percoq;. Datur ab vnc. vna ad vnc. duas. Quidã ſcãmonij vnciam dimid. panno lineo raro ligatam, in eo ſuſpendunt.

*Hic poteſt eadem quæ prior, ſed imbecillior eſt, nec vſu frequens: aſſumpta autem ſcammonij facultate, purgantior efficitur, vt ventriculum, hepar, lienem pituita ſalſa & bile vtraque vacuet, ob id icterum vtrunque ſanat.*

SYrupus de epithymo atram bilem & alios humores vſtos * vacuat, ob id morbos ex his naſcentes, elephantiam, cancrum, vlcera maligna, fiſtuloſa, pſωram, lepram, ἀχῶρας præcauet curatq;. Recipit epithymi boni hortenſis drachmas viginti, myrobalanorum Indarum & citrearum, ana drac. quindecim, caſſuthæ, fumariæ, ana drachmas decem, thymi, calaminthes, bugloſsi, ſtœchados, glycyrrhizæ, polypodij, agarici, myrobalanorum emblicarum & bellericarum ana drach. ſex, roſarum, ſem. fœniculi, aniſi, ana drach. duas & dimidiam, pruna viginti, vuarum paſſarum purgatarum vncias quatuor, tamar Indorum vnc. duas & dimidiam, ſacchari libras quatuor, ſapæ lib. duas, fiat ſyrupus.

*Affectibus ex melancholia, vel pituita ſalſa, & alijs humoribus vſtis confert magis, quàm ſyrupus fumariæ, quia obſtructiones aperit, & humores eos potentiùs apparat, & expellit per aluum vrinas, ſudores: clementer tamẽ purgat myrobalanis, fumaria, polypodio, prunis, tamar Indis, & quia datur ad vncias duas cum aqua lupuli, fumariæ, boraginis, intybi, vel decoctione conuenienti: quod pondus ſi augeas, apertè aluum ſubducit. Sunt qui dant ab vncijs quatuor ad vncias ſex. Hic etiam ob pruna, paſſas tamar Indos, ſapam, craſſus ob id & ingratus eſt.*

*Hunc etiam ad ſcabiem Neapolitanam adhibent, quam inter melancholicos morbos recenſent. Melior fuerit ſyrupus aliquis ſimplex, qualis eſt Saporis, vel alius ex aſplenio: &,*

*ſi vis, paucis alijs ſplenicis ad melancholicos affectus, non autem ex farragine ſimplicium melancholiam ſuccumq́; melancholicum apparantium, aut purgantium.*

SYrupus de thymo calfacit, incîdit, tenuat, ob id omnẽ frig. intemperiem thoracis, pulmonis, vẽtriculi, hepatis, & aliarum partium iuuat, & hyberno frigori reſiſtit: recipit comarũ thymi vnc. duas: calaminthes, menthæ ſiccæ, ana drac. quinq;: ſeminis apij, fœniculi, aniſi, dauci, ana ſemunciam: vuarũ paſſarum purgatarum vnc. quatuor & dimidiam: cum mellis lib. duabus fiat ſyrup. aromatizetur drach. duabus galliæ.

*In vſu rarus eſt, tamẽ ad ea quæ promittit, eſt efficaciſſimus, modò thymus ſit vel Creticus, vel ex locis editis & ſiccis & inſolatis, & calaminthe mõtana: obſtructa etiam liberat, & menſes mouet, ſed omniũ valentiſſimè ſyrupus* * *ſequens. Syrupus Artemiſiæ Matthæi Gradi, ad menſes ciendos ex catalogo ſimp. menſes mouentium: cùm tamẽ ſingula, vel horum pauca ſufficerent. Artemiſiæ manip. duos: pulegij, calaminthes, origani, meliſſophyli, ſampſuchi, ſabinæ, perſicarũ, chamædryos, chamæpityos, hyperici, centaurij parui, parthenij cum flore, rutæ, bethonicæ, bugloſſi, dictãni: rad. fœniculi, apij, petroſelini, aſparagi, ruſci, ſaxifragiæ, iridis, enulæ, rubiæ, pæoniæ, ana manipu. vnum: ſem. iuniperi, ſmyrni, petroſelini, apij, aniſi, gith, carpobalſami, cardamomi, coſti, aſari, pyrethri, phu, calami aromatici, caſiæ, ana vnc. dimidiam: macera aqua fluuiali, coque ad dimidias, expreſſum percoque cum ſaccha. & mellis q. ſ. Addi poteſt acetum ſimplex, vel ſcilliticum: alij aliter parant, & ſyrupum parthenij, id eſt, matricariæ, vocant.*

* SYrup. ſtœchad. iuuat omnes affectus frigidos cerebri & neruorũ, vt paralyſin, epilepſiam, ſpaſmum, ſpaſinum cynicũ, tremorem: recipit florum† ſtœchad. drach. triginta: thymi, calaminthes, origani, ana drach. decem: aniſi, pyrethri, ana drach. ſeptẽ: piperis longi drach. tres, zingiberis drachm. duas, vuarum paſſarum purg. vnc. quatuor: mellis lib. quinq;. Condiatur cinnamomi, calami aromatici, ſpicæ nardi, croci, zingibe

† *Arabicæ.*

gibe

gĩberis, piperis nigri & longi, ana drach. vna & dimidia, ligata in panno raro & appenſa in ſyrupum. Datur vnc. vna cũ aqua cui incocta ſint & ſpica & roſmarinus.

*Sericus ſit pannus, aut ſimilis, ſed non tinctus.*

*Coquitur in lib. decẽ aquæ ad dimidias, expreſſum percoque cum lib. quinq; mellis, aut ſi vis delicatius, ſacchari. Datur ab vncia vna ad vncias duas cum aqua decoctionis: aut potiùs deſtillationis ſumptum, & florum roriſmarini. Syrupus hic pituitam horũ affectuum frigidorum cauſam potenter tenuat, incîdit, diſſipat, ſiccat: catarrhos frigidos conſumit ſumptus cum aqua fœniculi, meliſſophylli, vel decocto has facultates ferente in cerebrum, ſpinalem medullam, & neruoſas partes: ventriculũ præterea roborat. Alter huic diuerſus Meſuæ ſcribitur in affectibus neruorum, in vſum non receptus. Eſt præter hos ſyrupos alius à Meſue in cephalalgia melancholica deſcriptus ad omnes affectus melancholicos, & ſplenicos, vt quartanam, & melancholiam, & priùs dictos in ſyrup. epithymi ſaluberrimus. Recipit adianti albi, radicum & florũ bugloſſi domeſtici & ſylueſtris, polypodij, epithymi, ana vnciam vnam: folliculorum ſennæ, chamæpityos, ſtœchados, fumariæ, ana drach. ſeptem, chamædryos, ſchœnu anthûs, ellebori nigri, ana drac. tres: eupatorij ſemunc. ſucci pomorũ dulciũ vnc. octo. Omnia præter epithymum & ſuccum, coque in aquæ libr. quatuor ad tertiæ partis conſumptionem, pòſt adde epithymum, & ſemel feruefiat, coletur, cum ſucco pomorum, & ſaccha. lib. duabus percoquatur in ſyrup.*

SYrupus glycyrrhizæ tuſsim antiquã iuuat, thoracẽ & pulmones expurgat: recipit glycyrrhizę vnc. 2. adiãti albi vnc. vnã: hyſſopi ſicci vnc. dimi. horas vigintiquatuor macera aquę lib. quatuor, coq; ad dimidias, expreſſum percoque cum mellis, ſacch. penidiorum, ana vnc. octo: aquæ roſarum vnc. ſex. *

*Eſt frequens vſu initio pleuritidis, & aliorum thoracis affectuũ, etiã ſi aquam roſarũ recipiat. Nam in horũ affe-*

*ctuum à fluxione proficiſcentiũ initio modicè adſtringentia non modò ſumi poſſe, ſed omnino ſumẽda imperat Gale. lib. meth. 12. Et rhabarbarũ, & electariũ cui manus Chriſti nomen eſt, in vſu quotidiano ſunt cõtra tales affectus, quãuis ambo adſtringunt, vt partes ob laxitatẽ ad fluxionem recipiendã opportunæ, vbi adſtrictæ fuerint, ampliùs nõ recipiant, & roboratæ valentiùs repellant nouam, & expellant veterem materiã. Incipientibus itaq; thoracis & pulmonis affectibus frigidis & pituitoſis, ſaluber eſt hic ſyrupus: augeſcentibus & vigentibus, ſyrupus hyſſopi, declinantibus ſyrupus praſij, niſi magna expurgandi has partes neceſſitas, metusq́; ſuffocationis à poſtremo nos incipere coëgerit, qui omniũ valẽtiſſimè calfacit, incîdit, tenuat, terget, expurgat, lenit, ſiccat: quæ omnia ſyrup. glycyrrhizæ præſtat, ſed moderatiſſimè, vt tuſſim antiquã ſanet tãtùm, quæ à pauca, nec craſſa, nec lenta pituita excitatur. Syrupus autem hyſſopi viribus eſt in medio. Hic ſyrup. aperit, dilatat, terget partes præſertim ſpiritales, aſperam arteriam, pulmonem, thoracem ad expellendumq́; roborat.*

SYrup. hyſſopi aſthma, tuſsim, dolorẽ thoracis & hypochõdriorũ iuuat: recipit hyſſopi [mediocriter] ſicci, radic. apij, fœniculi, †glycyrrhizæ, ana drac. decẽ, hordei nudi vnc. dimi. ſem. maluæ, & cydoniorũ, tragacãthi: ana drac. tres: adiãti albi drach. ſex: zizypha, myxa, ana triginta: vuarũ paſſarum purgatarum drach. duodecim: ficus ſiccas, dactylos pingues, ana decem: penidiorum alborum libras duas: fiat ſyrupus.

*† Petroſelini addunt aliqui.*

*Huius ſyrupi & ſequentis facultas nuper eſt declarata. Potenter prætereà obſtructiones liberat, vt etiam in adoleſcentibus renum calculos frangat ſumptus cum aquis, aut decoctis vrticæ, quomodo ad affectus thoracis cum aqua ſcabioſæ, vel bechij, vel decocto thoracico ſumendus eſt: ſubadſtringit quoque dactylis, & ſem. cydoniorum. Nec abs re penidia exigit alba, hoc eſt, ex ſaccharo albiſſimo, & puriſſi*

*riſsimo facta: non autem ex ſaccharo vel craſſo, & pingui, vel rubro cum amylo & ſublito marmori butyro. Nam ex his facta penidia ægrè colantur, & impurum ac ingratum magis ſyrupum reddunt. Alias quinque huius ſyrupi deſcriptiones habet Meſues cap. de tuſsi. Pleuritidem quoque, & obſtructiones viſcerum liberat. Coque omnia in lib. octo. aquæ ad lib. quinque conſumptionem. Expreſſum in ſyrupũ percoque cum libris duabus penidiorum alborum.*

SYrupus Praſij thoracem, & pulmones expurgat, pituita craſſa, lẽta, putri, & ab ea aſthmati, antiquæ tuſsi prodeſt, quales affectus ſenibus & natura frigidis ſunt frequẽtes. Recipit praſij vnc. duas: hyſſopi, adianti albi, ana drac. ſex, glycyrrhizæ vnc. vnam: calaminthes, aniſi, radi. apij, & fœniculi, ana drach. quinque: ireos, ſem. maluæ, & fœnigræci, ana drac. tres, ſem. lini, & cydoniorum, ana drac. duas: vuarum paſſarũ purgatarum vncias quinque: ficus paſſas pingues † quindecim: penidiorum, mellis boni deſpumati, ana libras duas.

* *Praſium viride.*

*Hyſſopus ſiccus.*

† *Alij ſexdecim.*

*Syrupus hic pituitam craſſam, lentam, putrem, ac pus ex pulmonibus, & thorace incîdit, tenuat, terget, educi adiuuat leniendo, & aperiendo meatus, & vim expultricem roborando. Strenuè enim ſputum promouet in declinatione horum affectuum, ſi à fluxione pendeant: quam ſuo calore multo, ſi initio vſurparetur, geminauerit, niſi, vt dixi, ſuffocationis à multa, craſſa, lenta materia periculum impenderet. Vacuata autem materia, quæ thoraci, aut pulmoni, & aſperæ arteriæ anguſtiam pariebat, proindeq́; ſpirandi difficultatem, æger iam multò quàm antè liberius reſpirat. Alias deſcriptiones duas habet Meſues capi. de aſthmate, ſed inuſitatas. Vſurpatur autem cum aquis prædictis, vel hyſſopi, vel alia thoracica. Coque in libris decem aquæ ad dimidiam, expreſſum percoquatur cum penidiorũ, & mellis deſpumati ana libris duabus.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0233-0 DFG

# SECTIO TERTIA DE ECLEGMATIS.

Loch. ECLEGMATVM quædam ſunt iucunda, alia ſumentibus ingrata. In vtroque genere deſcribam ordine celebriora, vt ſalubriora in particularium morborum curatione.

*Eclegma, id eſt, linctus, thoracicum & pulmonicum eſt præſidium, ex medicamentis ferè dulcibus, & tergentibus, ac etiam glutinoſis, interdum amaris & acribus (quæ valida ſunt) parcius coctis, quàm electario liquido vel ſolido conueniat. Hæc autem humore multo in rem præſentem idoneo ſunt diluenda: præſertim cùm craſſum & lentum pus, aut pituita ſimilis ex thorace, aut pulmonibus educenda eſt. Qua enim conſiſtentia fiunt, vt aſperæ arteriæ affectibus quibuſdam conuenire poſſunt, ita craſſa, & lenta thoracis & pulmonis excrementa magis morentur, quàm promoueant.*

ECLegma ad gutturis intemperiem calidam, & aſperitatẽ, & inde natam tuſsim: recipit glycyrrhizæ drach. quindecim: paſſarum pinguiũ purgatarum vnc. duas: zizypha, myxa, ana vigintiquinq;: coque igni lento in aquæ lib. quatuor ad librarum trium conſumptionem: adde caſsiæ fiſtulæ vnciã vnã: colatũ, & ſeminibus ac membranis purgatũ percoq; cum penidiorum libra dimidia, ſapæ vnciis quatuor, ad iuſtam craſsitiem: tunc miſce farinæ fabarum vncias duas: lambe, vt alia.

*Huius loco eclegma papauerinum vſurpetur, vel tragacanthi à Nicolao ſcriptum.*

ALiud noſtrum idem promittens, recipit ſeminis papaueris drach. decem: glycyrrhizæ drach. ſeptem myxa viginti: ſeminum pſyllij, & cydoniorum, ana drach. quinque: coque libris tribus aquæ ad dimidij conſumptionem, colatum percoque cum ſapæ, & penidiorum, ana vnciis quatuor, ad iuſtam craſsitudinem: deinde miſce tragacanthi, gummi, ana drachmas quinque: papaueris albi, trium granorum, ana drachmas duas.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0234-6 DFG

*Tria ſemina, melonum, citrulli, cucumeris, vt in tryphera Perſica 4. ſemi. hæc tria, et ſemē cucurbitæ intellexit.*

ECLegma papauerinum iuuat tuſsim, & gutturis aſperitatem à catarrho calido tenui (quem ſputum liquidum indicat) eum enim coquit, & craſſat. Confert etiam febribus ardentibus, dolenti thoraci, pleuritidi. Recipit autem papaueris albi drach. vigintiquinque, amygdalarum dulcium depellatarum, nucleorum pineorum, gummi Arabici, tragacanthi, ſucci glycyrrhizæ, ana drachmas decem: amyli, ſeminum portulacæ, lactucæ, cydoniorum ana drachmas quatuor: croci drachmam vnam: penidiorum alborum vncias quatuor: ſyrupi papaueris, præſertim albi, & nigri cum ſemine lactucæ, & violis facti, quantum ſufficit. †

*In catarrho calido tenui (qualis eſt ſalſus, & amarus, & acer) in pulmones procumbenti, & tuſsi inde ſicca eſt efficax multùm. Nam craſſata ab eo materia expui poteſt, quæ prius ob tenuitatem tuſſes eludebat, nec ſpuebatur, prohibetq; nouam affluere: ſomnum item conciliat, tum refrigerando, tum in febribus calidos vapores in caput tolli prohibēdo: frigidum enim humidum eſt ad primum gradum. Sumitur lambendo ad drachmas quatuor, hora vna, aut circiter, à cœna, ſi ſomnus quæritur: ſi verò materia tenuis in capite contenta eſt craſſanda etiam hora vna poſt prandium, ad prædictos verò affectus, horis quibuſlibet, ante cibum tamen rectiùs ſumitur, dicta priùs quantitate: nec admodum ſæpe, ne ventriculum offendat, præſertim frigidum humidum. Cùm ſyrupo papaueris ſit hodie, non cum iſto à Meſuæ hîc obiter deſcripto.*

DIacodyon Galeni ſimplex catarrhum à cerebro in pulmones tenuem, & inde natam tuſsim, & inſomniam iuuat. Sic paratur: capita decem papaueris magnitudine mediocri, & humidorum ac ſiccorum media, in aquæ †pluuiæ ſextario vno macera [ad biduum,] ſi autem ſint ſicciora, diutiùs: ſi humidiora, horas vigintiquatuor. Pòſt coque ad ipſorum diſſolutionem, ſeu ad duarum aquæ partium conſumptionem, *

*† vel fontanæ per tubos plūbeos non defluentis.*

cola, & cum ſapæ dimidio prunis percoque, ſi catarrhus tenuis in aſperam arteriam, pulmones, thoracem, impetum minatur & inſomniam. Tunc enim mel quia ſua acri ſubſtantia tenuat materias noxium eſt, cùm hæ ſint nimis tenues.

*Glycyrrhizam vel ſuccũ eius, dũ coquitur miſcet Gal.*

Cum veò materia largior in pulmone, vel thorace collecta, eſt tergenda, & tenuanda & habilis ad expuitionem reddenda, mel miſcendum, quod prædicta præſtat, & præterea dormire facit: ſi ambo ſcopi cõcurrant, mel, & ſapa miſcenda. Datur autem drachma vna, aut plus minus, ſi affectus poſtulat, ore retinetur, & quantum eius eſt ſaliua ſolutum cum ea paulatim deglutitur. Si autẽ per id naturæ impetum vis ſiſtere, & ſanguinis reiectionem à viſceribus thoracis, cuique huius libræ miſcebis, acaciæ rubræ, hypociſthidos, mirrhæ, croci, balauſtij, ana drachmam vnam: †ramich drachmas quatuor, vtere. Sunt qui diacodyum ſimplex loco mellis coquunt, cum penidiis, alii cum ſaccharo. Vbi autem affectus magnopere calidus eſt, ac mordax, fit ex capitibus papaueris nigri ad quinquaginta, interdum ex albo ſimul & nigro, addendo tunc loco mellis penidia, aut ſaccharum.

*Ad ſomnũ cũ ſapa eſt melius, ad ſputum cũ melle Gal.*

*Duo cochlearia magna plus minus, pro catarrhi natura ætate, aëre, &c.*

*Ecl*egma hoc viribus & vtendi modo conuenit cum papauerino. Eſt autem ſcriptum à Galeno lib. 7. c. ph. p. inter arteriacas antidotos, vbi varias eius cõpoſitiones etiam ab eodẽ factas deſcribit ad ſcopos varios: aliqui enim diacodyum ſimplex cõponũt ex capitibus papaueris viridibus ſolis aquæ pluuiæ inditis, & donec intabuerint, coctis: quibus abiectis mel Atticum ſolum immiſcent, percoquuntq́ ad ſpiſsitudinem mediocrem, quæ lingi poſsit: quantum autem aquæ, capitum, mellis, pòſt dicetur. Aly addunt crocum Cilicium, ſuccum hypociſthid. & acaciam.*

*Gal. nã his frigidis minus, calidis plus datur, & magno catarrho plus quàm paruo.*

*†Ramich in trochiſcis.*

*Capitibus papaueris centum viginti, quidam aquæ ſextarios viginti infundunt, vt quiſque ſextarius capita ſex habeat. Aly vt Crito, capitibus octingentis, ſextarios octoginta, vt quiſque ſextarius capita decem habeat. Aly ſextario capita octo tradunt. Aly ſextarys tribus capita neſcio quomodo incoquunt octingenta. Aly vt Heras, his tribus ſextarys capita centum viginti. Galeno autem aqua hæc*

par

*parcior tam multis capitibus iudicatur. Capita prӕterea papaueris viridia Andromachus & Heras inijciunt: capita verò papauerum ſyluestrium octingenta aquӕ ſextarijs octoginta Crito coquit ad tertias, exprimit, addit mellis libras decem. Quod ſi varium magis placet, croci, myrrhӕ, hypociſthidos, acaciӕ, ana drachmas duodecim, thuris drachmas ſex adde cum Critone, quorum nullum addebat Galenus. Heras coniecta capita in vas fictile aqua pluuia triduo macerat cum croci drachm. vna nodulo ligata, coquit ad tertias, tollit ab igni, exprimit, percolat, addit mellis ſextarium vnum, coquit in duplici vaſe ad ſpiſsitudinē: tūc addit acaciӕ rufӕ ſucci hypocisthidos ana drachmam vnā. Addunt alij myrrhӕ in paſſo ſolutӕ drachmam vnam: Galeno placet aqua ſimpliciſsima, ſicq; parat, nullo alio addito. Soranus capitibus centum quinquaginta addit aquӕ ſextarios viginti, ſine maceratione coquit ad dimidias, exprimit, reliquias abijcit, addit mellis ſextarium vnum, & croci, myrrhӕ, hypociſthidos, acaciӕ, ana drachmam vnam, obolos tres: quӕ linteolo ligata ſuſpendit in lebete cum melle coquenda. Damocrates papaueris ſyluatici, & quod non ſeritur, capita viridia (quӕ κωδύας vocat) ſemen rubens, nondum nigrum habentia, iustӕ magnitudinis, centum viginti in ollam nouam oris lati indita aquӕ pluuiӕ ſextarijs tribus vigintiquatuor horas macerat, igne leni coquit, multùm exprimit, addit mellis Attici libras tres, rurſus coquit igne lenioris ad mellis Attici non iquidi ſpiſsitudinem, refrigeratum vaſe vitreo reponitur. Datur myſtri menſura ſub noctem, aut die ore continetur, donec liqueſcat tunc ſenſim deuoretur. Galenus autem, vt ſequitur, compoſito à ſe frequenter probato vtendum cenſet. Capita paparum mediocria decē (nam ſi grandiora eſſent, pauciora inijci oporteret: ſi minora, plura) in aquӕ pluuiӕ vel ſimplicis*

*ſextarium vnum, vt Crito: aut capita quindecim in aquæ ſextarios duos, vt Soranus: aut modo inter vtrunq; medio, cap. octo vel nouem in ſextarium vnum cōijce, macera, ſi humidiora & molliora ſunt, horas vigintiquatuor: ſi duriora & ſicciora, diutiùs vno die, etiam ad triduum: quod tempus Heræ eſt perpetuum. Multum autem ſicca, quia ſucci modicum habent, reijce, ac etiam multùm humida, præcipuè ex locis humidis & paluſtribus: quoniam licet multum habent ſuccum, quia tamen crudus eſt, atque aquoſus, inualidus iudicatur. Finis autem coctionis ſit, non tertiam aut quartam, aut talem aliquam partem relinqui, ſed cùm primùm omnino intabuerint, vt eorum ſuccum exprimere poßis: ſuperfluum enim eſt ampliùs coquere. Miſcebis verò mellis Attici menſuram dimidiam, & coques igni fumi experti ad mellis Attici conſiſtentiam. Aquam pluuiam quidam deligunt, quia in putridam qualitatem non mutatur: tibi abundè ſit fontana, ſi pluuialis deeſt, eáque pura, & omnis permiſtionis expers. Fugienda verò quæ per canales plumbeos defertur, fæces enim aliqua plumbi, & vitia in ea reſident, vnde & qui ſedimentum ipſius biberint, dyſenterici fiunt. Datur dormituris in catarrho acri & tenui ex capite in aſperam arteriam, tuſſes excitante ſomnum prohibentes. Ad quem conciliandum non modò diacodyon, ſed etiam medicamenta quæ opio conſtant, ſæpe coacti damus. Sed tunc diacodyon cum ſapa, id eſt, vino cocto mellis loco, aut cum vino dulci, aut potius Thereo Creticó ve coquendum, & aqua, donec ad dimidias peruenerit. Miſcebis etiam glycyrrhizam, aut ſi deſideratur, eius ſuccum ex Creta delatum. Mel autem fugiendum eſt, quia cùm ſit naturæ tenuātis, fluxiones ipſas admodum tenues intendit. Si verò multus humor in pulmonem fluxerit, vt is promptè ſputo excernatur*

tur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0238-9

DFG

*tur, diacodyon cum melle vtilius eſt. Si autem & ſomnus conciliandus, & ſputum æquè prouocandũ eſt, ambo æqualiter miſcenda. Si alterum præpolleat, & maiore auxilio ob id egeat, plus eius quod requirit, miſcendum. Menſura verò mediocris eſt duorum cochlearium iuſtæ magnitudinis, augendo aut minuendo pro corporis ſumpturi magnitudine, ætate, parte anni, regione: calidioribus, augendo: pro frigidioribus, minuendo. Hæc paulò fuſius ex Gale. lib. 7. cõp. ph. p. tradidi, vt lector intelligat tum variam rationẽ componendi diacodyon medicis veteribus fuiſſe, tum quàm fideliter & compendioſè ex Galeni ſententia hanc compoſitionem, variam eius conditura, vires, quãtitatem, vtendi tempus, Meſues ſit mutuatus.*

Diamoron phlegmonas oris partium, vt columellæ, faucium, & eas à quibus impendet ſuffocationis periculum, ſanat. Fit autem hoc modo: ſucci mororum domeſticorum, & †batinorum ana libra vna, & dimidia, cum ſapæ & mellis ana libra vna, igni lento coquuntur ad mellis ſpiſsitudinem, reponuntur. Simplex hoc fit à quibuſdam: ab alijs, præſertim neceſsitate magna coactis, adduntur aluminis, myrrhæ, croci, omphacij, ana portiones æquales. *

*†Mora rubi in ſimpl. noſtris.*

*Succus per ſe incipienti phlegmonæ eſt melior, quia tũc repellendum: alijs eius tẽporibus cum melle melior, vt etiã digerat.*

*Diamoron Nicolai vſu eſt frequentius, hoc rarius, in gargarizatu cum aqua hordei, vel plantaginis, vel roſarũ, vel alia ad oris phlegmonas. De Diamoro Galeni abundè egimus libro quarto noſtræ meth. Phlegmonæ verò ſuffocatoriæ ſunt, cynanchæ præſertim, & quæ fauces occupat. Galenus quintam partem mellis miſcet mediocri, vt ſint ſucci lib. quinque: mellis lib. vna: croci & myrrhæ ana drach. vna & dimidia: omphacij drachma vna. Myrrha, crocus coquunt, præterea crocus repellit, vt rhus, alumen, omphaciũ, balauſtium, malicoriũ, flos roſarũ, galla, & alia adſtringentia, quæ interdum miſcet Galenus initio, vt in fine, ad cocta diſſoluendum, ſapa, nitrum, ſulphur.*

Διακάρυον, id eſt, ex nucibus, à Græcis dictũ, medicamentum eſt efficax ad catharrum acrem & tenuem à capite in aſperã arteriam, pulmones, thoracem, à quo phlegmone, ſuffocatio, mors, impendent. Libræ quatuor ſucci ex corticibus nucum viridium, diebus canicularibus extracti, ſemel feruefiunt: tunc mellis libris duabus additis, coquũtur ad mellis craſſitiem: idque medicamentum pueris, mulieribus, & natura humidis ſalubre eſt. Quòd ſi phlegmones initium, adſtringentium aliquid miſcendum eſt, vt roſa, balauſtium: ſi in ſtatu, crocus, & myrrha: ſi in declinatione, nitrum, & ſal hammoniacus, & ſimilia.

*Hoc diacaryon Galeni inuentum, vires habet eaſdem cum diamoro ad omnes oris phlegmonas, & cynanchas ſed efficaciores, vt ex Galeno docui lib. quarto noſtræ meth. in antidotis ſtomaticis.*

† Eclegma de ſcilla, materiam craſſam, lentam, coctu difficilem in partibus reſpiratoriis, expelli facilem ſtrenuè reddit, & natã inde ſpirandi difficultatem, & thoracis dolorem leuat: recipit ſucci ſcillæ, mellis deſpumati partes conuenientes, coquendas ad eclegmatis conſiſtentiam. Vtere lambendo.

In fine lib. 7. c. ph. p.

*Huic ſimile eſt eclegma Antonij Muſæ ex Aſclepiade, ad craſſa, & lenta ex pulmonibus vacuãda, pleuriticis, empyis, aſthmaticis, ſenibus ſalubre. Scillæ crudæ ſuccum expreſſum cum mellis Attici eadem menſura prunis incoque. Da myſtri menſura ante, & poſt cibum. Sed Meſues melli deſpumato miſcet. Id eclegma calidum ſiccum ad ſecundum gradum, incidens, tenuans, tergens potenter, aſthmaticis, ſenibus, & cæteris pituitæ craſſæ, lentæ, vel etiam puris copiam in pulmone, vel thoracis ſpatio habentibus. Calidis autem natura, vel ex febre nocet. Datur ad drachmas duas ieiunis.*

† Eclegma ad aſthma, & tuſsim antiquam (humorem enim craſſum tenuat) recipit ſcillæ aſſatæ drachmas quatuor: radicis ireos drachmas duas: hyſſopi, praſij ana drachmam vnam: myrrhæ, croci, ana drachmam dimidiam: melle excipe.

*Validiſsimum eſt, ſed etiam ingratiſsimum, quia ama-*

ris

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0240-8
DFG

*ris & acribus propè omnibus conſtat, ob quæ multũ etiam calet. Multò adhuc fieret valẽtius, ſi radicem ari, aut dracontij reciperet, & mellis loco terebinthinam. Validum itẽ & ingratum, ex radice bryoniæ, quod quædam Meſuæ exemplaria hoc loco etiam habent.*

EClegma ex radice bryoniæ idem pollet, eodemq́; modo paratur.

*Eius compoſitio eſt in ſimplicibus capi. de Bryonia antè deſcripta, & quanuis in vſu non ſit, digna tamen recipi, præſertim quibus Galliæ partibus ſcilla deſideratur. Nos etiam ſæpe ex ari radice, & etiam dracunculi ſimile eclegma paramus, valentiſsimum ad hos affectus, vt etiam in ſimplicibus docet Galenus.*

EClegma ſanum & expertum inuenimus ad tuſsim, raucedinem à frigore, vel pituita craſſa thorace, aut pulmone * comprehenſa: recipit cinnamomi, hyſſopi ſicci, glycyrrhizæ, ana drach. dimidiam, zizypha, myxa, ana triginta: vuarũ paſſarum à ſemine purgatarum, ficuum paſſarũ ſiccarũ, dactylorum pinguium, ana vnc. duas: fœnigræci drach. quinq;: adianti albi manip. vnum: ſeminum aniſi, fœniculi, lini, ireos, calaminthes, ana drach. quatuor: coque omnia in † aqua ad librarũ duarum conſumptionem, colatũ coq; cum penidiorum libris duabus ad mellis craſsitudinem, tunc adde nucleorum pineorum depellatorum drach. quinq;: amygdalarum mundatarũ, glycyrrhizæ, tragacanthi, gummi Arabici, amyli, ana drach. tres: ireos drachm. duas. Miſce omnia probè, donec album fiat medicamentum. Datur à drach. quinque ad drach. decem, & lambendo ſumitur.

† *Lib. quatuor.*

*Hoc eclegma idẽ poteſt quod ex ſcilla, & pino: ſed potentiùs incìdit, tenuat, terget: eſt etiam gratius, minuſq́; calidum & ſiccum eſt, vt in fine primi gradus. Has autem vires habet à ſubſtantiæ tenuitate adianti, ficuum: & etiam calidorũ, cinnamomi, hyſſopi, ireos, ſed à frigidis, vel temperatis fractorum. Ad drach. quatuor dediſſe ſufficit, ſi febris abeſt, & cœli caliditas, nec ſumpturus calido ſit tempera*

*pera*

*peramento.*

* ECLEGMA ex pulmone vulpis, ad phthiſin, recipit pulmonis vulpis ſiccati, ſucci glycyrrhizæ, adianti albi, ſeminis fœniculi, ana drach. tres, confice cũ ſaccharo in †aqua ſufficienti cocto. Cum ſucco autẽ myrtino confectum valẽtiùs roborat.

†*Bipinnella ſoluto, &.*

*Id ex Meſuæ practicæ cap. de phthiſi huc tranſtuli. Nicolaus Florentinus lib. 3. cap. de catharro, & coryza idem ad verbum mutuatur: hodie autem fit cum melle, licet Meſues, & Auic. cum ſaccharo parari imperent. Eius loco datur puluis pulmonis cum ſaccharo roſato.*

*Eclegma de allijs Meſuæ in praxi cap. de tuſſi humida, recipit alliorum purgatorũ libram dimidiam: coq; exquiſitè in aqua cui cicer & hyſſopus ſicca antè ſint incocta. Hæc allia tere, cerne: hanc medullam percoque igni lento ad eclegmatis conſiſtentiã, cum mellis & butyri ana vnc. ſex.*

O ECLEGMA phthiſicis ſaluberrimum, ſed etiam hecticis & aliter conſumptis, pure & ſanie pulmones purgat, & tuſſim lenit: recipit autem ſeminis papaueris albi, ſeminis lini torrefacti, ſpodij, croci, amygdalarum dulcium, ana drach. tres: amyli, tragacanthi, gummi, ſeminis cydoniorum, ſeminis citrulli, ana drach. ſex: ſeminis naſturtij torrefacti, amygdalarũ amararum, fabarũ, ana drach. vnam & dimidiã: penidiorum drach. ſexaginta. Hæ aqua fontana diſſolutæ coquantur, deinde cætera miſceantur. Dantur drach. duæ cum hydromelite.

*Vellem naſturtium, & amygdalas amaras tolli, ſi hectica adeſt, & hydromeli valde aquoſum propinari.*

O ECLEGMA de amygdalis ad intemperiem multùm ſiccam pulmonis & thoracis, & tuſſim inde ſiccam, recipit amygdalarum dulcium & amararum, ſeminis lini torrefacti, nucleorum pineorum, aniſi, tragacanthi, gummi Arabici ſicci, & radicis glycyrrhizæ, ana drach. vnam & dimidiam: ſacchari, penidiorum, ana drach. tres: excipe mellis & ſucci fœniculi ſimul coctorum quantitate ſufficienti.

† ECLEGMA ex pineis nucleis, tuſſim antiquam, ſputum glutinoſum, aſthma, & ſpirãdi ex partium ſpiritalium anguſtia difficultatẽ iuuat: recipit verò nucleorũ pineorum drach.

triginta:amygdalarum dulcium,auellanarum aſſatarum,tragacanthi,gummi Arabici,glycyrrhizæ,& ſucci ipſius amyli, adianti albi,radi.ireos,ana drach.quatuor,carnis dactylorum fuluorum drach.trigintaquinque : amygdalarum amararum drach.tres:ſapæ, vuarum paſſarum,ſacchari albi,butyri recentis, ana drachmas quatuor.mellis q.ſ. ſume velut lambendo vnc.vnam.

*Eius eclegmatis ſemuncia ore contenta,paulatim deglutita,portione ſui liquidiore in pulmones deerrat,pituitamq́; multam,craſſam,lentam incîdit:tenuat,terget:ob id habilem expui reddit,ac etiam pus.Quapropter pulmonis & thoracis affectus ab illorum quantitate,vel qualitate natos curat,vt empyema,aſthma,ſpirandi difficultatem ob plenas pure vel pituita aſperas arterias,& pulmonis carnes:peripneumoniam quoque & pleuritidem iuuat declinante iam febre:calfacit enim ad primum gradum,& ſiccat.Præſtantius autem multò fiet(vt dixi)ſi apozemate thoracico diluatur,vel ptiſſana vulgari,aut decocto ordei, vel braßicæ,vel ſimili, vel hydromelite, vel oxymelite, niſi vlcus aut tußis adſit. Mel tabarzet album potiùs, quàm cum Manard.ſuccus ipſe,ex quo per cocturã fit ſaccharum:quod ſi album eſt,tabarzet quoque vocant. Serapio conficit cum melle.Farina etiam ſeminis lini torrefacti vel non toſti,cum melle,optimum eſt eclegma tußi puerorum.*

*Hæc eclegmata quæ etiam inuicem miſceri poßunt,pro ſcopis medici varijs,hodie magna parte interciderunt,& ex hypoglottide alba,ſaccharo Cando,electario diatragacanthi,& ſyrupus pulmonicis,& thoracicis è re nata fiunt à medicis,fortè,quòd antiquata hæc vires ſuas & ſaporis gratiam amittunt,vel quòd compoſitis non fidunt.Eclegma de allijs,braßica,radice ari,dracunculi,ireos,& alijs multis fieri poſſunt,quorum quædam in Nicolai antidotis poſteà deſcribemus.*

SEC

# SECTIO QVARTA DE *DECOCTIS, ET* INFVSIS.

*

Hac ſectione quarta decoctorum, & infuſorũ differentias, quomodò in ſuperioribus, ordine deſcribemus.

*Apozema, id eſt, feruefactum & decoctum, fit ex plantarum partibus, præcipuè radicibus, folijs, ſurculis, floribus, fructibus, ſeminibus, corticibus, lignis, interdum etiã ſuccis, rarò ex liquoribus, gummis, reſinis, rarò item ex animalium partibus, rariſſimè ex terreis, & metallicis corporibus. Coquuntur autẽ hæc, nunc ex aqua, tum ſimplici, qualis fontana, pluuia: tum medicamentoſa, qualis ex plantis deſtillata, marina, ſalſa, ſulphuroſa, aluminoſa, bituminoſa: nunc ex alio humore, vt lixiuio, vino, aceto, lacte ſero, vel quouis: in quem tamen hæc medicamenta vires ſuas deponant, & humoris illius facultatum aliquid aſſumant, quanuis magna parte abſoluta coctione exprimantur, ac mox ceu inutilia abijciantur. Exprimuntur autem horum quædã valenter, alia clementer, alia ne tantillum quidẽ, pro rerum coctarum & humoris in quo incocta ſunt natura & vario medici ſcopo, vt interim taceam colorum differẽtias, & coctionum, & contuſionum. Quæ enim liquida malumus & parum valentia, parũ diu cocta, non contuſa colo denſo, nulla aut minima expreſſione excipimus. Contrà verò quæ craſſa glutinoſa appetimus, diu cocta, probè contuſa propemodum tota per colum rarum vel trãſmittimus, vel exprimimus. Coquuntur quoque nõnulla multum, alia parum, alia mediocriter, nõ modò ob coquendorum naturam, vt in libro ſecũdo de præparationibus medicamentorum ad pharmacopœos ſcribimus, ſed ob medicamen-*

*camen*

*camenti conſtituendi formam, & indicationes varias. Infunduntur, ſeu macerantur eadem humore ſimili: ſed ferè calfacto cineribus calidis, vel ſole, vt medicamenti vires promptiùs, & valentiùs trahat: quanquàm infuſio imbecillius eas ad ſe alliciat, quàm coctio: ob id diutius fit, & ſæpe leui coctione adſoluitur. Infuſa item colantur: ſine expreßione quidem imbecilliora ſunt, ſed tenuiora, & iucundiora: cum expreßione autem valenti, contrà.*

APozema adianti albi ſanguinem à miſtis ipſis putribus materiis purgat, clarumque reddit, ardoremque ipſius, ac bilis flauæ compeſcit. Adianti albi vnc. vnam & dimidiam: fumariæ vnciam vnam: lupi ſalictarij, violarum ſiccarum ana drach. octo: pruna quadraginta: zizypha viginti: coque libris tribus aquæ igni lento ad duarum librarum conſumptionem, tunc adde caſsiæ fiſtulæ purgatæ vncias tres: tamar indorum vncias duas, mannæ vnciam vnam: rhabarbari boni drachmas tres: frica manibus, & cola. Datur mane. Interdùm loco aquæ, coquuntur hæc in ſeri lactis caprini libris quatuor.

*Horum apozematum multa aluum ſubducunt, quædam leniendo, alia comprimendo, ſunt etiam quæ attrahendo. Ob id autem quòd parum ſunt iucunda, propter craßitiem, & nigrorem, quódque parum diu, vt ad triduum, ſeruari poſſunt, præſertim aëre calido, parari hæc deſierunt. Coquuntur autem nunc frequenter ſine caßia, & tamar Indis, & id genus alijs. Huius dari poſſunt vnciæ ſex.*

AQua fructuum, ſanguinis & bilis flauæ feruorem reprimit, ſanguinem clarum facit, bilem clementer educit: pruna quadraginta, myxa, zizypha ana triginta, tamar Indorum vncias duas, caſsiæ fiſtulæ vncias tres, mannæ vnciam vnam. Fiat vt diximus.

*Proximum hoc ſuperiori eſt vt materia, ſic viribus. Eſt tamen illud ob rhabarbarum, fumariam, adiantum paulò purgantius.*

DEcoctum fumariæ ſanguinem bile flaua, & aduſtis humoribus purgat, mundumq; reddit: hepatis obſtructio-

nem aperit, ac inde natum icterum ſanat: recipit ſucci cichorij, intybi, lupi, bugloſsi ana vncias quatuor, ſucci fumariæ vnciam vnam & dimidiam: quibus coctis & purgatis, adde myrobalanorum flauarum, & Indarum ana drachmas duas, paſſarum purgatarum tritarum vnciam vnam, tamar Indorum vncias tres. Fiat ſyrupus vt diximus.

*Syrupus fumariæ prædictus in vſu eſt huius loco, vt ſyrupus thymi, ſtœchados, eupatorij, epithymi loco decocti eorum mox ſcribendi.*

DEcoctum thymi phlegmagogum, ob id ſenibus, & aliter pituitoſis ſalubre, ventriculum firmat, coctionem iuuat, flatus à viſceribus, & hypochondriis diſſoluit: recipit thymi, caſſuthæ, hyſſopi ana vnciam vnam: paſſarum purgatarum drachmas † viginti: cepularum emblicarum ana vnciam vnã: turbith drachmas quatuor: ſtœchados, polypodij ana drachmas quinque: eupatorij, abſinthij, aniſi, dauci ana drachm. tres: radicum apij, fœniculi ana drachmas ſeptem: coque omnia in libris tribus aquæ ad librarum duarum conſumptionem, cola: adde colato turbith, agarici ana drachmam vnam, zingiberis drachmam dimidiam, macerari noctem ſine, poſtridie cola, & vtere.

† Drachm. quatuor Manard.

DEcoctum myrobalanorum bilem vtranque, & pituitam purgans, recipit myrobalanorum flauarum, cepularum Indarum ana vnciam vnam, tamar Indorum vnciam vnam & dimidiam, fumariæ drachmas octo, abſinthij drachmas duas, pruna triginta, paſſarum purgatarum vnciam vnam, coque in libris tribus aquæ ad duarum librarum conſumptionem, reliquæ libræ dimidio, vel circiter, adde caſsiæ vncias duas, cùm imbecillum voles medicamentum: cùm autem valentius, caſsiæ fiſtulæ vnc. vnam, turbith, agarici ana drach. dimidiam. Præſtantius fiet, ſi cum aqua caſei coquantur.

DEcoctum ſtœchados confert pituitoſis affectibus, vt febribus quotidianis, iuncturarum & neruorum dolori, & frigidæ intemperiei: recipit ſtœchados, origani ana drachmas quatuor. ſeminis apij, fœniculi, eupatorij ana drachmas tres, ſchœnanthi, hyſſopi ana drachmas duas, paſſarum purgatarum drachmas octo, turbith albi arundinacei drachmas quatuor, coque & vtere.

DEcoctum eupatorij hepatis, & lienis obſtructionem, & inde naſcentes dolores, & febres compoſitas iuuat: recipit eupatorij, abſinthij, aſari, ſpicæ, adianti albi, † cyperi rhabarbari, fumariæ, † ſpinæ albæ * Aegyptiæ ana drachm. quatuor, cepularum Indarum ana drach. octo, paſſarum purgatarum vnciam vnam, coque & vtere.

† *Alij Cypri, id eſt, florum liguſtri.*

DEcoctum epithymi atram bilem vacuat, ob id affectibus melancholicis, vt cancro, elephãtiaſi, & cæteris confert: recipit autem myrobalanorum Indarum, ſtœchados, epithymi, paſſarum purgatarum ana vnciam vnam, cepularum, fumariæ ana drachmas quatuor, folliculorum ſennæ drachmas octo, polypodij drachmas ſex, turbith drachmas quatuor, eupatorij drachmas quinque: omnia præter epithymum coquantur in aquæ caſei libris tribus, ad duarum librarum conſumptionem: tunc adde epithymum, & ſemel feruefac: cola, frica in eo ellebori nigri drach. vnam, agarici drach. dimidiã, ſalis Indi aureum vnum, vtere.

† Bedegar.
* *Sucaba.*

*Vtile in morbo Hiſpano, & ab eo vlceribus & doloribus.*

INfuſum aquæ caſei, bilem flauam clementer educendo, ſanguinem purgat: recipit foliorum roſarum recentium completarum vnc. duas, rhabarbari boni aureum vnum & dimidium, ſpicæ drachmam vnam & dimidiam: rhabarbarum & roſæ parum terantur, & macerentur per noctem in ſeri lactis: præſertim caprini lib. duabus, cola, propina: penuria roſarum recentium fit interdum ex ſiccis.

*Serum lactis per ſe ſumptum, ſanguinem reddit puriorem & frigidiorem, quòd acrimonia ſua ſubducat aluum: id multo efficacius præſtat maceratus in ipſo per noctem roſis, lupulo, fumaria, ſumíque tunc poteſt vere ſingulis tribus aut quatuor matutinis ab vncijs ſex ad vncias octo. Si autem rhabarbarum ſimul infuderis, pondere ſufficienti, vt ad drachmas duas aut tres cum pauca ſpica, vel ſchœnantho actionem celerante ſemel ſumpſiſſe ſufficit. Spicam ceu non neceſſariam, & ingratam tollit Manardus.*

INfuſum ſucci herbarum idem potens quod præcedens recipit ſuccorum intybi,lupi,bugloſsi, purgatorum ana vncias octo,in quibus macera corticum myrobalani flauæ vnciam vnam,rhabarbari boni drac.tres,tamar Indorũ vnciam vnam & dimidiam,caſsiæ fiſtulæ vncias tres:fiat vt ſuprà.

INfuſum hieræ ventriculum & caput purgat, proinde amborum doloribus etiam aſsiduis & hemicraniæ confert,ac febribus antiquis:recipit hieræ & aloës ana drachm.quinque, macera decocto eupatorij prædicto ad libram vnam, in vaſe vitreo,inſola dies duodecim aut plures: da ſingulis matutinis vnciam vnam,plus minùs vti opus erit.

INfuſum aliud hieræ purgans humorem craſſum & melancholicum,ob id affectibus cerebri melancholicis ſalubre,recipit hieræ & aloës ana drach.quinque,macera lib.vna decocti epithymi antè deſcripti, vtere vt priore.

INfuſum tertium hieræ phlegmagogum,in aquæ decoctionis thymi libras duas.

*Puluis hieræ picræ Galeni intelligitur,cui aloën præterea addit,qua ratione Galenus aloës interdum drachmas centum,& centum ac viginti,ſingulorum aliorum drachmas ſex addebat,vt valentior eſſet.Id infuſum antiquatis affectibus aliter atque aliter pro vario ſcopo factum eſt vtilius,quàm aquæ balneorum naturalis potæ.Decoctum autẽ commune Italis,& Lugdunenſib.eſt ex partibus æqualibus aniſi,fœniculi paſſarum,glycyrrhizæ,myzorum,zizyphorum enucleatorum,adianti albi,prunorum,hordei mundi,quo medicamenta purgantia leniendo, comprimendo, attrahendo diſſoluunt,præſertim cœlo,& morbo frigido. Calido autem vtroque,diſſoluuntur potiùs decocto partium æqualium paſsarum,glycyrrhizæ,violarum, hordei,prunorum enucleatorum,ſeminum communium frigidorũ purgatorum,in aqua ſimplici.In affectibus verò capitis frigidioribus priori decocto etiam ſtœchadẽ,vel maioranã,vel nucẽ moſchatã addimus:thoracis autem hyſſopum,dactylos, tragacanthum,vel adiantum augemus:ventriculi, cinna-*

*momum,*

*momum, mentam, abſinthium, maſtichen: hepatis eupatoriū, abſinthiū: lienis, tamaricē, cappares, aſpleniū: renū, & veſicæ, radices quinq; vreticas, vel ſemina cōmunia frigida, ſi calidus eſt affectus: & in alijs partibus ſimiliter ea miſcemus decocto, quæ proprietate & particulari reſpectu eas iuuare ſunt comprobata. Delectis tamen ſemper his, quæ guſtatu ſunt gratiora. Loco horum decoctorum medicamēta ſæpe cùm feſtinandū eſt, diſſoluuntur aquis deſtillatis fœniculi, maioranæ, chamæpityos, ſaluiæ, vini in frigidis cerebri & neruoſarum partiū affectibus, aqua fœniculi, menthæ, abſinthij, ventriculi, aqua abſinthij, fumariæ, eupatorij, hepatis, aqua cichorij, intybi, et ſimiliū in calidis hepatis affect. aſplenij, tamaricis, capparum: lienis, aqua hyſſopi, praſij, ſcabioſæ, verbenæ: thoracis, & pulmonis, aqua meliſſæ, boraginis, bugloſsi, roſarū cordis. Decoctū itē radicū quinq; vreticarū elignatarum, & cicerum rubrorum ſaccharatum, aut mellitū, hepatis, lienis, renum, veſicæ obſtructiones potenter aperit, flatus diſsipat, pituitam & humorem melancholicum incîdit, & tenuat. Aqua hordei bilis acrimoniam obtundit, obſtructa aperit, ſudorem mouet, & vrinas, ſi calida bibatur: aluum lenit, ſitim ſedat, ſomnum conciliat, ſi frigida.*

Diacaſsia recipit ſuccorum violæ, betæ, mecurialis maluæ, muralis herbę ana quartarium vnum, ſucci abſinthij pontici vncias duas: coque cum mellis quantitate ſufficienti ad iuſtam craſsitiem, tunc adde medullæ caſsiæ libram vnam. Vtile catharticum pauperibus, etiam diuitum clyſteribus percommodum. Ex ſuccis autem componi malo quàm harum plantarum decocto.

*Diacaſsia triplex pro enematibus in Diſpenſario, ſine autore certo.*

# SECTIO QVINTA, DE ANTIDOTIS, QVAE ELECTARIA VOCANT.

*ELECTARIVM quæ forma antidotarium dicitur, cōpoſitio ſcilicet electa aliquot ſimplicia medicamenta cōprehendens: id quod licet medicamentis omnibus cōpoſitis cōmune eſt (omnia enim delectis ſumma diligentia ſimplicibus perfectiſsimis componi debent, non adulteratis, aut aliter vitiatis & imperfectis) tamen vt antidotorum genus duplex contractum eſt vſu neotericorum. Alterum ſolidum & durū, reliquū molle, nō tamen liquidū. Fit vtrūq; ex pulueribus maximè, ijſq; vel ſaccharo, vel melle, vel vtroq; cōprehenſis, addito etiam melle aëreo, nonnunquàm penidijs, quādoq; miua, ſapa. Quæ quidē ijs miſcentur, non modo vt pulueres per illa comprehenſi faciliùs deuorentur, ſed etiam diutiùs efficaces ſeruentur, & vt dulcorentur, præſertim qui ſunt guſtu ingratiores. Qui enim grati ſunt, iuſculis inſpergi & condimento poſſunt, & ſalis vice ſumi, qualia ſunt Galeno, diatrionpepereon, diacalaminthes, & quæ Meſues prima ſcribit. Poſſunt tamen hæc etiā ijſdem autoribus melle deſpumato excipi, vel etiam Arabum, & neotericorum more, ſaccharo in aqua rei propoſitæ idonea diſſoluto, & ad iuſtam craſsitiem cocto comprehendi, mox complanari, & in tabellas ſolidas, nūc quadratas, nunc quadrangulas, ſed oblongas, nunc rhomboïdes ſecari quas vulgus loZengas vocat, vt oblongas manum Chriſti, à digitorum longitudinis forma. Qui verò pulueres ſapore ſunt ingrato magis, melle omnino vel ſaccharo, vel penidijs, vel miua, vel ſimili ſunt dulcorandi, ſiue ſolidum, ſiue*

*molle*

molle faciendum ſit electarium, quanuis mel & minus mollibus ſint ferè deſtinata, vt ſaccharum & penidia duris. Sic vt pro vncijs tribus pulueris aromatum, & aliarũ ſpecierum tritarum & cretarum, miſceatur libra vna, vel mellis, vel ſacchari, vel vtriuſque ana ſelibra. Quo autem plus horum habet dulciũ, minus eſt efficax, ſed delicatius: ob id libra ſacchari, vt loquuntur, ſyrupizati, & perfectè cocti, hodie vnciam tantùm vnam pulueris ſpecierum tenuiſsimè triti & creti comprehendunt: alij etiam ſemunciam. ſunt qui tantùm drachmas tres vel etiã duas, quando delicatiſsimis hominibus ſcilicet tabellas ſolidas paramus. Creti addo propter amygdalas & ſemina alia gummi, quæ cùm cribrari nequeant, non æſtimantur: ob id in diatragacantho Nicolai quia pauca ſunt creta, vncias tres pulueris miſcemus vni libræ ſacchari, licet gummi aqua violarum vel alia ſcopo idonea meliùs diſſoluatur. Quæ verò electaria mollia tam grata palato quàm ingrata paramus, mellis deſpumati libra vna, & pulueris ſpecierum tribus vncijs, omnino temperamus apud Meſuen & alios, niſi in alicuius gratiã aut mel augemus, aut puluerem etiam vncia vna minuimus, cuius quãtò plus habet medicamentũ, tantò eſt valentius, cùm vis eius omnis à puluere pendeat, cuius parua quantitas mellis, aut ſacchari copia obtunditur. Molle autem ſicco eſt efficacius, quia pulueris plus capit, melius feruet, ægrè expirat, prõptiùs in corpus diſtribuitur. Quapropter vini libræ ſacchari parum coctæ ſunt qui miſcent hodie rhabarbari pulueris, vel alterius vncias quatuor, quinq;, ſex, palati voluptate vtcunq; neglecta, quãdo parũ diu ſeruare libet, ac paucis tabellis magis medicamentoſis æger gaudet potiùs, quàm multis minus efficacibus. Id quod in electarijs quoq; mollibus quidam hodie etiam factitant. Nec fortaſſe alienum à ratione eſt, quòd hodie ſicco electa-

rio, quàm humido minus puluerum miſcemus, quòd in ſubiecto ſicco valentiores appareant, præſertim cum maxima ex parte potentia ſint calidi. Sunt autem qui pulueres electarijs vtriuſque parciùs miſceant, non de palato ægrorum ſolliciti, ſed ſumptum fugientes, præcipuè cùm puluis precioſus eſt, vt in electarijs cardiacis. Quam rem à medicis animaduerti quàm diligentiſſimè vellem. Alij precioſa medicamenta pondere medico appendunt, alia viliora pondere (quod medicũ quoq;, ſed groſſum vocant) tam graui tamen vt vncijs ſuis duodecim (quot libra medica complectitur) æquet podus vnciarũ ſexdecim, quot libra mercatoria & negotiatoria continet. Nec deſunt qui drach. nouem vnc. habet: & octo his precioſa, illis vilia appendentes, hoc ſe modo compoſitioni ſatis feciſſe rati. Quam verò differentiam Arabiſtarum vulgus inter confectionem, hoc eſt, compoſitionem, omni compoſito medicamento conuenientẽ, & electarium ſunt commenti, non ſeruant ipſi perpetuò, vt illa ſolum ſit electarium ſolidum: electariũ verò latiùs pateat, & etiam molle comprehendat. Quam nominũ confuſionẽ planè indicabat Meſuæ interpres, ſcribens confectionẽ de baccis lauri, confectionem alkermes, confectionem pilularum talium & talium, & alibi ſæpe. Sed hæc nominũ portenta ex Meſuẽ de induſtria ſuſtulimus, vt facie paulò terſiore lectorem magis alliciat, & contentũ reddat. Nec tãtum dulcia, & amara ſunt electaria, ſed etiam acida, vt diaprunum, diatamar Indorum Nicolai, & quouis ſapore prædita inueniũtur. Sed ad hos ſapores duos, dulcẽ & amarum, tanquam ad gratum, & ingratum Meſues reduxit, quomodo & odorum ſpecies omnes (quæ Galeno tot ſunt, quot ſaporum ſed non omnes nominatæ) ad ſuaueolens, & graueolens, ſeu odorem gratum, & ingratum reduxerunt maiores noſtri. Nec omittendum eſt, quod cæteris pa-

ri

*ribus electarium molle eſt, valentius eſt ſicco: hoc eſt, ſi pondus idem ſpecierum libra mellis ad molle, libra ſacchari ad durum acceperit, potentius aget molle, quàm ſiccum, etiamſi mox à componendo vtrunque ſumatur. Qua de cauſa hieram mellitam potentiùs purgare cenſuit Gale. lib. ſeptimo methodi. Sed ſi vtrunq; ſeruetur, quod dicimus apparebit euidentiùs nam electaria ſicca initio ſunt valentiora, & quo diutiùs ſeruantur, quia vis eorum promptiùs exhalat ex corpore tabellarum tenui, eò imbecilliora euadunt. Mollia contrà tempore in ſe mutuo agentibus ipſis ſimplicibus & patiētibus à ſuo calore natiuo, tandē coquuntur illa ſua velut fermentatione, tantarū virium, vt medicamentū vires acquirat, non modò his quas recēs habebat cōtrarias, ſed à ſimplicium omniū viribus diuerſas, vnā ſcilicet velut ſpecificā formam nouā adeptum: id quod theriace & opiata multa alia medicamenta Sole clariùs oſtendūt quæ mox vt ſunt cōpoſita, tam valētes habent opij, et aliorum refrigerantium vires, vt ſtupefaciant, & tāquàm partes mortificent, vbi verò poſt menſes aut annos coctionē acceperunt, nunc celeriorem, vt ſi optimum recipit cinnamomum theriace, nunc tardiorē, ſi deterius: iam calefaciunt, & quo diutiùs ſeruata ſunt viribus integris, eò calidiora euadunt, & ſuam velut florētem ætatem oſtentant. Túncque non modò calefaciunt pro ſimplicium ſuorum ratione, ſed etiam valentius, & facultatem ſortiuntur à forma acquiſititia nouam: vt cum ex maza feruendo euaſit fermentum, vires à maza diuerſas omnino nanciſcitur, et ex vino acetū, et ex vino nouo vinū idem vetus, id quod Galenus in theriaca abundè docuit, & in Antidoto Philonis libro methodi medendi. Vt molle item electarium ſicco ſit præſtantius, niſi quando potentiùs ſiccandum, non mediocriter facit promptior ipſius in corpus diſtributio.*

*Vt enim potu quàm cibo impleri eſt facilius, ſic medicamenta quantò læuius trita ſunt & liquidiora, tantò celerius in corpus rapiuntur: tamen pro cuiuſque palato nunc illud, nunc hoc ſumendum eſt, niſi aliud intercedat, quod vnum altero reddat vtilius. Electaria autem tam ſolida, quàm mollia non purgatoria, ſumantur horis duabus ante cibum, ſi apparare humores expulſioni, obſtructiones liberare, vrinas, aut menſes, aut ſudores mouere, crudos in corporis habitu ſuccos coquere debent: horis quoque duabus ante cœnam ſumi poſſunt: quæ verò coctionem iuuant, partes nutritorias roborant, aut etiam cor, illa mox antè vel pòſt, vel etiam inter epulas ſumi poſſunt, vti et analeptica inter cibos ferè ſumuntur. Quæ alimẽti in corpus diſtributionem iuuant, abſoluta in ventriculo coctione. Id quod ex cibi ingeſti quantitate, qualitate, & tempore coniectabis adhæc ventriculi coctricis robore aut imbecillitate conſueta adhæc ructu nullam alimenti prioris qualitatem referente, ventriculi tumore iam ſubmiſſo, & noui alimenti appetẽtia. Quæ cerebrũ roborant mox à cibo, vti quæ os ventriculi reſpiciũt, ſimul enim cũ vapore ex alimentis elato, vis medicamenti ſurſum tolletur. Cerebrum autem roborãtia quidam exhibent horis duabus à cœna: quæ appetentiam inuitant, paulò ante cibum: quæ flatus diſsipant, cruditates & obſtructiones corrigunt, ventriculo vacuo tribus aut quatuor horis ante cibum: quæ coctionem iuuant, etiam inter epulas, & paulò antè, aut paulò poſt cibum, aut etiam mox à cibo, ſed cardiaca ore tenenda. Quæ item hypnotica ſunt, paulò poſt cœnam, hora ſcilicet qua æger per ſanitatem dormire conſueuit, ſumenda ſunt eadem ſtupefacientia ſi ad dolorem ſedandum, aut ſanguinem ſiſtendum, datur horis quatuor, quinque ante cibum ſtomacho vacuo. Purgantia verò manè horis duabus, tribus, quatuor ante*

*cibũ*

*cibum, pro medicamenti viribus tardis, celeribus, & corporis humore multo, pauco, craſſo, tenui, lento, liquido, pleni natura & morbi temperie. Ad annum ſeruari poſſunt: ſed electarium quo vtuntur Reges, ad dies tantùm viginti, aut triginta: nam ranceſcit facilè. Pulueres autẽ miſcendi melli vel ſaccharo modicè refrigeratis, non autem multùm adhuc calentibus, nam aromatum vires calor diſsipat.*

## ELECTARIA GVSTATV IVCVNDA, TRIGINTA SEX,

ELECTARIVM de aromatibus Galeno adſcriptum, ad ventriculi, & hepatis affectus frigidos, ex pituita craſſa & flatibus natos efficax: flatus enim diſsipat, coctionem iuuat: ob id acidos ructus, nauſeam, cibi faſtidium compeſcit, colorem cuti floridum affert, canitiem tardat, oris & ſudoris odorem commendat: ſed hepar & renes immodicè calfacit, ac inde ſemen & venerem promouet. Recipit autem ligni aloës crudi, roſarum ana aureos duodecim, calami aromatici aureos quatuor, galliæ moſchatæ, macis, doronici, piperis longi, nucis moſchatæ, menthæ ſiccæ, ſpicæ nardi, caſsiæ, maſtiches, cinnamomi, caryophyllorum, aſari ana aureos tres: croci, cardamomi maioris & minoris, trium ſantalorum, rhabarbari, coſti, cubebarum, zingiberis, ſeminis, fœniculi, & aniſi, & lyguſtici ana aureos duos, ſacchari vncias ſex, miuæ aromaticæ vncias duodecim, mellis deſpumati, quantum ſufficit. Datur à drachmis duabus vſque ad aureos ſex.

*Hoc medicamentum ex aromatum catalogo commiſtum (vnde nomen habet) valenter calfacit, leniter adſtringit: in vſu eſſe deſijt: neque ignauum fuerit etiam ſi componatur abſque cinnamomo, vel calamo aromatico, cardamomo, ſemine libiſtyci, ſimplicibus etiam hodie in Gallia deſideratis, atque etiam ſine reliquorum bona parte, quando ſingula propè idem pollent: calfaciunt enim, tenuãt incîdunt, tergent: quædam adhæc leniter adſtringendo ro-*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0255-3 DFG

*borant. Hoc antidotum non eſſe Galeni apertè declarant gallia moſchata, nux moſchata, macis, doronicum, caryophylla, ſantala, rhabarbarum, cubebæ, miua aromatica, omnia Galeno ignota, & ſacchari vſus infrequens, etiam ſi non id modò, ſed alia non pauca tam ſimplicia, quàm compoſita Galeno, vel ignota, vel indicta Meſues ex Galeno citet, niſi fortaſſe antidotariū aliquod falſo Galeni titulo circumlatum viderit Meſues, & præter eum Auicennas, & Nicolaus medicus Salernitanus in Antidotario ſuo, tum magno, tum paruo Galenum perſæpe citantes autorem compoſitionum ipſi indictarum. Quanquàm certū eſſe magnum aliquod Antidotarium à Galeno ſcriptum, nondum tamen Latinitate donatum affirmet Chriſtophorus Georgius Florentinus: quod falſum eſſe præter dicta facilè conuincit, quòd eius nuſquam Galenus meminit, nec in numero, nec in ordine librorum ſuorum, nec libris duobus de Antidotis, homo aliâs eius rei ſtudioſus maximè. Rhabarbarū huic ineſt parcius, quàm vt purgare poſſit.*

ELectarium ex gemmis ad frigidos affectus cerebri, cordis ventriculi, hepatis, vteri, efficaciſsimum: nam melancholicos ſine cauſa manifeſta triſtes, timidos, ſolitarios iuuat, exhilarat, ad mores probos inuitat: emendat cordis tremorem, ſyncopen: ventriculum à frigida intemperie imbecillum roborat, & coctione tum eius, tum hepatis meliore reddita, corpus bene coloratum, & odoratum efficit, ob ſumptum. Regibus, & magnatibus magis in vſu eſt. Accipit verò margaritarum albarum drach. duas: † ſaphiri, hyacinthi, ſardinis, granatorū, ſmaragdi fragmentorum ana drach. vnam & dimidiam: zedoariæ, doronici, corticum citri, macis, ſeminis oxymi caryophyllati ana drach. duas: coralli rubri, electri, limaturæ eboris ana drach. vnius partes duas: ben albi & rubri, caryophyllorū, zingiberis, piperis longi, ſpicæ nardi, folij, croci, cardamomi ana drachmã vnam: trochiſcorum diarhodon, ligni aloës ana drach. quinque: cinnamomi, galangæ, zurumbet ana drach. vnam & dimidiam: auri, argenti foliorum ana aureum dimidium:

*† Ab his nomē ſortitur.*

dium:moſchi boni drach.dimidium,ambræ drach.duas.Confice cum†melle emblicato & melle roſato colato ana, vel etiã ſaccharo roſato ſi ſolidum facturus es,non molle. Datur ab aurei ſemiſſe ad aureum vnũ cũ aqua bugloſsi,& vino odoro. †Alij.ſucco.

*Sic parandum eſt hoc electarium ad frigidos dictarum partiũ affectus ſalubre:ad calidos verò,& cũ febre cõiunctos ablatis aromatibus cõponẽdum eſt,niſi datur vt lib.12. meth.Vinum calidũ,odorum,tenuium partium in ſyncope etiam cũ febre,& à bile flaua ſtomachũ mordente: vbi verò ſuccis & ſpiritibus ob tenuitatem,corporis raritatem facilè & multũ difflatis fit ſyncope,vti nec vinum tenue,ſic neque hoc electarium cõuenit,niſi ablatis aromatibus.Rarum eſt in tabernis,& ſi gemmis his facultas aliqua dictis partibus roborandis apta inſit:optimæ gemmæ ſunt læuigãdæ,non fragmenta,& raſuræ quædam veris gemmis ſolo colore affines,& earum vel purgamentũ,vel ſi gignuntur in terra,& aluntur gemmæ metallorum modo(vt chymiſtis placet)gemmarum ſunt velut rudimentum à natura excoli cœptum,nondum abſolutũ.Quanuis autem hos gemmarum pulueres Græci veteres non ſumpſerint:tamen eſſe efficaces Arabum experientia probauit,nec à Græcorum placitis abhorret,cũ etiam integrum iaſpidẽ viridem è regione ſtomachi appenſum,roborare ipſum affirmet Galenus libro nono ſimpl.& margaritæ,& corallium viribus non obſcuris valent.Auri verò & argenti folia,an ad decorẽ addantur tantùm,& ſumptum, oſtentationemq́;,an vires prætereà aliquas medicamento,vt Meſues vult,afferant, docui in ſimplicibus Zurumbet à Zedoaria hic ſeparat:id cũ deſideretur,Zedoariæ illi facultate ſimilis duplum eſt miſcendum.Cũ emblicas recentes habere nõ poſſumus,quarum ſucco pulueres excipias,vt quidam legunt(vt in ſimplicibus dictum eſt,& pòſt in conditis) ex ſiccis vino vel aqua*

pro

*probè maceratis ſuccum exprime. Id electarium ſiccum & puluere Parrhiſijs hodie ſeruatur: poteſt tamen cum ſaccharo in aqua bugloſsi (cui infuſa ſint myrobalani, emblicæ) ſoluto percoqui in formam ſiccam, & ſiccari in offas quadrangulas, vel rhomboïdes, vti cũ melle in electariũ molle.*

*Confectio alkermes vulgò.*

† ELectarium ex granis tinctoriis ad cordis palpitationem, ſyncopen, mentis alienationem, ſeu deſipientiam, mœrorem ſine cauſa manifeſta: facultates enim noſtrum corpus diſpenſantes mirificè roborat. Accipit ſerici ſucco granorum tinctoriorum recenter tincti libram vnam, ſucci pomorũ dulciũ, & aquæ roſarũ ana libram vnã & dimidiam viginti quatuor horis macerandam: deinde pauliſper his incoquendam, donec liquores iſti rubeant. Quos expreſſo & abiecto ſerico coq; cũ ſacchari optimi libra vna & dimidia ad mellis craſsitudinem: ab igne depoſitis, ſed adhuc calentibus miſce ambræ crudæ minutim conciſæ drach. quatuor: qua liquata, iniice puluerem ſequentem, ligni aloës crudi, cinnamomi ana drach. ſex, lapidis cyanei loti, & præparati, margaritarum albarũ ana drach. duas, auri boni foliorũ drach. vnam, moſchi laudatiſsimi ſcriptulum vnum. Datur ab aureo vno ad aureos duos & dimidiũ.

*In ſimplicibus eadem hæc compoſitio in lapide cyaneo à Meſue deſcribitur, ponderibus errore librariorum nõ parum deprauatis. Efficaciſsima multorum etiam Regum ac Reginarum in Gallia teſtimonio eſt probata, maximè in quibus vel longo morbo feſsis, & iam moribundis, vel ab eo reualeſcentibus, natura languet: etiam ſi quibuſdã maximè improbari audiam, dicentibus coccum baphicam ſolũ adſtringere, & ſuo colore rubro ſanguinem, & ſpiritum ſimilitudinis ratione magis ad ſe diſtrahere, & diſsipare, quàm cogendo firmare: præterea lapidẽ cyaneũ vomitu & deiectione purgatorium, naturam turbare tantũ, & humores melancholicos exagitare, ob quantitatem tam exiguam non vacuare. Quæ obiectio momenti nõ eſt maioris: quam de rhabarbaro in electario præcedenti: vtrunque enim largiore copia ſumptum eſt purgatorium, parciore verò, alia ſua*

*ſub*

*ſubſtantia roborat, purgatrice imbecilla ne mouet quidem corpus vel tantillum. Rationabilius obijcerent, hæc purgatoria, cùm inferiora ſunt ob paucitatem, verti in humorem eum quem attrahere nata ſunt. Sed id verum eſt, vbi ſola ſumuntur, non caſtigata aliorum hanc noxam prohibentiũ miſtione. διὰ κοκκῶν βαφικῶν id eſt, ex granis tinctorijs dici poteſt. Sericum autem rufum & crudum tingitur ſucco ex granis tinctorijs recentiſſimis extracto: id triduo ſiccatum maceratur vno die aquæ roſarũ ſolius lib. tribus, vel aquæ roſarum & ſucci pomorũ dulciũ ana lib. vna & dimidia, calfactumq́ modicè in vaſe duplici lauatur, exprimitur, expreſſus liquor cum ſacchari lib. vna & dimidia percoquitur ad mellis craſſitiem, aufertur igni, & calido adduntur quæ Meſues docet. Siccum idem medicamentum vſurpari hodie video.*

ELectarium xylaloës morbos cordis, ventriculi, hepatis frigidos ſanat, & partes ipſas roborat. Ob id cordis palpitationem, ſyncopen ſanat: exhilarat, coctionem iuuat, ac inde & odore ſuo halitum oris cõmendat: accipit autẽ ligni aloës crudi, roſarum rub. ana drach. octo: caryophyllorum, ſpicæ nardi, macis, nucis moſchatæ, galliæ moſchatæ, cubebæ, cardamomi vtriuſq;, maſtiches, cinnamomi, cyperi ſchœnu anthûs, zedoariæ, behen albi & rub. folij, ſerici crudi, margaritarum, corallij rub. ſuccini. citri corticum & foliorum, ozymi caryophyllati, ſiſymbrij aquatici, menthæ ſiccæ, piperis longi, zingiberis, ana drach. quatuor: ambræ drach. vnam & dimidiam, moſchi ſcrip. vnum: excipe melle emblicarum, & miua aromatizata. Datur à drach. vna, ad drach. tres. *Cõfectio ligni aloës.*

ELecta. lætificans, Hamech filij Zachariæ ad affectus cordis, ventriculi, hepatis, quas partes etiam roborat, palpitationem cordis emendat, valenter exhilarat, coctionem iuuat. proindeq́; oris & corporis reliqui odorem commendat, coloremq́ue viuidum facit: accipit verò roſarum, ligni aloës, ana drach. ſex: macis, nucis moſchatæ, galliæ moſchatæ, cardamomi vtriuſque, ana drachm. duas, cinnamomi, croci, ana drach. duas & ſemiſſ. cyperi drachm. quinque: caryophyl. maſtiches,



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0259-8

ſpicæ nardi, aſari, ana drach. tres. Excipe melle emblicarum: aromatiza moſchi granis quindecim. Datur à drachm. vna, ad drach. tres.

*Lætificans compoſitio hæc apud Raſim (quem Hamech filium Zachariæ vocatum quidã volunt) eſt lib. 5. continentis, quibuſdam tamen mutatis: alia eidẽ lib. 9. ad Almanſ. cap. de melancholia, multò præſtantior iſta: alia etiã Meſ. cap. de melancholia: alia Meſ. & Nicolao ex Gale. (quo tamen lib. nondum legi) citata: alia denique Nicolao Salernitano vſu frequeus. Hîc verò deſcripta, quanquàm in vſu non ſit, tamen ad ea quæ pollicetur eſt efficax: harũ omnium loco frequentius vſu eſt elect. lætificans Conciliatoris differentia. 196.*

ELecta. ex citro, cor & ventriculum roborat, coctionem iuuat, oris halitum cõmendat, flatus craſſos diſsipat: accipit autẽ corticum citri aureos viginti: caryophylli, ligni aloës, cinnamomi, macis, galangæ ana drach. duas: cardamomi, zingiberis ana drach. vnam: moſchi drach. quinque: melle excipitur. Datur ad vnc. quinque.

*In vſu non eſt, ſed cortex citri ſaccharo tum liquido, tum ſicco condîtus, ad cordis & ventriculi robur, & coctionem probiorem diligenter manditur per ſe, vel alijs miſtus: odore. n. aromatico & calore mediocri, & tota ſua ſubſtantia dictis partibus confert: huncq́; ſicci loco miſcere præſenti compoſitioni, vt ſit ſuauior, nec minus efficax, præſtiterit Moſchi largior quantitas hîc eſt: ſuffecerit. n. ſcrip. dimid. Adhæc in doſi pro vnc. quinque legerem drach. 5.*

ELect. dulce ex moſcho, ad frigidos cerebri affectus ſine febre, melancholiam & ei connatam triſtitiam ſine cauſa manifeſta, vertiginem, epilepſiam, paralyſin, oris torturã, ſeu ſpaſmum κυνικὸν, cordis palpitationem, pulmonis affectus, & ſpirandi difficultatem. Accipit autem croci, doronici, zedoariæ, ligni aloës, macis ana drach. duas: margaritarum alb. ſerici crudi vſti, electri, corallij rubri, ana drachm. duas & ſemiſſ. galliæ moſchatæ, oximi citrati ana drach. duas & ſemiſſ. been

albi

albi & rubri, folij, ſpicæ nardi, caryophyllorum ana drachm. vnam: zingiberis, cubebæ, piperis longi, ana drachm. vnam & dimidiam, moſchi ſcrup. duos. Excipe mellis crudi quadruplo, vaſe vitreo conde: datur à drach. vna ad drach. duas. Amara autem fiet, atque ad prædicta efficacior, & prætereà ventriculi humores etiam putres potentius abſumet, ſi addantur abſinthij, roſarum ana drach. tres, aloës lotæ drac. quatuor, caſtorij, liguſtici ana drach. vna, cinnamomi drach. vna & ſemis.

*Electarium dia moſchu dulce, multis in vſu eſt: amarum, ob ſaporis ingratitudinem, nulli: humores ac ſpiritus tenuat, atque purgat, principesq́ partes roborat. Margaritarum, non albarum, ſed ambarum quidam legunt: ſcilicet craſſarum, & minutarum, vel integrarum, & perforatarum, quarum craſſæ & integræ præſtantiores ſunt. Datur autem manè horis duabus ante cibum: affectibus quoq; cerebri pulmonisq́ pituitoſis confert, vertigini, paralyſi, apoplexiæ, epilepſiæ, aſthmati. Secunda Actuarij compoſitio dià moſchu viribus eadem cum iſta, licet ſimplicibus multis variet, vt aliorum diamoſchu. Iiſdem propè ſimpl. conſtat elect. ex xylaloë, & idem promittit. Mel quadruplum erit, ſi pul. Creti vnc. tres lib. mellis ſingulis miſceantur: ſit autem id mel purum, aut deſpumetur. Hodie autem elect. fit ſolidum ex ſacch. cocti lib. vna, & pul. vnc. vna. Cõfect. teſticulorum vulpis incondita reiecimus.*

ELect. diagalanga, ventriculi & hepatis intemperiem frigidam ſanat: ob id coctionem iuuat, ructus acidos cõpeſcit, & flatus craſſos potenter diſsipat, atque ab eis natas inflationes: oris halitum commendat, ac gigni prohibet: accipit autem galangæ, ligni aloës ana drach. ſex: caryophyll. macis, liguſtici ana drach. duas: zingiberis, macropiperis, piperis albi, cinnamomi, calami aromatici ana drach. vnam & ſem, calaminthes ſiccæ, menthæ ſiccæ, cardamomi, ſem. apij, fœniculi, cari, aniſi ana drach. vnam: ſacch. albi vnc. decem: mellis deſpumati q. ſ. Datur à drach. duabus ad aureos duos.

*Nunc ferè cum ſolo ſaccharo componitur, aut ſicca ſeruatur, per ſe, aut cum vino decoctionis galangæ horis duabus*

*ante cibum datur: inflationemq́ potenter depellit. Vitanda æſtate, & calidis naturis, ac morbis. Etiam radix ſola hyeme in regione frigida commanſa idem præſtabit.*

ELect. diarhodon commune, ventriculum & hepar roborat, coctionem ob id iuuat, & dolorem horum à calenti & acri, ac mordente bile mitigat: accipit roſarum rub. drach. triginta: trochiſcorum diarhodi, trochiſc. ex ſpodio, glycyrrhizæ ana vnc. dimid. caryophyllorum, trium ſantalorum, galliæ moſchatæ ana drachm. tres: ſpodij, croci, maſtiches, ligni aloës ana drach. duas: aſari, ſpicæ nardi indicæ, macis, cardamomi, ſem. portulacæ, lactucæ, ſereos, ſcariolæ, cucumeris, cucurbitæ, melonis, citrulli, margaritarum alba. ozimi caryophyllati, raſuræ eboris, tragacanthi, gummi Arab. ana drach. vnam: caphuræ drachm. vnam & ſemiſ. moſchi ſcript. dimid. excipe ſyr. roſato, & aqua roſarum: datur ad vnc. dimid.

*Gentili de Fulginco & eius diſcipulo Thomæ de Garbo vſurpatis. Alterū eſt diarhodon Abbatis à Nicolao deſcriptum, alijs in vſu. Elect. molle hoc fingere potes ſolidum pro vario ſumentis palato. Sunt qui hoc releuatis à febribus bilioſis, vt tertianis nothis, eſſe ſaluberrimū dicāt, quia totum ventrem inferiorem, atq; adeò renes ipſos roborat, obſtructa liberat, intemperiē calidam tollit, appetentiam excitat, & ſumitur cū aquis deſtillatis cichorij, eupatorij, &c. pro vario ſcopo. Si verò magis eſt refrigerandum, recens cōponatur, & aromata vel tollantur, vel multum minuantur, vt cum elect. triū ſantal. facultate multū cōueniat: hic autē ſyr. ſeu iulep. roſatus fit ex ſacch. clarificato in aqua infuſiōis roſarū, & aqua roſata: & deinde percocto ad aquarū cōſumptionem, tuncq́ reliqua ſunt addenda, & fiat cōpoſitio, vel liquida, vel in bucellas. De hoc ſyrup. antè actum eſt. Alij lib. quinque aquæ roſarum feruentibus lib. duas roſarū recentium macerant, manibus exprimunt: idem opus iterum & tertiò repetunt: deinde cum ſacchari clarificati libris quatuor aquam hanc percoquunt in ſyrupum.*

Ele

ELect. aromaticum roſatum, cor, ventriculum roborat, appetẽtiam excitat, coctionem iuuat, nauſeam & vomitum ſedat: viſcerum humiditatem excrementoſam abſumit: accipit autem roſarum rubrarum drach. vnam & dimid. ligni aloës, macis, galãgæ, caryophylli, zingiberis: trochiſcorũ diarhodon, nucis moſchatæ, galliæ moſchatæ ana drach. duas & dimid. glycyrrhizæ raſæ vnc. vnam: cinnamomi drachm. tres: cardamomi, ſpicæ nardi ana drach. vnam: ſyrupi roſati & ſyr. corticum citri quantum ſufficit. Sunt qui aromatizant moſchi ſcrip. dimidio. Datur à drach. tribus ad drach. quinque.

*In vſu non eſt, licet intemperaturas frigidas efficaciùs ſanat, quàm quod ſequitur vſu frequentiſsimum.*

ELectarium roſatum Gabrielis, cerebrum, cor, ventriculum, atq; adeò totũ ventrẽ inferiorẽ roborat, appetentiã excitat, coctionẽ iuuat, vẽtriculi humiditatẽ excremẽtoſam & ab ea putredinẽ omnẽ corrigit: ob hæc reualeſcẽtibus & imbecillis mirè ſubuenit: accipit verò roſarũ rubrarũ drach. 15. glycyrrhizæ raſæ drac. 7. ligni aloës, ſantalorũ citreorũ ana drac. tres: cinnamomi drac. 5. macis, caryophillorum ana drach. 2. & ſemiſſem: gummi Arabici, tragacanthi ana drac. 2. & ſcriptula duo: nucis moſchatæ, cardamomi, galangæ ana drach. vnam ſpicæ nardi drachm. 2. ambræ ſcript. duo: moſchi ſcriptulum vnum: ſyrupi † roſati, & ſyrupi corticum citri quantũ ſufficit. † *Seu iulep. roſati.*

*Omnes nutritorias partes, cor, cerebrum roborat, ventriculi totius & ſtomachi imbecillitatẽ ab humiditate multa, & ab ea putredinem corrigit, appetentiam excitat, coctionem iuuat, conualeſcentibus & debilibus mirè ſubuenit. Idem propè pollent apud eundem Meſuen deſcripta, aromaticum minus, ſtomachicum roſatum, aromaticum moſchatum, aromaticum caryophyllatum, aromaticum nardinum, & aromaticum Galeno à Meſue adſcriptum. In vſu eſt frequentiſsimo, parum calet aëre calido, & temperatura calida, tutius eſt prædicto, ſed ferè cum ſaccharo in aqua roſarum ſoluto, forma ſolida coquitur, ſicq́; magis calet, ac ſiccat: delectat tamen, ac iuuat. Melle autem exceptum terget quidem magis, ſed etiam fit calidius.*

O ELect. roſatum minus, cor, & ventriculũ roborat, & eorũ flatus, & ab his inflationes diſsipat: recipit enim roſarũ rubrarũ drac. decem: ligni aloës, ſantalorum citreorũ, ana drac. duas: cinnamomi vnc. dimid. maſtiches ſcriptula quatuor: ambræ ſcript. duo: moſchi ſcript. vnum: ſyrup. roſati q. ſ.

O ELectarium aromaticum moſchatum cerebrum, cor, ventriculum roborat: ob id cõfert epilepſiæ, palpitationi cordis, & syncopæ, ſuffocationi quoque ab vtero: oris odorẽ commendat. Recipit ligni aloës drachm. ſeptem: cinnamomi craſsi drac. decẽ: ambræ drac. tres: moſchi ſcrip. duo: ſyrupi roſati q. ſ.

† ELect. aromaticum caryophyllatum, cor, ventriculum, & reliquum ventrem inferiorem roborat, nauſeã & vomitum ſedat: flatus diſsipat, putredinem humorum in ventriculo arcet: recipit caryophyllorũ drach. ſeptem: macis, zedoariæ, galangæ, ſantali citrei, trochiſcorum diarhodωn, cinnamomi, ligni aloës, ſpicæ nardi, piperis longi, cardamomi, ana drach. vnam roſarum vnc. dimid. glycyrrhizæ, galliæ moſchatæ, ana drach. duas: folij, cubebæ ana ſcript. duo: ambræ, drach. vnam: moſchi ſcript. dimid. Syr. de citro q. ſ. Datur à drach. tribus ad drach. quinque.

*Quibuſdam in vſu eſt, proximum viribus aromatico Gabrielis prædicto, ſed eo calidius: vtendum verò præcipuè coctà & vacuata putri aut frigida ex dictis partibus materia. Quidam cum ſaccharo in aqua roſarum diſſoluto electarium formant ſolidius.*

† ELectarium aromaticum, nardinum, cor, vẽtriculum, hepar, renes, & cætera viſcera roborat, & veſicam: coctionẽ iuuat, ob id oris, & ſudoris odorem commẽdat, flatus diſsipat: tamen veneris appetitum excitat, reſpirationem facit liberiorem. Recipit autem ſpicæ nardi drachmas duas, roſarum rubrarum vnc. dimidiam: cubebæ, ligni aloës, macis, caryophyllorum, cinnamomi, folij Indi, aniſi, corticum citri, trochiſcorũ diarhodωn, & galliæ Sebellinæ ana ſcriptula quatuor: ſtrobylorum, amygdalorum excorticatorum ana drachm. quinque: gummi Arabici, tragacanthi ana drach. duas: moſchi ſcript. dimidium: ſyrup. roſati q. ſ.

*Hæc in trochiſcis declarantur.*

† ELect. diacyminon ventriculum, & viſcera reliqua calefacit: coctionẽ iuuat: flatus in dictis viſceribus natos diſsipat

recipit

recipit autem cymini pridie in aceto macerati & ſiccati drac. decem:zingiberis, cinnamomi ana vnc.dimidiam:caryophyllorum,ligni aloës, macis ana drach.duas & dimid.galangæ, piperis longi,cardamomi ana drac.duas:moſchi ſcript.dimid. mellis deſpumati q.ſ.

*Diacyminō Nicolai minoris cōſtat, & vſu frequēs eſt, præſertim cū ſaccharo forma ſolida, quia gratius quam cū melle forma molli, licet inefficacius. Vtrunq; flatus à pituita craſſa aut frigiditate natos diſsipat: ob id colicos leuat, & ſingultum præfocantem ex plenitudine, præſertim flatuum craſſorum, ructum acidum emendat, obſtructa liberat.*

ALterum electarium diacyminum ad eadem, ſed inefficacius: accipit cymini pridie aceto macerati, & ſiccati drach. viginti: zingiberis, thymi ana drach. tres: piperis, cinnamomi ana drach. duas: ameos drach. vnam & dimidiam foliorum rutæ ſiccorum, nitri rubri ana vnc. dimidiā: excipe melle deſpumato.

*Hoc affine eſt dioſpolitico Galeni, quòd coctionem iuuat, flatus diſsipat: hypochondria turgida & inflata cruditate & flatu liberat, ſi omnia tenuiſsimè trita ſint & cribrata: recipit cymini Aethiopici in aceto maximè acri macerati: poſt modicè frixi in vaſe fictili probè cocto. rutæ modicè ſiccatæ, piperis longi, veri & integri vel albi ana: nitri dimidium, trita miſce: ſiccis vtere, vel melli curioſè deſpumato miſce. Si verò nitri par alijs pondus accepit, & craſsius teritur, aluum ſubducit. Dioſpolites quaſi Iouis ciuem dicas, vocatur Paulo, lib. 7.*

*Dioſpoliticum lib. 4. ſan. tu.*

ELectarium Dianiſon, intemperiem frigidam ventriculi à pituita cruda, vel etiam flatibus ſanat, & tuſsim diuturnam à frigida cauſa genitam: recipit aniſi drachmas viginti: glycyrrhizæ, maſtiches ana vnciam vnam: fœniculi, cari, macis, galangæ, zingiberis, cinnamomi ana drach. quinque: trium piperum, calaminthes, pyrethri, caſiæ ana drach. duas: cardamomi, caryophyllorum, cubebarū, croci, ſpicę nardi ana drac. vnam & dimidiam: ſacchari vncias duas: mellis deſpumati q.ſ. Diacymino calidius: cætera idem pollet. †

* ELectarium Diambra, cerebrum, cor, ventriculum, ac ventrem reliquum inferiorem calfacit & roborat, exhilarat, coctionem iuuat, affectibus vterinis, & omnibus alijs frigidis prodeſt, ſenibus ob id ac mulieribus ſalubre: recipit verò cinnamomi, doronici, caryophyllorum, macis, nu. moſchatæ, folij, galangæ ana drac. tres: ſpicæ nardi, cardamomi vtriuſque ana drach. vnam: zingiberis drach. vnam & dimidiã: ſantali, citrei, ligni aloës, piperis longi ana drach. duas: ambræ aureum vnum: moſchi drach. dimidiam: excipitur ſyrupo roſato, & aqua roſarum: datur aureis tribus, aut quatuor.

*Vel cum ſacchari libra vna in aqua roſarum ſoluta, & pulueris vnc. vna fiat electarium ſolidum vel ſiccum, vt ferè fit. Forma etiam ſolida cum ſaccharo in aqua roſarum ſoluto paratur, precioſum eſt, ac efficaciſsimum: ſpiritus & multos, & puros efficit: calorem natiuum ſenibus auget: mulieres ob intemperiem frigidam humidam, ſteriles reddit fœcundas.*

O ELectarium de cinnamomo coctionem iuuat, etiam pituitæ putredinem prohibet, diſtributionem alimenti in corpus promouet: recipit cinnamomi ſubtilis drachmas quindecim, cinnamomi craſsi, cymini, enulæ campanæ ana vnciam dimidiam: galangæ drach. ſeptem: caryophyllorum, piperis longi, cardamomi vtriuſque, zingiberis, macis, nucis, moſchatæ, ligni aloës ana drach. tres: croci drach. vnam: ſacchari vnc. quinque: mellis deſpumati q. ſ. vel ſacchari læuiſsimè triti duplo ad pulueres tenuiſsimos pondere excipiunt, & ſiccum ſeruant. Quidam moſchi ſcript. duo miſcent puluerando, vt cerebrum & cor magis roboret. Datur à drach. vna ad drachmas duas.

*Electarium de cinnamomo dulcem pituitam in ventriculo, & primis venis coquens, & appetentiam excitans eſt inuſitatum. Dignum tamen in vſum recipi, præſertim ſi puluere illo ſaccharato eſcæ ſpecierum vocatarum loco cõdiantur.*

O ELectarium de baccis myrti, ventriculum & hepar firmat, eorumque coctionem iuuat, ob id lienteriæ & dyſenteriæ hepaticæ confert, recipit autem baccarum myrti tenuiſsimè tritarum libram vnam: myrobalanorum nigrarum, belleri-

carum

carum, emblicarum in aqua cydoniorum, & vino odorifero ſemel feruefactarum ana drach. ſeptem: ſeminum aniſi cymini, apij aceto horis vigintiquatuor maceratorum & ſiccatorum ana drachmas quinque. Additur id totum electario de aromatibus: excipitur miua aromatizata. Datur cum ſyrupo decoctionis cydoniorum.

ELectariũ diacalaminthe Galeni, humores craſſos & lentos tenuat, flatus etiam craſſos diſsipat: ſingultum inde natum vehementem ſoluit coctionem & alimenti in hepar & corpus reliquum diſtributionem peculiariter iuuat: affectus partium ventris inferioris frigidos ſanat, & rigores febrium, ſpinæ illita vrinas: & menſes mouet. Recipit autem calaminthes fluuialis & montanæ, ſeſeleos, petroſelini, liguſtici ana drach. ſex: zingiberis drachmas tres: ſeminis apij, ſummitatum thymi ana drachmas duas: piperis nigri vnciam vnam & dimidiam: melle deſpumato excipe: da ad drachmam vnam. †

*Hoc etiam Auicennas 5. canone ex Gal. ſumptum deſcribit, idem cum Meſue, niſi quòd pro thymo miſcet xylobalſamũ: ſed vterq; à Galeni diacalaminthe receſsit nõ modo põdere, ſed etiam quòd hîc pro pulegio, calaminthẽ fluuialem communi Arabum errore ſcribit, & Zingiber addit: cætera Galeno conſentit: vſui eſt interdum Italis. Quod verò Nicolaus deſcribit, hodie magis eſt in vſu.* Lib. 4. ſani. tuen.

ELectarium dia trion pepereon commune ſtomachum & ventrem calfacit calore ſuo coctionem iuuat: ob id ructus acidos curat, & compeſcit dolores ventriculi à pituita multa craſſa, cruda: recipit trium piperum ana aureos quinque: zingiberis thymi, anyſi, ana aureos duos: ſpicæ nardi, amomi ana aureum vnum: caſiæ, aſari, enulæ ſiccæ, ſeminis apij & ſeminis ſeſeleos, ana aureum dimidium, melle deſpumato excipe. Datur à drach. vna ad drachmas duas. †

*Hæc compoſitio ponderibus & multis ſimplicibus adiectis, quam damnat Gal. à Galenica differt. In vſu eſt frequenti quibſdam, purgato prius corpore: calida ſicca eſt ad gradum tertium: pituitam crudam & flatus ab ea craſſos vacuat, & gigni prohibet. Electaria de cydonijs, pomis:* Lib. 4. ſani. tuend.

*perſicis,fructibus ad condita hinc transtulimus.*

Diacalaminthe.

*Anti.diacalaminthe Gal.libr.quarto ſanitatis tuendæ, coctionem imbecillam iuuat, & alimenti in corpus diſtributionem,craſſa tenuat,lenta incîdit & terget,ciet menſes & vrinas,flatus diſsipat,rigores febrium arcet ſpinæ illitum. Recipit calaminthes Cretenſis aut ex regionibus editis pulegij Cretici,petroſelini Macedonici,ſeſeleos Maſſilienſis ana vnc.duas:ſem.apij, cacuminum thymi Cretici vel ex regione alta & ſicca ana vnc.quatuor, libyſtici vnc.ſexdecim:piperis grauis vnc.quadraginta octo.Quod lignoſum eſt ac durũ,ex herbis abijce, & folia tenuiſsima & virentiſsima, & in ſummis herbis nata accipe.Flores itẽ,& cum his feſtucas herbarũ minutiſsimas,omnia ſimul tundãtur,cribrẽtur tenui cribro, vt in totũ corporis habitum maximè digerãtur,& citiſsimè ſiccũ repone,& ſalis vice vtere in obſonijs: ptiſſana & alijs vice piperis, vel melle optimo curioſè deſpumato excipe. Meſues ac Nicolaus paucis mutatis vel adiectis Galenum ſequũtur ſuo diacalamento,*

Diapipereō.

*& Actuarius,niſi quòd pondera multum immutat. Ant. dia trion pepereon,Gal.lib.quarto ſanitatis tuendæ dandũ eis,qui malè coxerũt,ob recens ventris frigus, & ſuccũ pituitoſum,ac cruditatẽ in primis venis habẽtibus, recipit autẽ trion pepereon ana drac.quinquaginta,aniſi Cretici, thymi Attici,zingiberis non pertuſi ana drac.octo.Hoc eſt ſimpliciſsimum minimumq́ medicamentoſum ac ex parum varijs compoſitum: ſimplicius adhuc, ſi tollas zingiber: compoſitum magis,ſi aniſi,thymi,zingiberis ana drachm. ſexdecim miſceas. Actuarius pondera mutat ſemen lini addit,melle excipit: Alterum medicamentoſius ad fluxiones à capite in pectus:recipit ammi,ſeſeli,libyſticum, enulam, ſpicam nardi, caſiam. Qualis propemodum eſt Meſuæ deſcriptio, niſi amomum, cinnamomum, aſarum, apij*

*ſemen reciperet, & ponderibus variaret: melle deſpumato idem excipit. Galenus mellis non meminit. Eo adhuc paulò medicamentoſius eſt apud Nicolaum, ob additum melanopiper, leucopiper, macropiper, maratrũ, hyſſopum, crocum, trochiſcos hedicroos, bethonicam, rutam, vt interim ponderum varietatem omittam.*

ELectarium de ſeminibus coctionem iuuat obſtructiones aperit: ob hæc lienteriam ſanat, & dolores viſcerum à flatibus excitatos placat, recipit ſeminum, cymini, aniſi, fœniculi, cari, dauci, ameos, apij, amomi, aceto horis viginti quatuor maceratorum & ſiccatorum, ana drachmas ſex. cinnamomi, zingiberis, macropiperis, ſeſeleos, galangæ, ana drachmas. quinque: cardamomi. ſpicæ nardi, caryophyll. ana drach. quatuor: libyſtici drach, tres: melle deſpumato excipiuntur, vel duplo ſacchari adiecto puluis fit leuiſsimus.

*Omnia loco ſpecierum vulgò dictarum vſurpãtur, ſimile viribus diacymino, ſed calidius, obſtructaq́; valentius aperit: eſt enim efficaciſsimum, & quibuſdam in vſu. Quod à Serapione in Antidotario deſcribitur, parũ ab hoc differt: plurimũ autem quod Auicennas deſcribit quinto canone, vti & quod Gal. & cæteri Græci vocant διὰ σπερμάτων.*

*Electarium de prunis vt cætera de fructibus, in condita reiecimus.*

ELectarium Regium, cerebrum, cor, thoracem, ventriculum roborat: ſtrobylorũ excorticatorũ vnc. octo: amygdalarum ſimiliter purgatarũ vnc, ſex: ſacchari libras quatuor: aquæ roſatæ libram vnam & dimidiam: olei amygdalarũ dulcium recentis, & roſati, ana vnc. tres: cinnamomi drac. octo & ſemiſſem, caryophyllorũ, & ſantali citrei ana drach. tres: ligni aloës drach. quatuor: ambræ drach. vnã moſchi ſcrip. dimidiũ.

*Ab hoc tolle oleum, ne ſit vomitorium ſi vti libet.*

ELectarium Regium alterũ, idem pollet: nam ipſum complent ſtrobylorum excorticatorum vnc. ſex: amygdalarum dulciũ etiam delibratarum vnc. quatuor: aquæ roſarum lib. vna & dimidia: roſarum rubrarum vncia vna & dimidia ſantalorum citreorum drachmæ tres, & dimidia: ſacchari lib.

quatuor, ambræ drach. vna: moſchi ſcript. ſemiſſ.

*Vſui eſſe poteſt ſublatis ſantalis ferè ingratis, aromatibus etiam diminutis, & in eorum locum ſemine cucurbitæ & melonum addito, vel alio, pro varijs ſcopis.*

O ELectarium de oxalide Galeno adſcriptum ad intemperaturam calidam totius, vt in febre æſtuoſa, vel ſolius ventriculi aut hepatis ſyncopem, cordis palpitationem, ebrietatem recipit xylaloës, cubebæ ana vnciam dimidiam: roſarum rubrarum, coralli rubri, margaritarum albarum, ſantali citrei, auellanæ Indicæ, ana drachmas duas: baccarum oxyacanthæ, ſeminis citreoli, ſeminis cucurbitæ, ſem. cucumeris, ana vnc. ſemiſſ. ſem. oxalidis, ſem. portulacæ, & bugloſsi, ana drachmas tres & ſemiſſem, ſpodij, electri, gummi Arabici, tragacanthi ana drachmas tres: boli Armeni drachmam vnam & ſemiſſem: caphuræ drachmam vnam: excipe ſucco citri aut omphacij coctione inſpiſſato: datur à drachmis duabus ad vnciam dimidiam cum aqua frigida.

*Galeno id malè tribui indicant ſantala & caphura, & auellana Indica, cubebæ, ſpodium Arabum, id eſt, ebur vſtum (nam Græcorum ſpodium, id eſt, cinerula, metallicum eſt excrementum pompholygi congener in corpus non recipiendum) margaritæ nuſquam quod ſciam, Galeno appellatæ vel vſurpatæ.*

## ELECTARIA AMARA.

† THeriaca antidotus diateſſaron, id eſt, ex quatuor, ad affectus frigidos, tum cerebri, vt epileſiam, paralyſin ſpaſmum cynicum, id eſt, oris torturã: tum ventriculi vt inflationem, & ab eo dolorem, tardam coctionem: tum deniq; hepatis, vt hydropem, cachexiam, obſtructionem, præterea morſui ſcorpionis, & potioni veneni confert. Recipit autem gentianæ, baccarum lauri, myrrhæ, ariſtolochiæ rotundæ, ſingulorum portionem æqualẽ: trita curioſè omnia melle† deſpumato excipiuntur. Datur ab aureo dimidio ad aureum vnum.

*Antiqua et vtilis compoſitio.*

*†Mel ſit quadruplũ ad ſpecies hîc, & in ſimilibus.*

*Theriaca dicitur, quia valet ad morſus ferarum: addito ebore diapente faciunt Abſyrtus & Vegetius mulomedici, iumentis ſeruandis ſaluberrimum, à circunforaneis pro magna theriaca paßim venditur.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0270-5

Tρυφέρα antidotus Sarracenica magna, coctionem ventriculi & hepatis ſuo calore iuuat, ob id flatus diſsipat, humores in ventriculo,& aliis viſceribus putres abſumit: oris & corporis reliqui odorem & colorem commendat,laſsitudinem tollit,ſanitatem præſentem tuetur,& morborum generationem prohibet,venerem auget,hæmorrhoïdas ſanat. Recipit autem myrobalanorum,cepularum Indarum,emb.bellericarum, citrearum ana drach.quinque,cinnamomi,trium piperum,eryngij,folij,ſpicæ nardi,cardamomi vtriuſque,caſiæ, lepidij, cyperi: apij,linguæ auis, caryophyllorum,behen vtriuſque,zingiberis,ana drach.duas: nucis moſchatæ,macis, ſeſami excorticati ana drach.tres:amygdalarum ambarũ ana drach.quinq;:ligni aloës, maſtiches,rhabarbari,ſeminis fœniculi,ana drach.duas:ozimi,menthæ ſiccæ, origani Perſici ana drachmam vnam & ſemiſſem. Myrobalani fricentur cũ butyro recenti:cæteræ ſpecies cum oleo amygdalino,melle excipiuntur omnia,datur à ſeſquidrachma ad drachmas tres:addunt aliqui turbith drach.quinque,moſchi drach.vnius partẽ quartam,ſeu grana quindecim.

*Tryphera Sarracenica Nicolai Gallis eſt vſitatior. Tryphera autem,id eſt,delicatæ,dictæ videntur per antiphraſim: ſunt enim ob amaritudinem ingratæ. Arabum inuentum eſſe oſtendunt myrobalani, & alia quædam: alij hominem iuuenem reddentes interpretantur. Annos duos ſeruant: poſſunt cum ſacchari lib. vna in vnciam ſolidum fieri electarium.*

TRyphera antid.moſchata eadem promittit, quæ prior, ſed imbecilliùs: recipit verò myrobalanorum, cepularum nigrarum.emb.bell.piperis nigri & longi,zingiberis,caſiæ,ſpicæ nardi,ana drachm.quinque: ſeminis anethi, ſeminis porri,ana drach.duas: ſeminis dauci,roſarum rubrarum,cinnamomi, nucis moſchatæ,caryophyllorum,ana drach.vnam & dimidiam:macis,cardamomi maioris,galangæ,ligni aloës, moſchi,ana,drach.vnam: ſeminis naſturtij drachmas decem: excipitur melle deſpumato: datur à drach.duabus ad drach. quatuor:adduntur interdum ſcoriæ ferri nutritæ drach.duæ.

TRyphera antid.Galeni eadem omnino promittit: recipit omnium myrobalanorũ ana drachmas decem,zingibe

giberis & maſtichis,cinnamomi,caryophyllorum ana drach. ſeptem: galangæ,ſpicæ nardi,aſari, croci,ſem.fœniculi,aniſi, apij,ameos ana vnciam dimidiam:coſti,piperis nigri & longi, caſiæ ana drach.tres:nucis moſchatæ, cardamomi vtriuſque, macis,calami aromatici, ligni aloës ana drach.duas: †behen albi & rubri,rad.piperis,cyperi ana drachmas tres & ſemiſſem:ambræ drachmam vnam:moſchi ſcript.vnum.fricentur myrobalani cum oleo amygdala.dulcium: melle deſpumato omnia excipiuntur.Scoria ferri in aceto nutrita aliquando additur à Galeno ad menſuram omnium, vel dimidij. Datur à drach.vna ad duas.

† *Alij, ſantali.*

*Non eſſe Galeni,indicant ſimplicia Galeno indicta & incognita, myrobalani, ambra, moſchus, galanga, caryophylla,nux moſchata,macis.*

O TRyphera antid.minor Phenonis,ventriculum,hepar,renes,veſicam roborat:ob id fluorem alui,hæmorrhoidũ, menſium,immodicũ cohibet:ſanguinis corruptionem & cruditates,& in ventriculo putredines humorum emendat,colorem bonum reddit,ac formæ corrumpi cœptæ vitium redimit:accipit autẽ myrobalanorum cep.Ind.beller.embl.nucis moſchatæ,ana drach.quinque,naſturtij, aſari,origani,perſici, piperis,thuris,ameos,zingiberis, fructus tamaricis,ſpicæ nardi,ſchœnu anthûs,cyperi,ana vnc.dimidiam: ſcoriæ ferri diebus quinq; in aceto nutritæ drach.viginti:myrobalani,aſſentur in butyro vaccino,& cætera inuoluantur oleo amygdalarum dulcium:aromatizentur moſchi drach. vna, melle deſpumato excipiantur. Poſt ſex menſes datur à drach. vna,ad drachmas tres.

*Ex his omnibus ſola ferri ſcoria & fructus tamaricis apertè adſtringunt,ſpica nardi, & alia quædam imbecilliter. Eademq; multò plus calore ſuo, & eſſentiæ tenuitate menſes ac hæmorrhoidas promouerint, quàm adſtrictione leui ſteterint: ob id in hos affectus duos ea omnia tollerem, vel horum partem bonam, neque ſolum pondus minuerem. Ad affectus alios frigiditati ſuccedentes, & menſes, vt vocant, albos eſſe poßit ſalubris, non autem ad eos qui calo-*

*rem*

*rem ſequuntur: nam putredo humorum & formæ corruptio, qualis in elephanticis, calorem ferè ſequitur, rariùs caloris imbecillitatem: licet hac miſtione integra mirificè valere ad menſium corruptionem & fluorem eorum, ac hæmorrhoidum immodicum vſu ſuorum affirmet autor Luminaris maioris. Scoria autem in aceto nutritur, dum eo diu maceratur, aliquoties mouendo, vt docemus in nutritione lib.2. pharmacopœiæ.*

TRyphera alia minor ventriculum & hepar firmat, lienteriæ confert & hæmorrhoidibus malignis, & formæ corruptæ. Fit ex myrobal. cepularum Indarum, beller, embl. ſingularum portione pari: hæ butyro vaccino inuolutæ fricẽtur, melle emblicarum excipiantur: aromatizentur moſcho. Addunt alij ciperi, thuris, aſari, ſeminis apij & naſturtij, ana ſcripulum vnum: ſcoriæ ferri nutritæ partes.

TRyphera Perſica, quòd apud Perſas experta ſit cõtra febres acutas, intemperiem calidam ventriculi, hepatis. Morbis omnibus ex humorum vſtione natis confert, in Aeſtate peſtilenti, & Autumno: ſitim ſedat: icterum calidum ex obſtructione ſanat, hypochyſim à vaporibus bilioſis viſui incommodantem diſcutit. Recipit autem ſuccorum ſolani, intybi, apii, lupuli, purgatorum, ana libras duas. Quibus immitte violarum recentium, aut ſiccarum libram vnam: folliculorũ ſennæ, vncias duas, agarici, vnciam vnã, pruna Damaſcena, quinquaginta: caſſuthæ, ſemunciam: myrobalanorum, cepularum, citrearum, Indarum, frixarum in oleo violato, aut amygdalarum dulcium, ana drach. duas: ſpicæ nardi, drachm. tres: coque igni prunarum lento, donec libra vnica ſuperſit: cui iniice epithymi drachmas quadraginta. Myrobalani autem oleo amygdalarum dulcium merſæ, ſemel ferueſiant: tollantur ab igne, colentur. In parte colati diſſolue tamar Indorum recentium vncias tres: mannæ ſeſcunciam: pulpæ, caſsiæ vncias quatuor: ſacchari violati vncias duodecim: cola, vt munda ſint à ſeminibus, & aliis: in parte reliqua, & aceti libra vna, coque igni lento ſacchari albiſsimi libras tres. Adde quod priùs in ſuccis eſt diſſolutum: miſce, percoq; ad mellis craſsitudinem. Poſtremò adde paulatim rhabarbari boni vncias duas: myrobalanorum citrearum ſeſcunciam: cepularum & Indarum ana vnciã vnã: belle

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0273-2
DFG

bellericarum, emblicarum ana drach. quatuor: ſeminis fumariæ, trochiſcorum, diarhodωn, macis, maſtiches, cubebarum, ſpodij, ſantali, citrei, ſeminum quatuor, ana drach. duas, & dimidiam: aniſi drach. quatuor, ſpicæ nardi drachm. duas: inuoluantur oleo violato, & reponantur vaſe vitreo. Datur ad vnc. cum aqua frigida, & ſucco intybi, vel ſolani.

*Hæc antidotus tryphera, id eſt, delicata, vſu rara eſt, opinor quòd ſimplicibus multò paucioribus nobis licet affectũ idem aſſequi: præterquàm quòd componendi modus & longus eſt, & negotij plenus. Præterea myrobalanis recẽtibus caremus, à quibus vis plurima medicamenti expectatur: quanquàm & ſimplicia alia quamplurima recipiat, quæ bilem vtranque, & præcipuè atram, aut expulſioni apparent, aut etiam trahant, & vacuant, vt interim taceam miſta refrigerantia non pauca, & quædam partibus principibus robur afferentia.*

* DIacurcuma magna, ventriculi, hepatis, lienis, morbos frigidos, ob id diuturnos, ſanat: & quæ his ſuccedunt ſymptomata, obſtructiones, hydropen, cachexiam, colorẽ corporis fœdum, humorũ in ventriculo corruptelã, à flatibus craſsis inflationem: dolorem quoq; renum & veſicæ à cauſa frigida, vel obſtructione mitigat, vrinamq; prouocat. Recipit autẽ croci, aſari, ſeminum petroſelini, dauci, aniſi, apij, ana vnc. dimidiam rhabarbari, mei, ſpicæ nardi, ana drac. ſex: coſti, myrrhæ, caſiæ, ſchœnu anthûs, carpobalſami, rubiæ, ſucci abſinthij, ſucci eupatorij, olei balſami, ana drach. duas: calami aromatici, cinnamomi, ana drac. vnam & ſemiſ. ſcordij, ſcolopendrij, ſucci glycyrrhizæ, ana drachmas duas & dimid. tragacanthi drach. vnam: melle deſpumato excipitur. Datur à drach. vna ad drach. tres.

*Δὶ ἐρυθροδάνȣ Græcis poteſt vocari: nam curcuma eſt Arabicus, ἐρυθρόδανον, id eſt, rubea: alijs placet curcuma eſſe chelidonium, à cuius colore flauo huic antidoto ſit nomẽ, vel corruptè pro διὰ κρόκȣ, quem capit largiorem.*

DIacurcuma minor idẽ pollet, ſed imbecilliùs: recipit ſpicæ nardi, myrrhæ, caſiæ, croci, ſchœnu anthûs, coſti, cinnamomi, ana: melle deſpumato excipiuntur.

*Hæc*

*Hæc ab vſu receßit, & quæ maior, & minor, tã Auicen. quinto canone, quàm Serapioni in antidotario ſcribitur.*

DIamoruſia præſtat quæ diacurcuma: nam affectus ventriculi, hepatis, lienis frigidos proindeq́; chronicos ſanat, hydropem, frigidam ventriculi intemperiem, ac inde natam crudorum ſuccorum copiam & dolorem: recipit autem croci, acori, ana drach. duas: myrrhæ, drachm. tres: baccarum lauri, drach. duas & dimid. dauci, cinnamomi, caſiæ, cymini carmani, carpobalſami, ſchœnu anthûs, ſem. apij, aniſi, cardamomi, ſpicæ nardi, menthæ ſiccæ, marrubij, ameos, ana drach. vnam: coſti, trium piperum, ana drach. vnam: melle deſpumato excipitur. Datur à drach. vna ad drach. duas.

*Electarium hamoruſia dicitur Auic. 5. can. & Serap. in Antidotario.*

DIalacca magna ventriculum & hepar roborat, hepatis obſtructiones aperit, eius ſchirrum diſſoluit, & ex his naſcentem cachexiam & hydropem ſanat, vrinas mouet, lapidemq́; renum & veſicæ frangit: recipit laccæ lotæ, rhabarbari, ana drach. duas: ſpicæ nardi, maſtiches, ſchœnu anthûs, coſti, myrrhæ, croci, cinnamomi, bdellij, ſeminum apij, aniſi, ameos, fœniculi, ſucci abſinthij, ſucci eupatorij, ſabinæ, aſari, ariſtolochiæ, gentianæ, hyſſopi ſiccæ, amygdalarum amararũ, rubiæ, ana drach. vnã: & dimidiã, piperis nigri, zingiberis, ana drach. vnam: myrrham & bdellium vino infunde, cætera tere, omnia melle deſpumato excipe. Dabis ab aureo vno ad aureos duos.

*Διακαγκαμὸν Græcis diceretur: id gũmi ſæpe adulteratur, ecq́; infectores paßim vtuntur, ſericum colore Kermeſino tincturi. Hæc tutior eſt, quàm diacurcuma. Lauanda autem hîc lacca decocto ſchœnu anthûs, & ariſtolochiæ, vt eſſentiæ tenuitate aſſumpta valentiùs aperiat, calida pr. gr. ſicca ſecundo. Cymas, ſeu ſummitates ſchœnu ſuſtuli, quòd hæ cum floribus ſumantur, quibus ſunt inferiores.*

DIalacca minor, eadem poteſt, ſed inefficaciùs: fit ex laccæ lotæ, croci, coſti, ſchœnu anthûs, rubiæ, ariſtolochiæ longæ, glycyrrhizæ, piperis ana drach. vna & dimidia: rhabarba. drachm. tribus: myrrhæ, bdellij, ana drachm. vna, miſtis vt in priore.

*Actua*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0275-4

*Actuario deſcribitur διὰ λαχάρ duplex, ex his duabus fere ſumpta: vt hæ, & aliorum aliæ, ab vſu receſſerunt.*

ELect. ex rhabarbaro, obſtructiones potenter aperit, & inde natos affectus, icterum, febres putridas etiam inueteratas, formæ corruptionem ſanat. Recipit rhabarbari, ſucci eupatorij, ſucci abſinthij, ana drach. quinque: myrrhæ, croci, drach. vnam: ſpicæ nardi, aſari, caſsiæ, ſchœnu anthûs, fumariæ, ſem. aniſi, apij, amygdal. amararum excorticatarum, ana drach. dimidiam: melle deſpumato excipe.

ELect. diacoſton, obſtructa viſcera liberat, & inde natum dolorem mitigat: hydropem gigni cœptum, perfici prohibet. Recipit coſti amari, caſiæ, cinnamomi, ana drachmas quinque: aſari, drachmas quatuor: rhabarbari, ſchœnu anthûs, ſeminum apij, aniſi, ana drachm. tres: croci, ariſtolochiæ, myrrhæ, ana drach. duas: mellis deſpumati q. ſ.

ELect. à nobis inuentum, ventriculum & cæt. viſcera roborat, & calfacit: ob id linteriam, diarrhœan, dyſenteriam hepaticam, & alios dictarum partium affectus frigidos ſanat, & immodicam medicamenti purgantis vacuationem ſiſtit, & hæmorrhoidas: flatus quoq; diſcutit: recipit ligni aloës, galliæ moſchatæ, ſpicæ nardi, cyperi, calami aromatici, ana drachm. duas: cymini Carmeni, aceto vigintiquatuor horis infuſi & aſſati, drach. tres: ſeminis porri torrefacti drach. vnam & dimid. emblicarum & bell. ſucco intybi infuſarum & toſtarum, nucis moſchatæ ana drach. duas & ſemiſ. ſe. naſturtij toſtorum drach. ſex: ſem. vuarum drach. quinque: ſem. myrti tenuiſsimè tritorum drachm. viginti ſex: balauſtij, concharum vſtarum, thuris, fructus tamaricis, ana drach. duas & ſemiſ. ameos drac. tres Tere omnia, & frica in vino odorato, & ſicca, frica iterum aqua cydoniorum, aut baccarum myrti, & ſicca: iterum tere ſubtiliſsime: excipe miua aromatica: dātur drach. tres cum ſyrupo cydoniorum, aut myrtino.

ELecta, alterum confirmans, ventriculum, & viſcera alia roborat, fluorem alui à cauſa calida, vel medicamento nimis purgante ſiſtit, appetentiam excitat: recipit nucleorum myrti læuiſsimè tritorum vnciam vnam & dimidiam: roſarū, ſpodij, rhu, trium piperum, ſantali, balauſtij, gummi aſsi, ana drach. vnam & dimid. granorum granatorum aſſatorū drach. ſeptem: coriandri infuſi in aceto & aſſati vnc. ſemiſ. ſeminis

roſā

roſarum, ſe. oxalidis, ſem. plantaginis, ana drac. duas: trita probè omnia frigantur ex omphacio, vel ſucco myrti, & aceto, ſiccenturq;: excipiantur deinde miua acetoſa. Dãtur drachmæ duæ vel tres cum ſyrupo cydoniorum acidorum.

ELect. alkanzi, ventriculum & hepar calfacit, & roborat: ob id appetentiam excitat, coctionem iuuat, flatus diſsipat, vomitum pituitoſum, & ab eo virium diſſolutionẽ emendat: recipit autem roſarum, coſti, ſpicæ, ana vnc. dimid. florum granati ſylueſtris vnc. vnam: nucis moſchatæ, calami aromatici, caryophyllorum, macis, cardamomi, ana drach. tres & ſemiſ. zingib. drach. duas: myrobal. Indarũ, embl. bell. ana drac. ſex: granorum myrti lib. vnam: balauſtij, thuris, corticum citri, fructus tamaricis ana vnc. ſemiſ. Feruefiant ſemel omnia in vino generoſo antiquo, pòſt ſiccentur: feruefiant deinde ſemel in ſucco cydoniorum, exſiccenturque in vaſe terreo vitrato: terantur tenuiſsi. miua excipiantur. Dantur drach. tres cum ſyrupo cydoniorum. O

ELect. ex laſere ad febres antiquas, & circuitu repetentes, vt quartanas quotidianas, ſomnum grauem, tremorem, venenoſos morſus: recipit liquoris Cyrenaïci, piperis, myrrhæ, foliorum rutæ ſiccorum, ana vnc. dimidiam: melle deſpumato excipe. Datur à drachma vna ad aureum vnum in febre cum oxymelite per horam ante acceſsionem: contra venenũ, cum vino calido. O

*Vtile eſt hoc electarium in declinatione vniuerſali quartanæ, horis duabus ante acceſſionem, ad drachmam vnam & dimidiam cum vino tenui calido, Malo opum Cyrenaicum vulgò, aſſam aromaticam (quam dictum beniouin quidam putant) miſcere, ſi proba habetur, quàm Medicam, vel Parthicam virus olentem, ob id aſſam fœtidam vulgò dictam. Proba autem fuerit ſubrubra, ſplendida, myrrham referens odore, non porrum, & ſolutu facilis in album colorem.*

ELect. anacardinum ad ventris totius inferioris & cerebri affectus frigidos, ſanguinem reddit puriorem, & inde ſpiritu animali reddito purgatiore & tenuiore, ſenſus omnes, apprehenſionem, intellectum, & memoriam iuuat, coloremque † *Cõfectio anacardina.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0277-6 DFG

viuidum corpori tribuit. Recipit autem piperis nigri & longi, myrobalanorum, cepularum, embl. bell. Indarũ, caſtorij, ana drachmas duas: coſti, anacardi, melanthij, ſacchari boni, ana drach. ſex: cyperi drach. quatuor: tere anacardos per ſe: deinde alia excipe butyro vaccino & melle ſimul coctis portione æquali. Datur poſt ſex menſes ad drachm. duas cum aqua fœniculi & apij: quo ſumpto, vitabis laborem, iram, coïtum, ebrietatem.

*Et cætera immodicè calfacientia & vacuantia, quia calidiſsi. eſt ſolisq́ multùm frigidis ſecurum. Nam ſpiritibus accenſis, febres excitat diarias, à quibus ſæpe tranſitur in putrida, vel hecticas: ferè autem vſurpatur ad febrem excitandam in morbis frigidioribus. Datur autem poſt ſex menſes, cùm ſcilicet vis anacardorum feruendo expirauit, antè nanque vti eſt periculoſum. Ant. dianacardon Act. ad vertiginoſos, comitiales, difficulter ſpirantes, & ileoſos, menſes pellit, incipientem hydropem, & cachexiam ſanat: recipit anacardiorum, epithymi, acori, piperis, ſaxifragæ, maſtiches, iridis, myrobalani, ſingulorum quadrantem: croci, caſiæ, folij, ſpicæ nardi, mei, agarici, iunci odori, rhei, ſingulorum ſeſcunciam: aloës ſextantem, caryophyllorum vnciam vnam: mellis quantum erit ſatis. Mel verò anacardinum, id eſt, cui incocti ſunt anacardi recentes & relicti, vſu frequens eſt, in compoſitionibus præſertim, vt pòſt leges.*

Hactenus electaria, nunc antidoti opiatæ ſcribendæ.

† ANtidotus Philonis efficaciſsima, & expertiſsima ad ſedandos vehementes & lethales partium dolores, ventriculi, cœli, hypochondriorum, hepatis, lienis, renum, vteri, excitatos à crudis humoribus, aut flatu craſſo, aut amborum cauſa intemperie frigida: valet etiam ad ſuffocationis periculum, ſingultum vehementem, vrinæ difficultatem: ob hæc à morte impendente vindicat. Recipit autem piperis albi, hyoſcyami albi, ana drachmas viginti: opij drachmas decem: croci drachmas quinque: ſpicæ, pyrethri, caſtorij, ana drachmam vnam:

mellis

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0278-1 DFG

mellis deſpumati quadruplo omnium excipe: addunt aliqui moſchi ſcriptulum vnum. Datur quantitas ciceris, aut fabæ paruæ, cum liquore aliquo conuenienti.

*Sic Philo medicus Tharſenſis præſtantiſsimus ſcripſit elegiaco carmine eleganti, ſed ænigmatibus de induſtria obſcurato, apud Galenum libro nono comp. phar. ſecundum partes: niſi quòd euphorbium habet, Meſues vero caſtoriũ: in cæteris & ponderibus idem ſunt. Hoc ferè primum anodynorum antidotorum celebre extitit. Huic autem quidam ademerunt, alij addiderunt, nonnulli etiam ponderibus euariantes, magnum fecerunt numerum antidotorum anodynorum principalium, quæ etiam antidoti colicæ vocantur, ab affectu maximos dolores experiente. Ex aromaticis tamen dictis medicamentis Philo ſolam nardum impoſuit. Qui verò illius ætate extiterunt, alius aliud, nonnulli plura adiecerunt, vt ſchœnu anthos, caſiam, cinnamomum, amomum, coſtum: alij loco croci crudos humores & diſpoſitiones crudas coquentes, alia etiam coquentia, myrrham, caſtorium, iniecerunt: alij etiam ſemina hæc, ſeſeleos, apij, aniſi, cumini, dauci, petroſelini, ameos, vt medicamenti amari ſuauitatem obtunderent, vtq́; medicamentum faciliùs diſtribueretur, & vrinas moueret, & humores craſſos, ſi eſſent, tenuaret. Hoc Philonis medicamentum, & ſi-* Galē. ibidē.
*milia, poſt annum à compoſitione ſumenda ſunt, ad annum vſque decimum: ad quod vſque tempus ſtupefaciendo ſenſum partis, dolorem tollunt efficaciter, pòſt languidis ſunt viribus. Gal. lib. 12. meth. Doſis eſt adultis, auellanæ ma-* Paulus.
*gnitudo: minoribus, fabæ: pueris, ciceris: cum potione conuenienti. Quidam addunt moſchi ſcrup. vnum. Aëtius, Paulus, Oribaſius, Actuarius, Meſues, ſic vt Philo componunt: niſi quòd Paulus, & Actuarius, & Meſues piperis albi inijciunt drac. viginti: Oribaſius vigintiquinq́; hyoſcyami*

autem drachm. viginti Meſues & Oribaſius, ſed Paulus drach. octo: & Meſues caſtorium pro euphorbio miſcet: excipitq́; mellis deſpumati libr. duabus. Philonis medicamentum aliud facit Meſues in opere medico, cap. de ſputo ſanguinis longè ab hoc diuerſum, quod Perſicum appellat. Hæc antidotus frigiditate immodica neruorum ſpiracula (per quæ ſpiritus animalis ſentiendi & mouendi vim tranſferens diſtribuitur) contrahit, & denſat: ob idq́; illi ſpiritui viam præcludit, quomodo compreſsio violenta & diuturna neruorum à vinculo, ſeſsione, innixu, tumore aliquo præter naturam. Vbi verò partes ſentire deſinunt, dolere non poſſunt, cùm citra ſenſum tactus dolor non fiat, vt docet Hippocrates in lib. de Nat. humana: & Gale. lib. de elementis. Hac ratione dolores omnes ſedare opium, & ex eo compoſita, dicitur, abuſiuè ſcilicet loquentibus, cùm propriè anodynum ſit nequaquam. Hi verò dolores: præſertim colici, ſæpe tam ſunt vehementes, vt quoſdam ſyncope ſuſtulerint: a-
Li.12.meth. lios ad conſciſcendam ſibi mortem impulerint: ob id Philonis antidotus à morte liberare dicitur. Opiata, & ob opium ſtupefacientia medicamenta ante ſextum menſem non vtenda, poſt ſex annos imbecilla ſunt. De vſu recto huius & ſimilium Galenus abundè lib. 12. methodi, & aph. 31. lib. 6. Dolores oculorum, &c. & nos lib. 3. noſtræ methodi. Quamuis dolores hos à cauſa frigida procedentes iuuet Philonis antidotus, tamen quia diſpoſitionem horum cauſam auget, parum tuta eſt in his affectibus: nec adhibenda: niſi ſumma neceſsitate; in calidis verò diſpoſitionibus dolores tutiùs ſedat, & horum ſæpe cauſas vnà abi-
Li.12.meth. git. Cùm multis ex cauſis ex ſpirandi difficultate adueniat ſuffocationis periculum, id cui eſſe remedio hæc antidotus ſcribitur, videtur eſſe, quòd à cordis, aut pulmonis incendio prodit: vt æger ſcilicet efflare magis, quàm expi-

rare

rare cogatur, & citò multum inſpirare. Nec ſingultum ab intemperie frigida ſedare videtur, ſed eum quem mordax, & calidus humor, vel piper, vel aliud excitauit, præſertim quibus os ventriculi eſt magis ſenſile, qualem ſingultum Galenus ſæpe ſe expertum ait. Vrinæ difficultatem intellige, quæ ob lotij mordacem multum acrimoniam fit, ſiue ea ſit à pure, ſeu bile, ſeu arenulis, ſeu pituita ſalſa, ſeu calculo veſicæ, ſeu qualitate alia lotij mordente. Dum enim ſenſum veſicæ ſtupefacit, non doletur, ſed periculoſus eſt vſus, quia vt virium aliquid retineat, quando ad veſicam ventum erit, ſumi vehemens, aut largum, & partibus quas permeat noxium, oportuit: niſi per meatum vrinarium inijcias. Sed neque in his diſpoſitionem ſanat: ſed datur vt quieſcente interim dolore vires omnes multum preſternente per apprehenſionem, ſpiritus animales conquieſcant & ſomno etiam conciliato inſtaurentur. Quibus iam confirmatis, nec alijs diſsipatis, æger poſsit diſpoſitionis remedia ſuſtinere. Eadem ratione in ardentibus, & mordentibus vrinis ſemen papaueris, hyoſcyami, & ſimilia hodie miſcent apozematis, conditis, & alijs horum remedijs. Alterum eſt Philonicum antidotum Meſuæ in ſputo ſanguinis, quod Perſicum vocat, fortè quòd in Perſide ſit inuẽtum: quomodo Nicolaus ſuum Philonium vocauit Romanum, quòd Romæ in vſu celeberrimo fuerit. Præter dicta Philonij huius medicamẽti opera, hæmorrhagiam omnem potenter ſiſtit, ſiue ſputo fiat, ſiue vomitu, ſiue ex vtero, vel hæmorrhoïdibus. Somnum item conciliat, & per ſe refrigerando, & per accidens ſopito dolore ſomnum interrumpente. Vtendum verò non eſt Philonium, nec aliud opiatum ante menſes à compoſitione ſex, & horis quinque ante cibum eſt ſumendum, vacuo ſcilicet omnino ventriculo, & factis prius totius vacuationibus idoneis. Caſtorium

Libr. 3. loc. aff. cap. 7.

*omittit Galenus. Vide lib. 9.compo.ph.local. Pueris datur ciceris quantitas: debilibus, fabæ paruæ: grandioribus & robuſtis, auellanæ.*

ALia Philonia antidotus deſcripta ab Hamech filio Zachariæ, earundem virium: recipit melanthij, caſtorij, piperis, ameos, baccarum lauri, cymini, foliorum rutæ, calaminthes, opij, hyoſcyami, cortic. rad. mandragoræ, partes æquales, melle excipe. Alij ſcribunt opij partes duas: croci partẽ vnam. Datur à drach. duabus ad aureos duos.

*Videtur in hac deſcriptione crocus deſiderari, quam coniecturam & ſuſpitionem ingerit alia lectio: & certè ſi crocum, & alia habet æqualia, eſt præſtantior. Priorem verò latiùs ſum perſecutus, quòd hæ antidoti opiatæ medicum deſiderant prudentem, non autem temerarium in dando, vbi opus eſt: neque formidoloſum, ſi eius vtendæ neceßitas contigerit.*

ZAzenea frigidam intemperiem ſanat, flatus diſsipat, & ſedat inde natos dolores ventriculi, cœli, vteri, dentium: vrinæ item difficultati medetur, & fœcundas facit mulieres, potum, & peſſo cum lana & oleo liliorum collo vteri impoſitum. Recipit caſtorij, opij, piperis macropiperis, galbani, coſti, cinnamomi, phu, mei, dauci, aſari, croci, æquales partes: excipitur melle deſpumato: aliis ſapa. Datur aureus vnus.

*Purgato corpore, & cocta quadantenus materia, denti dolenti imponi poteſt ter quater die, ſed non diu, vt per horam tantùm, citráque deglutitionem, ne opium ſimul deuoretur. In ſterilibus etiam ob vteri intemperiem frigidam, quæ ſemen extinguit, aphoriſ. 62. libr. 5. Peſſo inditur ſemel in die per horas tres, aut quatuor, & alijs diebus aliquot ſequentibus idem. Nam nouaſſe periculum eſt propter opium, cuius vim calida in partes deducũt: frangere omnino non poſſunt niſi tempore longo. Ob id tutius, id eſt ab anno poſt compoſitionem ſecundo ad ſeptimum: ſed in dolore*

*den*

*dentium à ſexto menſe vſurpari poteſt ad ſenſum obtundendum. Manardus hoc ſæpe vſum ſe contra hanc ſterilitatem ſcribit non infeliciter. Alij Azaranij antidotum: alij egeteam: alij ſageneam vocant.*

Athanaſia magna, obſtructionem hepatis & lienis liberat, dolorem ſedat, tum dictarum partium tũ ventriculi, renum, hæmorrhoidũ, quomodo Philonium antidotum. Thoracem pulmonesque expurgat, ob id aſthma & antiquam tuſſim iuuat, hæmorrhagiam, diarrhœam, lienteriam antiquam dyſenteriam cohibet. Hepar autem lupi, quod tota ſua ſubſtãtia morbos hepatis iuuat, huic miſtum Galenus voluit. Nã recipit hepatis lupi, eupatorij, croci, myrrhæ, caſtorij, coſti, cardamomi, ſpicæ nardi, opij, papaueris nigri, hyoſcyami albi, cornu dextri capræ, vel (vt alij legunt) cerui, portiones æquales terenda terantur, & alia in vino liquefiant: excipe omnia melle deſpumato, & poſt ſex menſes vtere ab aureo dimidio ad aureum vnum, cum vino dulci & grato, aut cum ſapa & ſucco intybi, & apij.

*Effecta antidoto Athanaſiæ contraria tribuit Meſues, vti theriacæ, & alijs opiatis medicamentis. Nam quæ obſtructionem liberant, hæmorrhagiam et vacuationes alias ſiſtentibus ſunt contraria. Item ſenſu ſtupefacto dolorem ſedare, & craſſa lentaq́ ex thorace expectorare, cauſis pugnant. Illud enim frigidi cogentis opus eſt, hoc calidi dilatantis: accedente vi tenuante incîdente, tergente. Sed id facilè recipies, vbi medicamentum hoc, vt alia eius generis multa, animalium more temperiem per ætates mutare didiceris: ſed contrario illis modo. Nam animalia primò, calida ſunt: poſtremo, frigida. Hæc verò medicamenta primò frigida, deinde calida euadunt. Effecta igitur frigoris efficit à ſexto menſe ad annos tres, cum aqua plantaginis, intybi, roſarum, ab anno tertio, ad decimum: victa iam frigidorum vi à calidis: ſumpta cum vino dulci, ſapa, ſucco apij. Athanaſiæ antidoti, & ambroſiæ, paſſim meminit*

*Galenus in libro ſanitatis tuendæ, & methodo: in quibus theriacæ eas comparat: ſed non deſcribit, niſi quòd Mithridatis athanaſiam, antidotum ab hac multùm diuerſam, ſine hoc hepate deſcribit lib. 2. Antidotorum: ob id, an hepar lupi athanaſiæ miſceri voluerit, compertum non habeo. Quid autem de hepate lupi cenſuerit Galenus in hepatis affectibus, in noſtris ſimplicibus abundè expreßimus.*

*Cornu cerui & capræ vſta, & ſi opus eſt, lota idem pollere docet Galenus lib. vndecimo ſimpli. & lib. quarto c. ph. p. Athanaſia autem .i. immortalis, dicitur, vel quod longo tēpore efficax perduret vel potiùs quòd homines à morte, ex venenoſorum ictu, morſu, vel cauſa alia malefica vindicet, quæ vis eſt præcipua Athanaſiæ Mitridatis, à qua vel ſimili iſta videri poteſt denominata, quæ magna quoque dicitur, quòd pluribus conſtet ſimplicibus, quàm parua Serapioni & Haly etiam deſcripta, & Auicennæ, ex quo hæc deſcripta eſt. Quæ autem à Nicolao deſcribitur, eſt adſtringentior, & conſuetior. In Athanaſia Pauli ex Oribaſio ſumpta, cornu nulla eſt mentio. Superſtitioſum autem eſt dextrum potiùs quàm ſiniſtrum imponere.*

DIaſulphur confert febribus diuturnis vt melancholicis phlegmaticis: thoracem ac pulmones purgat pituitâ craſſa lentâ purè: ob id tuſsim antiquam & difficultatem ſpirandi inde natam leuat. Splenis duritiem minuit, & inde natum hydropem: vrinas mouet, calculum frangit: morſibus venenatis, & poto iam veneno prodeſt. Recipit autem piperis albi & longi, ana drach. ſex: ſulphuris flaui, thuris, mei, hyoſcyami albi, myrrhæ, ſtyracis, cardamomi, ana drach. octo: rutæ, coſti, caſiæ, ana drach. quinque: opij, mandragorę, ana drachmas tres: croci, drach. duas & dimidiam: melle deſpumato excipe: poſt ſex menſes vtere.

*Fuerit hæc antidotus efficacißima ad ea, quæ pollicetur. Sulphur viuum autem vbique Galenus prædicat: hic citreum, ſeu flauum, quod ignem expertum videtur: quem-*

*admodùm & viride, pallidum, & cineritium in cannas coniectum, & ab his formatum. Optimum exiſtimarim, quod chymiſtæ ſublimando (vt loquuntur) purgant & tenuant, odorisq́; & ſaporis inſuauitate exuunt. Opera prope omnia hîc adſcripta ſulphur ſolum præſtat, vt vires eius legenti in noſtris ſimplicibus patebit. Tamen quæ illi adduntur, actiones eius reddunt meliores, quorum plurima venenis reſiſtunt. Sunt & in eo ſtupefacientia quædam miſta potiùs, vt aliorum valenter calentium vehementiam frangant quàm vt ſtupefaciant: ita, vt vis eorum paucorum ſexto menſe fracta, multis calentibus elanguerit. Magnam verò vim habet in dolore renum, & ſpirandi difficultate.*

Confectio ex ſtyrace, alui immodicum fluorem bilioſum aut pituitoſum ſiſtit: tineſmum à cauſa frigida natum ſanat. Recipit ſtyracis liquidi, opij, aſari, hyoſcyami albi, caſtorij, croci, myrrhæ, thuris, partes æquales: melle ſufficienti comprehenduntur.

*Per ſtyracem liquidum à Meſue intelligi miſcellã quandam grauem & ſomniferam putat Manardus ex Dioſco. & Gal. antidotis.*

# DE MEDICAMENTIS PVRGANTIBVS COMPOSITIS.

MEDICAMENTA purgantia ſunt quædam aloë, alia colocynthide, alia turbith, nonnulla ſcammonio, alia aliis. De quibus ordine nobis dicendum eſt, primùm de hieris.

*Quædam non ab vno tantum ſimplici purgatorio purgandi vim obtinẽt, ſed à pluribus. Quæ verò ſimplicia ſint Meſuæ purgatoria, libro ipſius ſecundo docuimus.*

Hiera picra, id eſt, amara Galeni, facul tatibus multis inſignibus efficax. Si quidem calfacit, tenuat, incídit, terget, ſiccat, obſtructiones aperit: humores, ac flatus prauos, craſſos, lentos, poris corporis tanquàm ſpongiæ cauernulis imbibitos ſeparat: digerit, expurgat commodè. Magis autem purgatrix eſt cum aloë illota, ſed minùs roboratrix: contrà verò
Gal. lib. 7. meth. quæ cum aloë lota paratur, minus aluum ſubducit, magis ventrem roborat: affectibus capitis, ventriculi, hepatis, renum vteri, iuncturarum, & cæterarum partium frigidis, mirè confert, humorem ab his partibus frigidum, aut putrem vacuando. Recipit cinnamomi, maſtiches, aſari, ſpicæ nardi, carpobalſami, croci, xylaloës, caſiæ partes æquales, aloës duplum pondus omnium. Quidam addunt ſchœnu anthos: alij abſinthiũ: alij alia. Quidam melle excipiunt: alij ſine melle in trochiſcos fingunt cum aqua bdellij, & tragacanthi.

*Antidotus hiera, id eſt, ſacra ab operibus diuinis & mirabilibus, picra, id eſt, amara, ob aloën, vnde & hiera dialoës etiam dicta eſt, Galeno deſcribitur libro ſexto ſanit. tuendæ: libro ſeptimo meth. & lib. ſecundo, & octauo comp. ph. p. ad purgandum maximè ex ventriculo, inteſtinis, venis meſaraicis bilem flauam, & pituitam non modò tenuẽ, tunicis ventriculi altius infarctam: ſed promptius eam,*
Lib. 7. met. *quæ in eius ſpatio innatat. Cùm autem vis eius purgatrix hepar non ſuperet, qua ratione affectibus frigidis capitis, & aliarum partium tam remotarum cum Meſuæ conferet?*

feret? Vt phlebotome à toto corpore vacuat, non primo, ſed ſuccedente in locũ vacuati ſanguinis alio ſanguine ex reliquo corpore, ſic vacuato per hieram vẽtre inferiore, ſucceſſione quadam aliarum partium excrementa aut mole ſua ruere, aut vi partium expultrice mitti videntur: nec alienum fuerit ab hiera, ſi non valenter, ſaltem leniter trahi, vt momento vacuandi ſemel accepto, ferri in ventrem perſeuerent: quod in clyſteribus paulò acrioribus ſæpe fieri probauit Galenus. Quæ res tibi ſi nõ ad plenũ ſatisfacit, in memoriam reuoca ventriculi actionem toti corpori communẽ. In quo ſi multa eſt excrementoſa materia, ea chylo miſta, in corporis dictas partes cum ſanguine tandem diſtribuitur, & partes ipſas tali excremento onerat. Si verò contrà excrementis omnibus his bilioſis, pituitoſis, putribus omnino vacuus eſt ventriculus, & perfectiùs coquet, & alimentũ in corpus purum tranſmittet. Quo partes ſingulæ velut recreatæ, & meliores redditæ, quod in ſe habent excrementoſum coquent, ſi coqui habile eſt: aut ſi tota ſua ſubſtantia eſt ab alendo iam alienum, excernent. Omitto ventriculi cum cerebro conſenſum maximum, & oculis. Vis igitur hieræ huius à Gale. non inuentæ (nam multis ante ipſum annis celebrata eſt, vt ex lib. c. ph. p. colligere potes) ſed vſu crebro celebratæ, eſt maxima. Sicq; Romæ Gale. tempore parabatur: Cinnamomi, xylobalſami, aſari, ſpicæ nardi, croci, maſtiches Chiæ, ana drach. ſex: aloës drach. centum. Sed centum drachmæ ipſius, magna nimis menſura eſt viſa Galeno aliorum proportione lib. 2. comp. ph. p. Ob id præſtantius medicamentum feceris, ſi minus aloës inycias, vt drach. nonaginta, qua tanquàm optima, ſe vſum Gale. aſſerit. Interdum drachmas octoginta miſcebat, cùm gratiorem, ſed calidiorem volebat: interdum contrà etiã centum & viginti, cùm purgantẽ magis. Aloẽ autẽ non lota, magis

Lib.7.meth.

magis

*magis vacuat: lota, magis roborat, vetrem minus vacuat. Crocum item parcius miſceri vult Galenus, vt drachmas quinque: præſertim quibus medicamento vtentibus crocum caput ferit odore, vti nobis ante miſtionem. His etiam ſuffecerint croci drachm. quatuor. Sex verò croci drachmas Galenus miſcebat mulieribus malè per menſes purgatis, & aloës drach. octoginta, & carpeſium loco aſari: interdum vtrunque. Vtebaturq́; non in his ſolis quibus dolet caput per conſenſum ſtomachi ab humore bilioſo morſi, ſed etiam in his, qui ſuffuſionum phantaſmata et ſymptomata patiuntur ex ſimili ſtomachi affectu, & quibus aluus ſupprimitur, & quibus ructus eſt fumoſus. Cinnamomi penuria inijce optimæ caſſiæ duplum quæ nihil virtute ab inualido cinnamomo abeſt, à generoſo multùm ſuperatur. Quidã carpobalſamum loco xylobalſami: alij vtrunq;, alij etiam xylaloën, caſiam, ſchœnu anthûs addunt. Doſis ſumma eſt drac. vnius cum aquæ cyathis tribus: minima eſt ſemidrac. alijs in medio pro ætate, corporis magnitudine, conſuetudine: ſeu minima eſt vnius cochlearis parui, mediocris, duorum paruorum: maxima, duorum cochlearium magnorum cum aquæ temperatæ cyathis duobus aut tribus: aut in catapotia fingitur. Dat Aët. à drach. vna ad drach. duas. Hodie eius ſiccæ (quæ vtilior eſt) etiam vnc. dimid. cum drach. vna diaphœnici ex hydromelite etiam mulieri innoxiè propinari vidimus. Gal. item vel ſiccum puluerem exhibet vel melle exceptum, vt gratior, durantior, purgantior: licet tunc ventrem minùs roboret, quia mel ſtomacho malum eſt, & roborantium vim diſſoluit. Meſ. puluerem tacuit, trochiſchos expreſſit: alij quoque in catapotia fingunt, quòd propter multam aloës amaritudinem ægrè puluis ex vino, vel iure pulli, vel aqua hordei, vel alio liquore deuorari queat: nec multò facilius cum melle excepta eſt hiera hæc,*

Lib. 4. loc. aff. cap. 1.
Lib. 1. loc. aff.

Lib. 2. cõp. ph. p. lib. 7. metho.

ſiue

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0288-7
DFG

*ſiue bolis deglutienda ſit, ſiue liquore (vt puluis ſolet) diſſoluta. Adde quòd catapotia ex hiera ob moram in ventriculo longiorem à remotis partibus trahere magis poſſunt: minimum, ſi potu deuoratur. Nam ſic à ventriculo celerrimè & effluit, & expellitur. Si bolo autem ſumitur, vt cōſiſtentia, ſic mora in ventriculo, & viribus in vacuando eſt media. In hac antidoto autem ſola eſt aloë purgatrix, & tam imbecilliter, vt vix hora pòſt duodecima vacuare incipiat, duretq́; eius vacuatio interdum ad horas viginti quatuor. Quæ cōſuetudo eſt tardiùs & imbecilliùs vacuantium, cùm valentia mox vires ſuas exerant, & non multò pòſt terminent, niſi quantitate immodica hypercatharſin moliantur. Cùm autem Gale. hiera ad cinnamomi, maſtiches, aſari, ſpicæ nardi, croci, xylobalſami, ana drachm. ſex addat aloës drach. centum, drach. vna ſicca probè purgat, cum vulgaris officinarum hiera hæc ſicca drach. vna & dimid. parum ſit efficax, quòd aloën ad omnia ſimplicia ſimul ſumpta duplam tantùm miſceant: cùm apud Gale. ferè ſit tripla: nam pro aliorum ſex ana drach. ſex, quæ ſunt triginta ſex, miſcet Gale. aloës drach. centum, & interdum centum viginti. Quæ verò Gale. hiera melle excepta eſt, vnc. vna mediocriter purgat, in qua ſunt pulueris drach. duæ. Cùm enim tribus pulueris vncijs miſcenda ſit lib. vna mellis, in tribus autem vncijs drachmæ ſunt viginti quatuor: in libra, vnciæ duodecim, ſequitur vt in qualibet hieræ mellitæ vncia ſint propè pulueris drach. duæ. Addidi propè, quòd pulueres ipſi cum melle iuncti pondus augent.*

*Cur autem mellita Galeno purgatoria magis dicitur, quàm ſicca, leuiter attigi in Meſuæ aloë libro ſecundo.*

*Ab hac autem hiera velut antiquiſſima incœpit. In quam xylaloën, & caſiam inuexit: & pro xylobalſamo, carpobalſamum. Actuarius autem pro ſpica, xylocaſiam.*

Albuchaſis. *Mel verò quantùm ſpecies, vt vnc.tres. Huic hieræ, & alijs medicamentis, quorũ aloë eſt baſis, miſcẽdum quidam contendunt, & hieram Iulio aut Iunio faciendam, in hordeoq́ ſepeliendã volunt per ſex menſes, vt fermẽtentur. Aeſtas alioqui vires ei adimit, nec vtendam ante hanc fermentationem ſeruariq́ integras omnes hieras à ſex menſibus ad annos quatuor.*

*Hiera Andromachi initio lib.8.c.ph.p.*

*Schœnu anthûs, xylobalſami, maſtiches, croci, nardi Indici, aſari, cinnamomi, ſingulorum drach.ſex: aloës lotæ drach.centum: ſimul læuigata reponito, datoq́ ieiuno à cochleario vno ad duo, cum aquæ frigidæ, aut calidæ cyathis à duobus ad quatuor: alij ſingulorum ſex drach. octo miſcent: alij aloës drach. octoginta: multi præter illa ſex etiam ſchœnu anthûs addunt. Aſclepiades Andromacho conſentit, niſi quòd aloës ſimpliciter ſcribit, & horum ſimpl. vnc. vnam, id eſt, drach. octo, vel drach. ſeptem & ſemiſſem miſcet, & oxobalſamum pro xylobalſamo, & ſchœnu anthûs omittit. Aloën quidam cum Andromacho lotam, alij illotam ponunt: cũ lota minùs aluum ſubducat, quia multũ virtutis medicamentoſæ lauando deponit, ſed tunc conueniet magis febri non valida, ſed admodũ remiſſa laborantibus, quibus etiam hieram ex aloë illota citra euidentem noxam multi dederũt, in alijs febribus noxam maximam ex ea ſunt experti. Nam aloë etiã lota eſt maximè aduerſa his, qui intemperie calida & ſicca laborant ſine prauis humoribus: deinde his qui ſicca & frigida: in totum his, qui ex ſolis qualitatibus partẽ aliquam habent vitiatã. Nam intemperies cum humoribus medicamentis illos vacuantibus indigent, quæ ſine humoribus ſunt, à medicamento ex aloë in marcorem omnino perueniunt. Vbi igitur humiditas praua ventriculi tunicas irrigat, picra ex aloë vtilis eſt,*

*humiditatem vacuãs prauã, quæ nauſeam maiorẽ aut minorem excitat. Eam autẽ noxiam humiditatẽ ſola aloë vacuat ſua vi purgatoria non valente, ſed quæ ex ventriculi regione quæ attingit, vacuare poſsit: ſi tamen largior ſit exhibita, ad iecoris partes peruenit: non tamen vacuat totum corpus aloë. Hiera quoque ipſa valet ad purgandũ ventriculum prauis humoribus, præcipuè tenuibus & bilioſis, & coctionem impediẽtibus, iuuat etiã ventriculum intemperie humida citra humorẽ laxatum, vt ligamenta, ſeu nerui colligantes articulorum laxantur: omnium autem præſtantiſs. eſt remediũ his qui bilem altius inter tunicas ventriculi receptam habẽt. Datur etiam tutò phlegmone ventriculi iam cocta, poſt declinationem ſcilicet, nullo autem phlegmonis tempore. Hieram picram alij habent ſiccam, alij melle non cocto modicè exceptam. lib. 5. ſanit. tuend.*

HIera Hermetis cum dracunculo maximarum & certiſ. eſt virium ad cephalalgiam, hemicraniam, vertiginẽ, paralyſin, epilepſiam, tremorẽ, ſpaſmũ cynicum, dolorem colicum, nephriticum, vterinũ, arthriticum. Vacuat enim humores tam tenues, quàm craſſos & lentos à capite, ventriculo, neruis, iuncturis & reliquis partibus. Recipit autem aloës vnciam vnam, trochiſcorum Alandhal aureos octo: turbith, agarici, dracunculi vtriuſque ſicci, iridis, ſagapeni, myrobalanorum, cepularum, citrearum, Indarum, ana ſeſquidrachmam: zingiberis, cinnamomi, maſtiches, bdellij, ellebori nigri, euphorbij, aſari, caſiæ ligneæ, ſalis Indi, caſtorij, croci, apij, liguſtici, cocci gnidij, ſtœchados, ana drachmam vnam; ſcillæ aſſatæ drach. duas & dimidiam: ſcammonij drachmas duas. Curioſè omnia terantur: gummi & ſucci vino odoro diſſoluantur: pulueres ſucco cucumeris agreſtis comprehendantur. Siccentur iterum, eodem ſucco & pauco nucum oleo excipiantur, & ſiccentur: poſtremò melle deſpumato omnia comprehendantur. Datur poſt ſex menſes à drachma vna ad drachmas duas.

*Deſcripta etiam Meſuæ in ſimplicibus cap. de dracunculo.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0291-6 DFG

*lo. Potentiſsimum & efficaciſsimum eſt medicamentum, vbi remedijs alijs mala hæc contumacia non ceſſerunt. Trochiſci Alandhal inter trochiſcos deſcribentur, quos tamen tempore Hermetis nondum compoſitos ſcribit Manardus, ſed ſine teſtimonio. Hi autem colocynthidis loco in compoſitiones veniunt tutiùs quàm ipſa colocynthis, niſi hæc miſtis probè caſtigetur.*

Hiera Archigenis omnibus deſcripta, confert affectibus melancholicis & ex pituita craſſa natis, vt vertigini, epilepſiæ, ſpaſmo, hypochiſi incipienti, voci ob humiditatē multam raucæ, dolenti aſperæ arteriæ, difficultati ſpirandi, pſωræ, lepræ, & cæteris tuberculis à craſſa materia naſcentibus, aut ſeroſo excremento, ventriculo, inteſtinis, meſaræo, vterò à flatu dolentibus, aut prædictis humoribus. Datur aliquando potui cum rutæ decocto, adiecto etiam caſtorio ad ſiliquas tres. Dolentibus autem ſpinæ, renibus, ilibus, inguinibus cum decocto apij, ad iſchiadem, & ſimiles articulorum affectus cum aqua centaurij, adiecto etiam electario, id eſt, cucumeris agreſtis ſucco, & colocynthidis pulpa, ad ſiliqu. quatuor. Morſos denique à cane rabido, ab hydrophobia, id eſt, aquis formidatis ſecuros reddit data cum aqua abrotoni: præcipuè adiecta drach. vna pulueris cancrorum fluuialium vſtorum. Recipit autem pulpæ colocynthidos drachm. duas: praſij, ſtœchados, ellebori nigri, chamædryos, ſcamonij, leucopiperis macropip. ana drach. duas: ſcillæ aſſatæ, euphorbij, aloës, croci, gentianæ, petroſelini, hāmoniaci, opopanacis, ana drach. vnam: polij, cinnamomi, ſagapeni, myrrhæ, ſpicæ nardi, ſchœnu anthûs, calaminthes montanæ, ariſtolochiæ rotundæ, ana drach. duas: melle ſufficienti excipiantur omnia. Datur ad aureos quatuor cū decocto epithymi, & vuarum paſſarum mundatarum.

*Hiera hæc ad verbum ex Auicenna deſcripta longè eſt præſtantiſsima: multò autem valentior fiet, ſi colocynthidis pulpæ vnc. duæ, aut drachmæ viginti duæ miſceantur, vt quidam codices habent. Quod ad hydrophobiam ſymptoma pernicioſiſsimum eorum qui à cane rabido ſunt morſi, attinet, lege Gale. in libro de commodis theriacis. De*

*pul*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0292-1
DFG

*puluere autem cancrorum fluuialium vſtorum mira Galenus lib. vndecimo ſimp. prædicat ex Aeſchrione. Magni præterea eſt facienda decoctorum ratio varia pro vario affectu, ex quibus hieram propinat. His verò affectibus omnibus valenter opitulari hanc hieram nemo inficiabitur, qui ſimplicium & plurimorum, & efficaciſsimorum eius naturam perpenderit. Doſes tamen minuerem, quòd his ferendis noſtratium corpora ſint imparia. Valet igitur ad congeſtam vel fluentem pituitam, aut melancholiam, & affectus omnes inde natos in quauis corporis parte, auribus, dentibus, collo, &c. Eius loco quidam vtuntur hodie hiera Logadij, quam Paulus, Aëtius, Nicolaus, & alij plerique deſcribunt. Ante tamen tutum harum hierarũ tam potentium vſum, apparanda eſt materia hoc eſt, tenuanda, incidenda, tergenda, fluxilis reddenda, & meatus ſunt aperiendi, per quos eſt vacuandum: in ſumma corpus fluidum eſt faciendum, quod tutò & ſalubriter purgandũ eſt.*

Hieralogodion corruptè.

Aph. 9. li. 2.

Hiera Archigenis Paulo aliter deſcripta, recipit praſij, agarici, chamædryos, pulpæ colocynthidos, ſtœchados, ana aureos decem: opopanacis, ſagapeni, petroſelini, ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi ana aureos quinque: cinnamomi, ſpicæ nardi, polij, croci, ana, aureos quatuor. Sicca terantur, liquores frangantur, hydromelite infundantur, & omnia melle excipiantur. Datur ad aureos quatuor cum ſalis triti drachm. vna, & aqua mulſa. O

*Aureos decem pro quinque ſcripſi, quòd Paulus drachmas decem habet: Auicennas viginti. Abſurdum item eſſet in prima ſimplicium claſſe aureos quinque ſcribere, & in ſecunda ſimiliter aureos quinque. Omnia enim illa ſimplicia ſi eodem pondere conuenirent, vna claſſe concluſiſſet. Paul. præterea ſpicæ nardi ſubſcribit myrrham à Meſu. omiſſam. Addit Paul. arida ſimul tundenda & incernenda, ſed opopanacem & ſagapenum (quæ gummi malè*

*ab interprete Meſuæ vocantur, vt in ſimplicibus docemus) & myrrham contuſa per noctem vnam mulſa in pila macerat. Poſteà læuigat, & ſiccis miſcet. Melle deinde optimo excepta omnia, vaſe vitreo, vel plumbeo reponuntur. Hæc ratio omnium hierarum eſt communis: ſummus ipſarum modus eſt, denarij duo cum ſalis denario vno, & mellis heminis duabus: & aqua quanta ſatis eſt. Si vehementiores vis, quibus ſcammonium non ineſt: inijcietur, & his ſingulis obulus. Hæc Paulus. Quæ Pauli verba me mouerunt, vt dictioni Meſuæ liquorum in hydromelite infuſionem adderem.*

Hiera, dia colocynthidos à Rufo inuenta, caput, ventriculum & corpus reliquum purgat humore craſſo & lento, & atra bile. Ob id maniæ, melancholiæ, epilepſiæ, paralyſi, ſpaſmo cynico, vertigini confert, ac vlceribus malignis, fiſtuloſis, cancro, elephantiæ: flatus quoque diſcutit: ventriculum roborat coctionem firmat. Recipit autem ſtœchados, agarici, chamædryos, ana drachmas decem: colocynthidos, drach. viginti (alij legunt colocynthidos, trochiſcorum alandahal, ana drach. vigintiquinque:) ſagapeni, opopanacis, ana drach. octo: petroſelini, ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi, ana drachmas quinque: caſiæ drach. ſeptem: cinnamomi, croci, ſpicæ nardi, myrrhæ, polij drach. quatuor. Myrrham vino infunde: cætera tere, & melle deſpumato excipe.

*Stœchadem, agaricum, opopanacem in hiera Rufi Epheſij medici præſtantiſsimi, quæ etiam colocynthidem recipit, Paulus omiſit: ponderibus præterea cum Meſue non conſentit multum autem in cæteris ſimiles ſunt hieræ Rufi à Meſue, Auicenna, & Paulo deſcriptæ. Hieram dia colocynthidos Nicolai quidam parant: ego autem hieram diacolocynthidos Antiochij, Paccij, à Scribonio deſcriptam, & mirè celebratam, & poſt eum à Galeno in libr. c. ph. p. compono & omnibus componẽdam ſuadeo: cuius vires ſunt*

*à Pac*

*à Paccio, Scribonio, & alijs probatæ. Ad lateris dolorem, epilepſiam, maniam, melancholiam morbum, ſcotoma, cephalæan, ſuſpirium, vocis abſciſsionem ſubitas præfocationes, incubum, tetanum, ſpaſmum cynicum, contuſum corpus ex ictu, lapſu, tremorem, paralyſin arthritidas, dolores ſpinæ, mammarum duritias, cancroſq́; earum, & vlcera in his cacoëthea, ſtomachi imbecillitatem, ructum acidum, inflationem, tormina, nauſeam, ſtomachi ſaliuam, colicum dolorem, menſes ſuppreſſos ex decocto artemiſiæ, aut dictamni. Has eius vires Scribonius ex Paccij lib. ad Tyberium Cæſarem ſcripto deſcripſit, & probauit. Conſtat autem ſtœchados, marrubij, chamædryos, agarici, colocynthidos, ſingulorum drachmas decem: opopanacis, ſagapeni, petroſelini, ariſtolochiæ rotundæ, piperis albi, ſingulorum drachmas quinque: cinnamomi, ſpicæ nardi, myrrhæ, folij croci, ſingulorum drachmas quatuor: opopanax & ſagapenum mortario teruntur, adiecto melle tenui, id eſt, quàm liquidiſsimo: trita cætera & cribrata melle ad comprehendendum ſufficienti cum his excipiantur, vaſe vitreo reponantur. Vbi autem affectus ſunt curatu difficiliores, aut natura ſua, aut ex diuturnitate, adde prædicto ponderi colocynthidis drachm. viginti: opopanacis & ſagapeni, ſingulorum drachm. tres. Hoc autem medicamentum non ſolùm non nocet ſtomacho, ſed etiam reficit eum, ac confirmat ſupra omnem opinionem: hæc Scribonius. Datur puluis ex liquore aliquo, vel in catapotijs à ſcrup. dimidio ad ſcrup. duos: cum melle verò à drachmis duabus ad drac. quinq;. Hæc eadē eſt cum ipſa Rufi à Meſ. ſcripta, niſi quòd poliū pro folio, & caſiā pro marrubio habet, & ponderibus nōnihil variat. Hi trochiſci Rufo incogniti fuerunt, vti & Aët. Gal. qui eo longè fuit poſterior, ob id eorū loco ſunt qui elaterium miſceāt. Hiera Legadij plus alijs bilem atram trahit:*

recipit myrrhæ, ſpicæ, ſcillæ torrefactæ, euphorbij, ammoniaci, bdellij, Zingiberis, aloës, ſtœchados, hyperici, chamædryos ſingu. vnciā: epithymi vnc. duas: cinnamomi vnc. tres: veratri nigri ſeſcunciam. petroſelini ſemunciam, ſcrup. duos: amomi, folij Indici, caſiæ, piperis triplicis, caſtorei, opopanacis, medullæ colocynthidis, ſagapeni. ſingu. ſemunciam: ariſtolochiæ drach. vnam mellis modum, qui tibi videbitur. Actuarius. Huic multùm affinis eſt hiera Logadij ſcripta ſic ab Aëtio, pulpæ, colocynthidis drach. viginti: ſcillæ aſſatæ, agarici, ammoniaci, ſcammonij, corticis ellebori nigri, hyperici, ſingu. drach. vna: epithymi, polypodij aridi, bdellij, aloës, chamædryos, caſiæ marrubij, ſingu. drac. octo: myrrhæ Troglodyticæ, piperis albi & nigri, cinnamomi, croci, opopanacis, ſagapeni, caſtorei, petroſelini, ariſtolochiæ, ſingulorum drachm. quatuor, melle excipe: datur à drachmis duabus ad drach. quatuor. Huic eandem facit Aëtius hieram Galeni, niſi ponderibus differret, & præterea haberet ſtœchadem, & piper longum: recipit enim pulpæ colocynthidis drachm. octo: ſcillæ, aſſatæ, agarici, ammoniaci, ſcammonij, corticis ellebori nigri, †ſtœchados, hyperici, ana drachm. ſexdecim, epithymi, polypodij ſicci, bdellij: aloës, chamædryos, marrubij, caſiæ, ana drachm. octo, in alio vnc. duas myrrhæ Troglodyticæ, ſagapeni, croci, ariſtolochiæ, piperis albi longi & nigri, cinnamomi, opopanacis, caſtorei, petroſelini, ana drachmas quatuor: mellis quod ſufficit. Huic Aëtij deſcriptioni ſi adieceris polij, gentianæ, pulegij, ſpicæ nardi, iunci odorati, ana drachm. quatuor: aut ex hiera Galen. ab Actuario deſcripta, ariſtolochiam longam, & Zingiber ſuſtuleris, & pro aiuga ſtœchadem: pro porro, praſium, id eſt, marrubium ſcripſeris: medicamentum habebis celebre triginta duobus conſtans ſimplicibus, ad contumaces morbos omnes efficaciſſimum: & tutiſſi

Hiera Logodion corruptè Nicolao dicitur, & aliter, quàm hîc deſcribitur.

† Euphorbij alij.

tiſſi

*tiſsimum: ex hieris alijs Rufi, Antiochi, Iuſti, Legadij, Archigenis, à Galeno excerptum, cuius meminit lib.8.c.ph.p.& lib.meth.12. Ab eo autem non fuiſſe deſcriptam miror, cùm præſertim hieram dialoës.lib.2.& 8.c.ph.p. deſcribat, & vtroq; hieræ diacolocynthidos meminerit: niſi fortè deſcripſit in lib.de comp.ph.purgātiū, quem aliquoties in opere prædicto pollicetur, nondum tamen viſus nobis eſt. Ariſtolochiam tamen rotundā & longā habet hiera Iuſti. Aliæ vnicam ex tribus & hiera Rufi Aëtio habet chamæpityn: huius rei dū hæc ſcriberem, me admonuit Sigiſbertus medicus Romæ doctiſsimus & diligentiſsimus.*

HIera nobis inuenta purgat vtranque bilem & pituitam, flatus craſſos cerebri, & ventriculi, & corporis reliqui diſsipat: ob hæc viſioni imbecillæ confert, ac cæteris affectibus cauſas illas ſequentibus. Recipit aloës drach. quindecim, epithymi, coſti, ana drach. quinq;: euphorbij, croci, ſpicę nardi, chamædryos, ana drach. ſex: agarici drach. nouem: caryophyllorum drach. duas: calami aromatici, maſtiches, caſiæ, ana drach. ſeptem: xylobalſami (alij xylaloës) drach. quatuor: piperis albi & nigri, gentianæ, anamomi, ana drachmam vnam ſcammonij in malo cydonio cocti drachm. duas: mellis quantum ſufficit. Datur aureo vno.

DIamanna nobis deſcripta celebris, præſertim ad febres acutas & multùm ardentes. Nam cordis, ventriculi, hepatis, ſanguinis intemperiem calidam, & feruorem, & ſitim extinguit. Recipit mannæ bonæ, & recentis, caſsiæ ana vncias quatuor: tamar Indorum immaturorum vncias. ſex: medullæ caſsiæ, ſacchari violati vncias ſexdecim: ſucci intybi, apij, malorum dulcium, acidorum, & acidodulcium, ſucci acidi citrorum, ana vncias † tres. In quibus purgatis prædicta tria diſſolue, cola, vt munda ſint omnia. Præter hæc accipe radicum intybi, apij, ana vncias tres, foliorum lupuli, adianti albi, ana vnc. duas: pruna paſſa centum: violarum vnc. vnam & ſemiſſem: roſarum vnciam vnam: ſpicæ nardi drach. tres: coque hæc libris tribus aquæ fontanæ ad dimidias: colato adde ſacchari libras tres: aceti boni libram vnam: ſemel ferueſiant. Adde colatum priùs, & percoque ad mellis craſ-

† *Alij quatuor.*

ſitudinem: poſtremò adde ſantalorum, citreorum, roſarum, ſpodij, ſuccini, oxyacanthæ, ſem. portulacæ, ſem. oxalidis, ſem. melonum, citreoli, cucurbitæ, cucumeris, ana drach. tres: ligni aloës drach. quatuor: cubebarum drachmas quinque: caphuræ drach. vnam: repone vaſe vitreo. Datur Aeſtate cum aqua frigida ab vncia vna ad vncias duas.

*Operoſa hæc compoſitio, & quæ paucioribus idem præſtare poſſet: cui calida pauca miſcentur, vt frigidis in corpus ſpargendis viam parent. Pro folijs lupuli ſume ipſius aſparagos, & prima germina, vel ſumma cacumina. Valentius fiet, ſi in libras ſingulas acceperit ſcammonij ſemunciam.*

*Diamāna.* ELectarium aliud mannæ Galeno inuentum, cholagogū, benignum & delicatum: ob id morbis omnibus bilioſis ſalubre: recipit mannæ thuris & recentis libram vnam in libra vna ſucci roſarum rubrarum diſſoluendam & coquendam ſufficienter igni lento: tunc adde ſcammonij vnciam vnam: maſtiches drachmas tres. Datur vncia dimidia: compoſitum hoc celebre medicamentum (inquit Galenus) ex ſimplicibus temperatura & proprietate maximè idoneis.

*Scammonium hîc caſtigatum miſceri quidam volunt. Datur à drachmis quatuor ad drachmas ſex: vbi à Galeno ſcribatur, non legi. Si tamen legeris, mel aërium vocat, quod Meſues mannam. Nam ei, vt Dioſcoridi manna thuris aliud eſt. Meminit huius Meſues in ſimplicibus de manna.*

ELectarium Alharif ſaporis iucundi, in æſtate faciendum: purgat ventriculum, hepar & corpus reliquum: vſu corpus viuidum & iuuenile reddit, & ſeruat. Recipit verò myrob. citrearum, cepul. Ind. partes æquales: tere [cribra] oleū amygdalarum dulcium ſuperfunde q. ſ. in ſola triduo, frica ſæpe manibus: oleū nouū ſuffice quantum abſumitur. Iterum eadē triduo continenter tere in aqua fontana, in qua ſacchari partē decimā diſſolueris, affuſa identidem pauca aqua. Hoc fac, donec myrobalanorū ſapor ingratus auferatur: pòſt ſicca in vmbra. Accipe relictæ huius maſſæ drachm. quindecim: turbith drachm. ſex: aniſi, maſtiches, ana drachmas duas: ſpicæ nardi, ſem.

*Vide caput de myrobalanis.*

ſem.apij,ana drachm.vnam & dimidiam:violarum ſiccarum drachmas ſeptem:ſacchari albi,candefacti ana drach.decem. Excipe melle deſpumato.Datur drac.tribus cum aqua calida.

ALterum elect.Alharif earundem virium, præterea ventriculum roborat, & cæteras partes nutritorias frigidas: appetentiam excitat:coctionem iuuat:propter hæc colorem corporis, & odorem commendat: iuuentutem tuetur: canos remoratur, & ſpiritibus tenuatis & purgatis viſum & reliquum ſenſum omnem & cogitationem exacuit: venerem excitat.Recipit myrobalanorum,cepul.nigrarum,citrearum, ana partes duas: embl.belleric.ana partẽ vnam & dimidiam: tere,cribra,vt nuper dixi præpara.De hac maſſa accipe drachmas quatuordecim:turbith drach.ſeptem:zingiberis, cardamomi,maſtiches, cinnamomi, ligni aloës, caryophyllorum, piperis cubebarum,galangæ,macis,ſem.apij,ana ſeſquidrachmam:ſpicæ nardi ſcriptula duo:ſtrobylorum,ſacchari albi & candefacti ana drachmas duodecim:excipe melle deſpumato. Datur drachmis tribus cum aqua calida. O

ELectarium Indum maius, purgat vẽtrem totum inferiorem,atq; adeò iuncturas,pituita etiam putri flatuq́; diſſipat:& affectibus inde natis,dolori colico & nephritico,& ventriculi,& aliorum viſcerum.Recipit cinnamomi, caryophyllorum,ſpicæ nardi, roſarum,†caſiæ, macis cyperi,ana drach. quatuor:ſantalorum citreorum drach. duas & dimidiã, ligni aloës,nucis moſchatæ,ana drac.duas:turbith boni,albi, gummoſi arundinacei drach. quinquaginta: ſacchari,penidiorum ana vnc.viginti:galangæ, cardamomi vtriuſque,aſari, maſtiches ana ſeſquidrachmam,ſcammonij boni & in malo cydonio decocti drachmas duodecim:omnia cum oleo amygdalino fricentur.Pòſt ſucci cydoniorum,& granatorum,& apij,& fœniculi ana libra dimid.coque cum melle ad ſpiſsitudinem idoneam,& miſce aromata.Datur ad aur.tres. †

*†caſsia fiſtula intelligitur, quia elect. eſt purgatoriũ leniente aliquo indigens.*

*Si vnciæ tres pulueris libræ mellis miſcentur.*

*Potentius eſt diaphœnico,ſi neutrum acceperit ſcammonium aut ſi vtrunque æqualiter acceperit, idemq́; coctum ambo vel crudum.Grandioribus dari poteſt vncia vna, pueris verò Meſuæ doſis. Eiuus drac.ſex, caſsiæ drachmas tres,ſimul dabat Manardus ad renes expurgandos. Penidia miſcent purgantibus ventriculum inteſtina, ve-*

*nas magnas, vt huic & diaphœnico: non autem his quæ à remotis partibus attrahunt.*

ELectarium Indum minus eadem promitit: recipit turbith, ſacchari ana drachmas centum: macis, piperis, zingiberis, caryophyllorum, cinnamomi, cardamomi, nucis moſchatæ, ana drachmas ſeptē: ſcammonij drachmas duodecim: miſce cum melle deſpumato. Datur ad aureos tres.

*Hoc minus eſt calidum, & ſimplicius, ſed eſt valentius ad purgādam pituitam, ac etiam bilem flauam, vtrūque vacuat. Quamuis enim turbith phlegmagogus in hoc largior phlegmagogum hoc electarium magis faciat, tamen & maius etiam eſt phlegmagogum turbith adiuto à ſcammonio bilem primo & per ſe purgante, ſed etiam pituitæ vacuationem iuuante. Ob id electariū Indum ſi abſolutè ſcribitur, hoc minus, quia efficacius, & tam delicatum etiam ſine melle, vt eius puluis poßit cū iure ſorberi, à multis intelligitur: eſtq́ in vſu frequentiore, quia efficacius pituitam expulſioni paratam, & bilem miſtam purgat, & minus calefacit. Ob id ſalubre in quotidianis febribus, nothis à miſta bile. Poteſt dari ad drachmas quatuor, vel etiā quinque minus, vt maius ad drachmas ſex, non ſolùm aureos tres cum Meſue. Nam hic ſingulis mellis libris miſcet pulueris vncias tres. nos tantùm duas: quod ſi quis vncias tres miſceat, vt hodie fit, doſis Meſuæ placet. Ferè miſcetur caſiæ, mannæ, & alijs imbecilliter vacuantibus, ad actionem earum celerandam & augendam. Manardus in affectibus renum ſex drach. Indi maioris, & drac. tres caſſiæ exhibet: ac robuſtis dat vnciam integram, & doſim Meſuæ vix pueris ſufficere ait. Si autem diu ante vſum eſt ſeruandum, miſce ſcammonium: ſi autem mox vtendum, diagredium, quod vocant.*

*Phlegmagogū ob turbith eſt magis quā ob alia cholagogum.*

ELectarium diaphœnicum à filio Zezar deſcriptum, purgat clementer, & tutò humorem crudum & bilem. Ob

hæc

hæc conuenit febribus complexis & diuturnis, dolori ventriculi, & colico, intẽperaturę harũ partiũ frigidæ. Recipit autem φοινικῶν κιῤῥῶν id eſt, dactylorũ fuluorũ, aceto per triduũ maceratorum drach. centum: penidiorum hordeatorum drach. quinquaginta: amygdalarum purgatarum drach. triginta: turbith drachmas triginta quinque: ſcammonij drachmas duodecim: zingiberis, piperis longi, foliorum rutæ ſiccorum, cinnamomi, macis, ligni aloës, aniſi, fœniculi, dauci, galangæ, ana drachmas duas & dimidiam. Tere omnia probè, melle deſpumato ſufficienti excipe. Datur ab aureis tribus ad ſeptem.

Φοινικὰς κιῤῥοὺς *lego, id eſt dactylos fuluos, quo colore ſunt immaturi, vt maturi flauiores, aut iam nigricantes. Hanc autem Græcam vocem an rectè diuinem à Meſue vſurpatã, & ab interprete corruptã, lectoris cãdido iudicio cõmitto. Neque interpretatio Arabicæ familiæ mihi repugnat: kheyron enim (ſic nanq; ſcribũt) immaturos aiũt ſignificari, & ob id adſtringẽtes magis. Sic tamen tamar Indorum kheyrõ, id eſt, immaturorum, vt interpretantur: qui licet ſint ſpecies dactylorum ſylueſtriũ, tamen dum ſunt immaturi & acerbiores, quales ad nos afferuntur colore fuluo, nõ ſunt vt vinum* κιῤῥὸν *id eſt, fuluum, igneum, medium Hippocrati & Galeno dicitur, ſed nigricant. Id poteſt vocari diaturbith, quãquã eſt aliud diaturbith in ſimp. cap. de turbith, multò hoc valentius & periculoſius, præſertim ſi turbith horis vigintiquatuor maceratum ſit ſucco cucumeris agreſtis, & ſcammoniũ acceperit. Viribus cõuenit cũ electario Indo maiore, ſed clementius purgat & bilem magis per ſcammonium: ſed etiam non ignauiter pituitam per turbith, ob id febribus complexis, vt tertianæ nothæ ex bile flaua & pituita conuenit. Datur ad drach. quatuor per ſe. Frequenter cum caſia & manna. Quidam diaphœnicon minus vocant, cui immittuntur ſcammonij drachmæ vndecim vel duodecim: maius autem, cui induntur drach. eiuſdem tres & viginti, vel quatuor & viginti.*

Deſcripta erat priùs in ſimplicibus ex Zezar cap. de turbith (baſis enim eius eſt turbith & ſcammonium) eadem omnino niſi quòd vno tantum die dactylos ibi macerat, & zingiberis, piperis lõgi, foliorũ rutæ ſiccorũ ana drach. quatuor ſcribit, aucta horum trium doſi, & omiſsis ſimplicibus reliquis. Penidia autem & dactyli hîc & in alijs purgantibus miſcẽtur vt lentore ſuo purgãtia retineant, ne in longinqua promptè ferantur. Adde quòd ibi penidiorũ tãtùm ſcribitur, non vt hîc penidiorum hordeatorum, quod interpretãtur, ex ſaccharo albo & optimo cum aqua decoctionis hordei ſex horas infuſo & cocto ad iuſtam conſiſtentiam. Drachmas ſcripſi, vbi Meſues ponebat partes, quòd ita facilior intellectu eſſet deſcriptio, neque res mutatur: quãquàm & Gal. & veterum pleriq; pondus aut menſurã nomine partiũ indefinitã quandoq; ſcripſerũt, cõtenti ſingulorũ ſimplicium proportione. Poteſq; pro drach. ſemũciã, vel vnciã, vel ſelibram, vel librã, vel pondus aliud quoduis, ſed vnicum ſumere. Magna ratione autem dactyli, & in alijs adſtringentia alia ſcammonio in varijs purgantibus miſcentur: ſic enim rhu ſuccum, carnem mali cydonij, carnem palmularum ſeu phœnicum myrta maſtichem & ſimilia ſcãmonio, & alijs multis purgantibus adiecerunt, quæ ſtomachum adſtringendo roborarent, & grato ſapore medicamenti abominabilem qualitatem tegerent: effecto autem quid poſſent purgantia monſtrarent. In his enim ſubſtantia purgatix exigua, ſed validis prædita viribus, miſta alteri ſubſtantiæ plurimæ, ſed imbecillæ, ſumpta guſtu non percipitur: agit tamen efficaciùs pauca hæc, quàm plurima alia libro 3. ſimpl. capit. decimoquarto. Sic cydonijs ſcammonium rectè miſceri docet libro primo alimentorum. Crudum autem miſcendum hîc, quia per dactylos & aromata ſatis caſtigatur, & non impeditum, vapo-

*ribus longè tranſmiſsis à longinquis trahit: quanquam etiã penidia ſuo lentore turbith & ſcammonij ſubſtantiã in corpus diſtribui prohibent. Sauonarolæ tamen vapores ab his eadem virtute præditos omnino non prohibent.*

ELectarium ex pſyllio cholagogum, ob id febribus ſolutu cõtumacibus, acutis, & ardẽtibus, & cephalalgiæ, ac vertigini à bilis vapore naſcenti, & ictero, & intemperiei calidæ hepatis confert. Recipit autem ſucci bugloſsi domeſtici & ſylueſtris, intybi, apij, coquendo deſpumatorum, ana libras, duas, quibus miſce vigintiquatuor horis caſſuthæ, aniſi: folliculorum ſennæ, ana vnc. ſemiſſ. adianti albi manipul. vnum: ſucci fumariæ vnc. tres: aſari vnc. quatuor: ſpicæ nardi drachmas duas ſemel ferueſiant. Prætereà adde violarum viridium, vel ſiccarum vncias tres: epithymi vncias duas: & ſemel quoque ferueſiant: cola, exprime: colato pſyllij vncias tres macera vigintiquatuor horis, in ſingulas rudicula agitãdo: pòſt exprime totam muccaginem, in cuius lib. quatuor coque igni lento ſacch. libras duas, & dimid. ſcammonij in malo cydonio cocti vncias tres, & dimidiam. Coctis omnibus his adde pul. trochiſcorum diarhodon, & de ſpodio, & de rhabarbaro ana vnc. vnam: trochiſcorum oxyacanthæ vnc. dimidiã. Datur à drachmis tribus vſq; ad aureos tres. Hamech. hoc electarium de trochiſcis appellat. Addunt aliqui aceti libram vnam & dimid. alij violarum lib. vnam.

*Seminis pſyllij drach. trium muccago ſumpta ſoluit bilem lubricando, & calorem eius obtundit & ſuum, frigida ſua ſubſtantia, vt ipſi volunt licet Dioſcoridi & Galeno tantum refrigerare dicatur. Scammonium crudum quidam miſcent, quia coquendum: quòd ſi coctum, iterum coquendum miſces: leniet tantùm medicamentum, non etiam ſoluet. Dari tutò poteſt ad vnciam vnam.*

ELectarium Epiſcopi excrementa flatuſque corpore toto educit, ob id dolorem colicum hypocond. iuncturarum leuat, renes & veſicam purgat, venerem excitat. Recipit ſcammonij Antiocheni, turbith albi, ana drach. ſex: caryophyllorum, cinnamomi, zingiberis, nucis moſchatæ, emblicar. polypodij ana drachmas duas & dim. ſacchari vnc. ſex: excipe melle deſpumato. Datur ab aureis duobus ad tres.

Hoc

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0303-8
DFG

*Hoc elect. Epiſcopi pro eleſcoph cum Auicēnæ interprete appellauimus, à quo tamen cardamomum & piper huic deſcriptioni adduntur: cætera ſimilis eſt. Vacuat bilē ſcammonio, & pituitam turbith. Quidam eo vtuntur ad purganda corpora in lue Hiſpanica, in omnibus corporibus, licet melancholicis minus conueniat, quàm electarium Hamech. In hoc vnciæ ſex mellis cum æquali ſaccharo cocti ſufficiunt. Si autem ſaccharum pulueratum vis inſpergere, largiore tum melle opus eſſet, ac doſi etiam ampliore. Ex his ſpeciebus, & ſaccharo confectæ placentæ nihil purgant, interdum vſtis ſcilicet ſpeciebus: eſt quādo immodicè purgāt, iiſdem ſimul malè commiſtis. Poteſt tutò dari largiùs quam ſcribat Meſues.* *

*Confectio Hamech vulgò.*

ELecta. Hamech purgat bilem vtranque, & pituitam ſalſam: ob id affectibus inde natis, impetigini, pſωræ, lepræ, cancro exedenti, & ſimilibus mirè confert. Recipit myrobala. citrearum vncias quatuor: cepularum, & nigrarum, rhabarbari, ana vncias duas, agarici, colocynthidos, polypodij, ana drac. *ſexdecim: abſinthij, thymi, ſennæ, ana vnciam vnam (in alio drach. ſex:) violarum drach. quindecim: epithymi vncias duas: aniſi, roſarum, fœniculi, ana drach. ſex: ſucci fumariæ lib. vnā: pruna ſexaginta: vuarum paſſarum mundatarum vncias ſex. Macera dies quinque ſero lactis† ſufficiente in vaſe vitreo ſtricti oris, & obturati: ſemel deinde ferueſiant: manibus fricentur, & colētur. Colato adde caſsiæ fiſtulæ purgatæ vncias quatuor: tamar Indorum vncias quinque: mannæ vncias duas. Frica manibus: cola, percoque ad mellis craſsitiem cum ſacchari libra vna & dimidia: ſcammonij vncia vna & dimidia. Poſtremò adde myrobalanorum, citrearum, cepul. Ind. ana vnc. dimid. belleric. embl. rhabarbari, ſeminis fumariæ, ana drach. tres: aniſi, ſpicæ nardi, ana drach. duas. Datur à drach. duabus vſque ad aureos duos.

** Alij octodecim.*

*† Caprini in ſereno acrimonia exuti.*

*Seri lactis li. quatuor. Die ſexto calefacta exprimantur. Alij expreſſum cū ſaccha. ſeſquilib. igni lento ſeſquihora percoquunt, percocto addūt particula-*

*Conſuetiſsimum eſt hoc medicamentū in affectibus melancholicis, mania, melancholia, alphis nigris, cancro, elephantia, & cutis vitijs, pſωra, lepra, impetigine, quæ effe-*

ēta

*cta Meſ. peculiariter tribuit electario ſequenti. Tutò datur vncia Manardo ad pruritum, maniam, melancholiã morbum, elephantiam pſωram, lepram. Scammonium hîc craſſius tritum quidam volunt, vt coctionẽ aliquam ſuſtineat ad malitiam eius caſtigãdam. Si autem coctum eſſet (quod δακρύδιον quaſi lachrymulam Græci recentiores appellãt: Arabes corruptè diagredion) non coqueretur, ne vim purgatoriam perderet. Eodem modo in elect. roſato, in his enim crudum ſcammonium miſcetur, quia coquendo corrigitur: & his quæ diu ſeruantur ante vſum: in cæteris ſcammoniũ coctum ponatur.*

*tim caſsiã. tamar Indos ſuper cineres calidos in vnc. duabus expreſsi crudi diſſoluta & colata, manna vnc. tres in ſeſcuncia prædicti expreſsi ſolutas & colatas, idq; faciũt, ne tria hæc coquantur, vti nec ſcammoniũ, & reliqua.*

ELect. alterum Hamech purgat melancholiam, & vſtos humores alios: ob id confert maniæ, melancholiæ, vertigini, obliuioni, & vitiis cutis, qualia ſunt, pſωra, id eſt, ſcabies, lepra, alphi, id eſt, morphea, cancer, elephantia, impetigo. Recipit myrobalanorum nigrarum, cepularum, epithymi, ana drach. quinquaginta: fumariæ, abſinthij, ana drac. viginti: thymi, calaminthes, polypodij, agarici, glycyrrhizæ, bugloſsi, ana drachm. decem: ſtœchados, chamædryos, chamæpityos, ſpinæ albæ, aniſi, ana drach. quinque: pruna, zizypha, myxa, ana ſeptuaginta: vuarum paſſarum mund. lib. vnam: coque in aqua ſufficienti ad partem tertiam: in qua igni lento ad mellis craſſitiem percoq; ſapæ lib. duas: mellis lib. vnam: ſcammonij vnc. duas. Datur à drach. tribus ad drach. ſex.

*Alij legunt à drach. duabus ad drach. quinque. Indæ myrobal. nigris addebantur, cùm tamen eædem ſint Meſuæ in ſimpl. ob id ſuſtulimus. Hoc in vſu non eſt: tamen eſſe poſſit loco ſuperioris, quo maximè vtimur hodie ad luem Hiſpanicam.* Ἄκανθαν λευκὴν *Dioſcori. & Gal. id eſt, ſpinã albam cum omnibus Arabum interpretibus, in locum bedegar ſuffecimus.*

ELectarium roſatum cholagogum clemens, ob id ſalubre † biliosis affectibus, arthritidi calidæ, cephalalgiæ calidæ, vertigini, oculorum dolori, ictero. Recipit autem ſucci roſarũ rubrarum perfectarum libras quatuor: ſacchari lib. vnam & dimid.

dimid.mannæ puræ & recentis vnc.ſex,ſcammonij Antiocheni vnc.vnam & dimidiam. Coque flamma lẽta ad mellis craſſitudinem:adde tunc trochiſc.ſpodij vnc.vnam : galliæ,croci, ana drach.duas:trochiſ.oxyacanthæ drach.quatuor:repone vitreo vaſe. Datur ad drach.quinque.

*Eo in formandis catapotijs (quæ aggregatiua vocant, & de hermodactylis minora, & à Meſue inuẽta) vtẽdum eſt, non elect. de ſucco roſarum: aliàs in vſu eſt raro, vt Nicolai electarium de ſucco roſarum eſt vſu frequentiſsimum. Hoc tamen celebre eſt, ac delicatum.*

De ſucco roſarum.

*Diarhodon Alexandri Tralliani cholagogum citra moleſtiam cephalalgiam, arthritidem, vertiginem, oculorum dolores, icterum, & cæteros affectus calidos & bilioſos mirè leuat. Succi roſarũ rub. lib. vna: ſcammonij vnc. vna: agarici ſemuncia: piperis drach. vna. Mellis vnc. ſex cum ſucco coque ad craßitiem: tunc prædicta cætera læuiganda. Alterum eiuſdem ex ſucci roſarum vnc. tribus: ſcammonij vnc. vna: lactis tithymali drach. tribus mellis Attici lib. vna, ac podagricis, ictericis, tertianarijs, oculorum doloribus tutò dari, quia citra angorem purget, prædicat. Aliud ex Nicolao & Meſue deſcriptum nobis ad dictos affectus: coque ſacchari lib. vnam & dimid. in ſucci roſarum rubrarum lib. tribus ad mellis craßitiem: tunc adde ſcammonij vnc. vnam: trium ſantalorum ana ſemunciam: galliæ moſchatæ, trochiſcorum oxyacanthæ ana drach. tres: mannæ vnc. ſex: caphuræ ſcrup. vnum: forma teſſellas, aut cum melle ſacchari loco coque & ſerua. Rhodomeli catharticum Actuarij ex ſucco roſarum, ſcammonio, agarico, melle.*

Alpheſera.

ELecta. *Διὰ βρυωνίας* Democriti, cerebrum & neruos purgat excrementis: ob id epilepſiæ, paralyſi, vertigini, & aliis cerebri & neruorum frigidis affectibus medetur. Recipit radicis bryoniæ purgatæ & tritæ lib. dimid. ſapæ, vuarum paſſarum lib. quatuor: ſcillæ aſſatæ, ſtrobylorum depellatorum,



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0306-6

ana ſeſcunc. nucis moſchatæ cardamomi, macis, zingiberis, ana drachmas duas: caryophyllo. piperis longi, ſtœchados, ana drachmam vnam & dimidiā, ſeſeleos, ſalis gemmæ, galliæ, ana drachmam vnam: ſpicæ drachmā ſemis: agarici drachmas tres. Datur poſt ſex menſes à drachmis duabus ad drachmas quatuor.

*Priùs deſcripſit omnino ſimiliter in cap. de alpheſera, id eſt, vite alba, ſeu bryonia, vbi doſim drach. quinque ſcribit, quamuis etiam drach. ſex eſſe poßit.*

*Diaturbith Meſuæ idem promittens, hîc non repetitur. Potes tamen ſi vtendum tibi eſt, ex ſimplicibus requirere.*

ELectarium διὰ κόκκου κνιδίου hydragogum, in hydrope efficaciſsimum, recipit foliorum thymelææ præparatorum, partes decem: carnis cydoniorum in aceto coctorū, & ſacchari, ana partes octoginta: mannæ partes quadraginta: olei ex cocco gnidio partes duodecim: ſaccharum & manna diſſoluantur in ſeri lactis, cui infuſus erit agaricus, partibus triginta: miſce carnem cydoniorum: coque igni lento ad mellis craſsitudinem. Puluis foliorum thymelææ miſtus prædicto oleo reliquis addatur. Dantur drach. quatuor. Almezereō.

*Violentum medicamentum in aſcite virorum robuſtorum tantùm experiundum. Oleum hoc priùs deſcriptum eſt, atque hoc electarium in ſimpl. cap. de thymelæa: præparanda autem folia vt in cap. eodem docuit. & poſteà docebit in alkekengi. Cydoniorum partes ſeptuaginta in ſimplicibus ſcripſit, & mannæ partes ſexaginta. Hoc autem contigit ob notas vel ablatas, vel luxatas, vel tranſpoſitas.*

*Nam lxxx. id eſt, octoginta: ſi vnum x. tollas, manent ſeptuaginta: & xl. id eſt, quadraginta ſi tranſponas, lx. id eſt, ſexaginta fient. Vtrobique igitur ſimile pondus eſt ſcribendum.*

ELect. alſebran pituitam & melancholiā purgat, & aquas: O
recipit alſebran boni, myrobalanorum citrearum, ana vnc. duas: trita & creta mergantur ſucco fœniculi, & inſolētur dies

dies quinq;, affundendo ſæpe ſuccum nouum: ſiccatum repone vaſe vitreo. Datur à drach. vna ad drach. duas cum ſaccharo, & aqua calida.

*Hanc attigit in ſimpl. cap. de alſebran, id eſt, eſula, vbi ſuccum intybi, vel portulacæ, vel ſimiliter frigidum expetit, vt hoc loco legendum non eſſe fœniculi ſuſpitio ſit vehemens.*

ELectarium de eupatorio, ad icterum & hydropem incipientem, recipit ſucci eupatorij, rhabarbari, ana drach. quatuor: croci drach. duas: laccæ, ſeminis caſſuthæ, cacuminũ ſchœnu anthûs, ſem. citreoli, cucumeris, portulacæ, ſucci abſinthij, ana drach. tres: ſcammonij in cydonio cocti drach. duas & dimidiam: tere curioſè. Datur aureo vno cum lacte camelarũ, aut aqua caſei alcherigi. Quòd ſi calor adeſt, ſucco ſolani, aut intybi, aut volubilis reprime.

*Per volubilem, lupum ſalictarium, id eſt, lupulum intellige: aliæ enim volubilis ſpecies nimis calent. Eupatorium eſt agrimonium: poteſt dari etiam maior menſura: ſemen caſſuthæ non colligitur, an colligi poßit, obſerua.*

O *Alhenangi.* DIaphyſalidon, efficaciſ. ad hydropem & cachexiam & affectus hepatis, lienis, iuncturarum, lubricitatem partiũ nutritoriarum formæ corruptionem, hæmorrhoidas. Recipit ſuccorum lupi ſalictarij, intybi, apij purgatorum, ana libras quatuor. In quibus myroba. citrearum, cepul. ana drach. duodecim: emblic. drach. quinquaginta: Indarum, bell. ana drach. octo: agarici, ireos, ana drach. decem: abſinthij, caſſuthæ, rad. apij, fœniculi, aniſi ana drach. quatuor: vuarum paſſarũ mundatarum drac. octoginta: coquantur igni lento ad cõſumptionem dimidij ſuccorum: frica probè manibus: cola. Vni huius parti adde tamar Indorum, cheyron, & caſsiæ fiſtulæ ana vnc. octo: mannæ vncias tres: cola, & munda. Alteri ſuccorum parti adde penidiorum hordeatorum libras quatuor: miſce omnia ſimul: bis feruefiant: tunc adde olei ſeſamini recentis vncias quindecim: percoq; ad mellis craſsitudinem: ab igne depoſitis adde troch. diarhod. troch. de eupato. troch. de abſinthi. troch. de rhabarba. ana vnciam vnam & dimidiam: ireos vnciã vnã agarici, foliorum thymelææ nutritorum in aceto ana aureos octo: ſcammonij, ſucci eupatorij, ſucci abſinthij, croci, laccæ

lotæ,

lotæ, myrobal. citrearum, cepularum, ana aureos quatuor: bel leric. embl. Ind. ana aureos tres, ſpicæ, aniſi, ana aureos duos: turbith. vnc. ſex cum olei thymeleæ tribus vnciis: omnia priùs inuoluta: prædictis miſceatur: Datur à drach. tribus ad drach. quatuor cum aqua intybi.

*Quibuſdam in vſu eſt ad aſcitem, & corporis colorem cineritium, & plumbeum & hepatis, cachexiam, quæ hydropis eſt initium. Hic per volubilem potius cum Manardo intellige lupulum, quàm eam, quæ vitibus circumplexa fert campanulas, lactariam & purgatricem, quam Meſuæ interpres intelligit. Cum ſaccharo vel melle confici poteſt, bis in menſe ſumpta, multos hydropicos ſanauit. Trochiſci diaphyſalidon Pauli ſeptimo ab hac compoſitio diuerſiſsi.*

ELectarium Diacydonites cholagogũ & phlegmagogũ, colicos affectus & alios partium nutritoriarum iuuat: recipit ſucci cydoniorum libras tres: mellis libras duas: ſcammonij ſeſcunciam: galliæ, caryophyllorum, zingiberis, maſtiches, piperis longi, cinnamomi, nucis moſchatæ, ana drachm. tres: miſce. Datur ab aureo vno ad aureos tres: Si vis cholagogum fieri & phlegmagogum, adde ſcammonij drac. quindecim: turbith drach. duodecim. Si vis tantùm eſſe phlegmagogũ, omiſſo ſcammonio miſce turbith drach. vigintiquinque: cnici excorticati drac. quindecim. Si bilem atram vis eo vacuare, prædictorum loco miſce elleborum nigrum, aut epithymum, aut polypodium, melle vel ſaccharo excipitur: fit cum cydoniorũ nunc ſucco, nunc carnibus, nunc ambobus ſimul.

*Id non eſt in vſu, ſed quòd à Nicolao ſcribitur. Electarium Indum vtrunque & diaphœnicum phlegmagoga ſunt, etiam in febribus clementia. Diamanna, & electarium de ſucco roſarum Nicolai etiam in febribus ſunt cholagoga idonea.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0309-6

# SECTIO SEXTA DE CATAPOTIIS, SEV PILVLIS.

*

* *Pil. alephãginæ.*

CATAPOTIA aromatica nobis inuenta, ventriculum, cerebrum, & ſenſoria humoribus craſsis, putribus, pituitoſis purgat, & inde natum dolorem diſsipat, ventriculum roborat, coctionem eius iuuat: recipiunt cinnamomi, cubebæ, ligni aloës, calami aromatici, macis, nucis moſchatæ, cardamomi, caryophyllorũ, aſari, maſtiches, ſchœnu anthûs, ſpicæ, carpobalſami, ana vnc. vnam: abſinthij ſicci, roſarum, ana drac. quinque: terantur, parum coquantur in aquæ libris † duodecim ad duarum partium conſumptionem: fricentur tunc manibus, & colentur, exprimantur. Accipe aloës bonæ libram vnam, laua ſæpe in ſcutella lapidea vitrata cum aqua pluuia: ſiccetur: ipſi affunde decocti prædicti circiter lib. duas: tere in ſole: deinde ipſi aloën miſce, myrrhæ, maſtiches, ana drach. quinque: croci drac. tres: tere curioſè: prædicti decocti reliquum ipſis affunde: tere donec ſiccentur: fac catapotia ciceris magnitudine. Dantur à drach. duabus ad aureos duos. Interdum aloës tantum vncias quatuor indimus. Interdum aloë lauanda aqua myrobalanorum, tunc dantur à drachmis quatuor ad drach. octo: coquatur autem in ea aqua: deinde ſiccetur: poſtremò lauanda aqua aromatum, vt diximus: ſunt enim ſalubria hæc catapotia.

† *Alij ſex, alij quatuor lib.*

*Auget potiùs aloën Manar.*

*Sunt qui lauant ſucco braſsicæ, alij aqua cui diu infuſum fuit rhabarbarum.*

*Καταπότιον Græcis à καταπίνω, eſt medicamentum quod integrum deglutitur, vulgò pilula vocatum, à paruæ pilæ figura, nullo angulo ventriculum lædente & habili ſimul tangi multis ventriculi partibus. Fieri autem catapotia poſſunt, tum ex prædictis omnibus antidotis, tum ex alijs mox declarandis. Purgantes verò materiæ hac forma ferè concluduntur, vel vt faciliùs deuorentur, etiam ſaccharo, folijs auri, carne fructuum non autem pelle, vel alio quopiam ſimili intecta: vel vt mora in ventriculo lon-*

gio

giore diutiùs agant, à remotioribus q́ in ipſum, & inteſtina humores vacuandos attrahant. Maſſa enim durior quàlis eſt catapotiorum ægriùs à ventriculo comminuitur, ob idq́ tardiùs agit: liquida verò contrà confeſtim vacuant, & ſimul vacuantur. Quæ horum in medio ſunt, tempus ad actionem mediocre requirunt. Propterea quæ citò agere volumus catapotia, damus admodũ mollia & parua: præcipuè quibus imbecillus eſt ventriculi calor. Catapotia diu ſeruanda ex aqua aliqua ſola, aut ſucco ſolo ne formaueris, quòd citiùs ſiccentur, vel ſitum contrahant, nec vires ſimplicium cohibent: ſed ſyrupis actionem catapotiorum iuuantibus, vel alio & glutinoſo, & iucundo humore. Catapotia ſunt inuenta, vt ſemel deuorentur (vnde & nomen habẽt) ne ſuo ſapore ingrato linguã vitient, vtq́ diuturna in ventriculo mora, à remotis etiam partibus attrahant. Cùm verò ferè ſint valentibus ſimplicibus compoſita, initio febriũ cruda adhuc materia nõ ſunt danda, quia mouent & agitant, nec vacuant. Vnde ſymptomata ſequuntur à Gal. ſcripta apho. Cõcocta medicari. Neq́ danda ſunt emaciatis, & ventriculum habentibus imbecillum, vt à quo nõ ſint diſſoluenda, & in actum reducenda à quibus ſi ſumpta ſint cochlearia tria iuſculi multùm calida ſorbeantur. Si autem ob duritiem non diſſoluantur, vomitu reÿciantur. Niſi quæ in his ſunt clementiſsima, & molliſsima, & minimè deuorãtur, qualia aromatica communia, maſtichina, & alia quædam, de quibus pòſt. Catapotia Thomæ de Garbo ſecreta his affinia ad affectus cerebri, ſpinæ, neruorũ contumaces, à materia frigida, craſſa, lenta, præſertim ſub finem morborum. Cubebarum, nucis moſchatæ, cinnamomi, ſpicæ, aniſi carpobalſami, ſchœnu anthûs, maſtiches, aſari, caryophyllorum, calaminthes, ana drach. duas: turbith, colocynthidis, ana drachmas tres: myrobalanorum omnium ana

Κόκκια etiã vocari Græcis ait Manard.

*drach. duas, agarici, ſennæ, ana drachmam vnam: aloës pondus omnium cum ſucco menthæ.*

† Catapotia ſtomachica, pituita & bile flaua ventriculum, hepar, caput, ſenſoria, iuncturas purgant: recipiunt hieræ picræ drach. ſeptem: † trium myrobalanorum, ana drac. tres: agarici drachmas duas: turbith boni drachm. decem: epithymi Cretenſis, aniſi, ana drachm. duas & ſemiſſem: ſalis Indi drach. duas: abſinthij, ſcammonij, ana drachmas tres: fac catapotia cum penidiorum drachmis tribus, & ſucco cichorij, dantur darch. duæ.

† *Cepularũ, citrearum, Ind.*

*Sumuntur ad drachmam vnã & dimidiam, tantùm coctione ventriculi abſoluta ad affectus pituitoſos præſertim, ſed etiam bilioſos & melancholicos. Horis quatuor pòſt ſume iuſculum lauatorium, & hora vna pòſt prande, ſed parciùs: quin & drachma vnica mediocriter purgant hiera picra Galeni, myrobalani flauæ, nigræ, cepulæ.*

O Catapotia ſtomachica alia cerebrum, & ventriculum corruptis humoribus purgant, ventriculum roborãt, coctionem iuuant, appetentiam excitant: hieræ picræ drach. decem: trium myrobalanorum, abſinthij, ana drach. duas: maſtiches, aniſi, bellericarum, emblicarum, agarici, ana drach. tres & ſemiſſem: zingiberis drachmas duas: caryophyllorum, ſalis gemmæ, ſchœnu anthûs, ana drachmã vnam: turbith drachmas duodecim: confice cum ſucco abſinthij. Da drachmas duas vel tres.

*Poſſunt dari tantùm à drachm. vna, ad drach. vnam & dimidiam, vt prædicta; nam corpora regiones frigidas habitantia, quia pituitoſa, alba mollia, minùs valentia ferunt medicamenta, quàm corpora nigra ſicca, dura regiones calidas, vt Aegyptum, Aethiopiam colentia, Gale. in lib. c. ph. g. Catapotia autem ex puluere ſolius hieræ picræ Galeni cum melle roſato, vel ſyrupo roſato, vel alio formata idem poſſunt quod hiera ipſa, & ad drachmas duas ſumi poſſunt. Catapotia Rufi ex aloës vnc. duabus; croci myrrhæ, ana vnc. vna, cum vino albo aromatico: vel potiùs ſyrup.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0312-8

*rup.limonum: vel ſucco citrei formāda, illis proxima ſunt viribus. Pro croco autem ammoniacum, thymiama miſcet Paul.lib.3.cap.de peſtilentia ex Rufo. Sunt enim contra peſtem ſalubria, præſertim additis vncijs duabus boli Armenicæ & aloë, ſi æſtas ſit, lota in aqua intybi & roſarū. Nam ventriculum, inteſtina, meſaræum, hepar, cerebrum purgant humore putri, bilioſo, aut pituitoſo. Dantur manè ieiunis drach. vna.*

CAtapotia ſtomachica alia idem pollentia, recipiunt trium myrobalanorum ana drachmas tres, roſarum maſtiches, ana drachmas duas: cardamomi, ligni aloës, ſantali citrini, cubebæ, caryophyllorum, ſchœnu anthûs, nucis moſchatæ, ana drachmas duas: rhabarbari vnciam ſemiſſem: turbith drachmas ſeptem: aloës pondus omnium: comprehende omnia vino odoro.

CAtapotia ſtomachica alia nobis inuenta, ventriculum & caput expurgant: quouis tempore ſumi poſſunt: recipiūt turbith drachmas decem, maſtiches drachmas quatuor: roſarum drachmas tres: aloës bonæ pondus omnium: comprehende ſucco abſinthij.

*Materiam pituitoſam, putrem, præcipuè aquoſam ex ventriculo & cerebro vacuant à drachma vna ad drachmam vnam, & ſemiſſem.*

CAtapotia ſtomachica alia, caput & ventriculum purgantia, recipiunt aloës drachmas ſex: maſtiches, roſarum, ana drachmas duas: compone cum ſucco ſolani.

*Hæc oſtendunt hieram picram Galeni tribus his ſimplicibus abſolui poſſe, ſed minus efficacem, vt antè docui.*

CAtapotia ſtomachica alia recipiunt myrobalanorum flauarum, aloës, turbith ana drac.decē: roſarum ſpicæ, maſtiches, ana drachmas duas & dimidiam: aniſi drachmā, vnam & ſemiſſem ſalis Indi, croci, ana drachmam vnam: miſce cum ſucco abſinthij.

*Hæc ob myrobalanos flauas, bilē flauā leuiter vacuant.*

CAtapo.diarrhodon, ventriculum firmant, coctionem iuuant, oris odorem commendant: recipiunt trochiſcorum

diarhodon, abſinthij, ána drach. quinq:, ſummitatum ſcœnu anthûs, maſtiches, ana drach. duas: ſalis Indi drachm. vnam: aloës bonæ pondus omnium: comprehende aqua foliorũ citri.

*Pituitam, præſertim tenuem & putrem, à ventriculo vacuant, & vi aloës etiam bilem.*

* *Pil. aggregatiuæ multorum affectuum.*

CAtapotia polychreſta nobis inuenta, ob idque ſic appellata, quòd ſint efficacia ad multos affectus capitis, ventriculi, hepatis: purgant enim ex his & ſenſoriis pituitam, & bilem vtranque: quapropter febribus antiquis, complexis, & inuicem complicatis commodant, recipiunt myrobalanorum flauarum, rhabarbari, ana drachm quatuor: ſucci eupatorij, ſucci abſinthij, ana drachmas duas: ſcammonij Antiocheni in pomo cocti drachmas quinque: cepularum Indarum, agarici, colocynthidis, polypodij, ana drachmas duas: turbith, aloës, ana drachmas ſex: maſtiches, roſarum, ſalis gemmæ, epithymi, aniſi, zingiberis, ana drachmam vnam: †electarij roſarum quantum ſufficit ad comprehenſionem. Fiant catapotia craſſa: da à drachma vna ad aureum vnum.

† *à Meſ. non Nicol. ſcripti.*

*Humores tenues & calidos potiùs quàm pituitoſos, craſſos, frigidos, vacuant à toto corpore. ſed præcipuè à dictis partibus. Dantur cocta iam materia & iam miſta in febribus heterogenibus inuicem complicatis. Sunt etiam ſalubria purgationi vernæ. Dantur hora vna ante diluculum. Omnium pilularum quibus vtimur, has maximè excellentes ſcribit Manardus, & quia tutiores, & efficaciores, per aggregatiuas abſolutè ſcriptas intelliguntur.*

O CAtap. polychreſta maiora, pituitam craſſam lentam purgant, & inde natos affectus, colicum, arthriticum, iſchiadem, podagram, ventris totius inflationem: præter hæc hæmorrhoidas ſanant. recipiunt bdellij, myrobalanorum nigrarum, emblicarum ana drachmas quatuor: turbith boni & electi drachmas tredecim: ſeminis apij, fœniculi, aniſi, carui, ameos, origani, roſarum, lepidij Indi, rutæ agreſtis, hermodactyli, ſalis Indi, maſtiches, hammoniaci, ana drach. vnam: cinnamomi, cardamomi, acori, ſpicæ, croci, †caſiæ, ana drach. ſemiſſem: ſagapeni drachmas quatuor: colocynthidos drac. tres: pe-

† *Ligneæ, ſeu cinnamomi vulgaris.*

ridiorum alborum drachmas quatuor: aloës drachmas quindecim:commiſce cum ſucco braſsicæ, manibus tuis oleo iaſmeno inunctis.

CAtapotia polychreſta minora, pituitam & bilem vtranque à ventriculo, & capite purgant, obſtructiones hepatis liberant:ipſumque ac ventriculum roborant, febres antiquas, pruritum, vlcera [maligna] iuuant: recipiunt myrobalanorum flauarum, nigrarum, emblicarum, ana drach.tres: maſtiches, aniſi ſucci eupatorij, abſinthij, roſarum, ana drachmas duas:rhabarbari drachmas quinque: hieræ picræ drachmas duodecim: conſice cum ſucco apij. Da drachmas duas cum aqua calida.

CAtap.ex eupatorio maiora, obſtructionẽ hepatis liberant, & icterum inde ortum ſanant, ac dolorem & febres circuitu repetentes: recipiunt myrobalanorum, flauarum ſucci eupatorij ſucci abſinthij, ana drachmas.tres:rhabarbari drachmas tres & ſemiſſ:maſtiches drachmam vnam: croci drach. ſemiſſ. aloës drach.quinque: forma cum ſuco intybi. Dantur drach.duabus cum ſero lactis.

*Bilem liquidam & tenuem, & hos affectus inde natos ſanant drachma vna & dimidia, etiam ſine ſero lactis.*

CAtapot.ex eupatorio minora idem potentia, recipiunt myrobalanorum flauarum, rhabarbari, ſucci eupatorij, aloës, ana partes æquales: comprehende aquâ apij, vel intybi. Da drachmas duas.

CAtapotia ex rhabarbaro vacuant humores craſſos, lentos, multùm putres, & inde ortas febres antiquas & ex aliis quoque humoribus, ſanant & hepatis dolorem, ac hydropem incipientem:recipiunt rhabarbari drac.tres:ſucci glycyrrhizæ, ſucci abſinthij, maſtiches, ana drachmam vnam: myrobalanorum flauarum drach.tres & ſemiſſem:ſeminis apij, fœniculi, drach.ſemiſſ.trochiſcorum diarhodon, drachmas tres, & ſemiſſem:hieræ picræ drachmas decem:excipe aquâ fœniculi. Da veſpere drachmas duas, cum ſero lactis.

*Obſtructiones hepatis aperiunt: & bilem, pituitamq́ putres præſertim, purgant.*

CAtapot.ex rhabarbaro alia ad hepatis & lienis obſtructionem, & hydropem: recipiunt rhabarbari drachmas ſeptem: ammoniaci, ſagapeni, bdellij, ana drachmas decem:

*Vnica drac. ſufficit, ſunt enim longè valẽtiores prioribus.*

cancami, drachmas octo, opopanacis drachmas quatuor, thymelææ, gummi, ana drachmas quatuor: turbith drachmas decem: ſpicæ, polij, aloës, ana drach. quinq; maſtiches drac. duas: myrobalanorum flauarum drahmas decem: diſſolue lachrymas vino, & forma. Dantur drachmis duabus cum aqua caſei.

*Catap. Imperialia his affinia, bilem & pituitam ex nutritorijs partibus vacuant. Rhabarbari vnciam vnam: aloës vnc. duas: turbith, agarici, folliculorum ſennæ, quinque myrobal. cinnamomi, amomi, cardamomi, caryophyllorum, Zingib. macis, nucis moſchatæ, Zedoariæ, cubebæ, xylaloes, croci, aniſi, maſtiches, ſpicæ nardi, mellis aërij, ana ſcrup. vnum, cum ſyrupo roſato, aut violato.*

O CAtapot. ex halicacabo à nobis inuenta, ad febres diuturnas ex humoribus variis ortas, obſtructionem hepatis ſoluunt, & inde ortum dolorem, & incipientem hydropem: recipiunt abſinthij & ſucci eius, & ſucci eupatorij, aloës, myrobalanorum flauarum, maſtiches, croci, rhabarbari, cancami loti, aſari, aniſi, †caſiæ, ſeminis fumariæ ana drachm. duas, hieræ picræ drachm. tres: confice cum aqua ſolani. Da à drach. vna aureum vnum & ſemiſſem. Si autem tuſsis eſt cum febre, pone venarum glycyrrhizæ pondus dimidium ad omnia.

*†Ligneæ vt prius.*

*Eandem miſtionem in tuſsi cum febre potes in aliis pilulis facere.*

*Solanum id, cuius aqua aut ſucco vult comprehendi, ſunt qui putant eſſe halicacabum ſolani ſpeciem, & inde nomen his impoſitum: alioqui halicacabum non reciperent, niſi malè halicacabum omiſſum cauſeris, aut titulum corruptum pro alchindi, vel alio.*

O CAtap. Philagrij ad febres antiquas: recipiunt trochiſcorum diarhodon, trochiſco. de rhabarbaro ana drach. quatuor: ſucci eupatorij, ſpinæ albæ, ana drachmas duas: abſinthij drachmam vnam & ſemiſſem, mirobalanorum flauarum, ſeminis caſſutæ, turbith, ana drachmas quatuor: agarici, aloës, ana drachma. octo: ſalis Indi drachmam vnam & ſemiſſem: confice cum aqua fœniculi. Da drachmas duas.

* CAtapotia Inda Haly ad affectus melancholicos, cancrum, elephantiam, alphos nigros curatu difficiles, melancholiam morbum, & inde ortum timorem [& mœrorem] quartanam, icterum ſplenicum, ſplenis dolorem recipiunt myroba

robalanorum nigrarum, ellebori nigri, polypodij, ana drach. quinque: epithymi, ſtœchados, ana drach. ſex: agarici, lapidis cyanei loti, colocynthidos, ſalis Indi, ana drach. quatuor: ſucci eupatorij, ſpicæ, ana drac. duas caryophyllorũ drac. vnã: hieræ picræ drac. duodecim: fiat maſſa cũ ſucco apij. Dãtur à drach. duabus vſq; ad aureos duos cũ aqua caſei: Salubria ſunt experta. [Vnica drac. ſatis eſt.]

*Humorem melancholicum et melancholiam vſtam purgant. Icterus ſplenicus eſt, qui niger Galeno dicitur initio libro 6. locorum affectorum, quòd ſplenis vitio fiat: fœdos et pallidos colores in puellis, nubilibus præſertim, vulgò appellamus, licet etiam viros occupet. Indæ autem vocãtur, vel quia in India celebrentur, vel à ſale Indo, qui niger eſt eiusq́; loco ruber vtendus eſt, non ſaccharum candefactum. Idem pollicentur pilulæ fumariæ Auicennæ: ad pruritum enim, ſcabiem, & affectus alios ab vſta materia natos valent: recipiunt autem myrobalanorum citrearum, cepul. Indarum, ſcammonij, ana drach. quinque: aloës, drach. ſeptem: tere omnia non multum ſubtiliter: aqua fumariæ irrora, inſola ad mediocrem ſiccationem: ſecundo, et tertiò idem fac: pòſt ſicca perfectè, & repone.*

CAtap. Hermetis ex trochiſcis colocynthidos, ad cephalæam & hemicraniam difficilem, & affectus neruorum, & iuncturarum, recipiunt trochiſcorum colocynthidos, drach. duodecim, hieræ drach. ſeptem: maſtiches drach. duas: ſalis, gemmæ, aureum vnum, ladani boni vnciam vnam, omnia præter ladanum & maſtichem tere, & cribra: maſtiche verò pulueretur cum pauco oleo nucum, quo ſpecies tritæ illinantur: deinde cum ladano miſceatur in mortario piſtillo calido: fiant catapotia craſſa. Da à drach. ſemiſſe ad drachmã vnam.

CAtapotia alia ex eiſdẽ trochiſcis efficacia ad affectus cerebri, neruorum, & iuncturarum pituitoſos: recipiunt trochiſcorum colocynthidos, drachmas decem: ſalis gemmæ, drachmam vnam: ladani drachmas duodecim: olei roſarum, quantum ſufficit.

CAtapot. ex colocynthide, ad affectus pituitoſos & melancholicos, vt alphos curatu difficiles, & iuncturarum

dolores:recipiunt colocynthidos drach.ſex:myrob.nigrarum & flauarum,ſagapeni,bdellij,ſarcocollæ, ana drach.quinque: aloës drach.ſeptem:melanthij,cumini carmani,origani, perſici,†naſturtij albi,ſalis gemmæ,abſinthij Romani, ana drac. vnam:infunde lachrymas*aquæ porri, & cum cæteris finge maſſam.Dantur à drachma vnam ad aureum vnum.

†*Thlaſpeos Manard.*
*Id eſt, ſucco.

*Pituitam craſſam,lentam à cerebro,& partibus omnibus neruoſis potẽter trahunt drach. vna in fortibus: parum tuta ſunt per ſe, cum alijs parua portione miſceri poſſunt alium humorem vacuantibus,& ab alia parte, ſi his ſcopis erit aliquando ſeruiendum.*

CAtap.ex ſarcocolla,alba ſunt:pituitam vacuant,ob id pituitoſis affectibus commodãt:recipiunt ſarcocollæ drac. tres:turbith,drach.quatuor:colocynthidos,drach.vnam & ſemiſſem:zingiberis tantundem:ſalis gemmæ, drach.vnam:diſſolue ſarcocollam in aqua roſata,híſque alia comprehende.

*Violenter pituitam craſſam & lentam trahunt,parum tuta vſu,niſi parua doſi in valentibus,& cum alijs miſta: deſcripta ſunt etiam in ſimpl.cap.de ſarcocolla.*

* CAtapotia fœtida maiora,vacuant pituitam craſſam, crudam,ob id conferũt affectibus inde natis, arthritidi,podagræ,gonagræ,dolori ſpinæ & aliarum iuncturarum,ventriculi,colico,alphis, elephantiæ, albaras: recipiunt ſagapeni, hammoniaci,opopanacis,bdellii,colocynthidis,rutæ agreſtis, aloës,epithymi,ana drach.quinque: hermodactylorum, eſulæ,ana drachmas duas:ſcammonij drach.tres:cinnamomi,ſpicæ,croci,caſtorij,ana drachmam vnam:†turbith drach.quatuor:zingiberis drachm.vnam & ſemiſſem: euphorbij drach. vnius partes duas:diſſolue lachrymas aqua porri,& finge maſſam.Dabis drachmas duas.

†*Vnica drachma ſufficit.*

*Catapotia hæc arthritica δυσώδεα,pituitam craſſam,lẽtam,à cerebro,iuncturis,& partibus alijs remotis trahunt: vtenda potiùs in fine morborum pituitoſorum, vt paralyſis. Dantur drachma vna. Fœtida vocantur, quòd caſtorium, rutam agreſtem & liquores graueolentes recipiant potiùs quàm quòd putres humores vacuent.*

Cata

CAtapotia fœtida minora idem pollentia, recipiunt ſagapeni, hammoniaci, opopanacis, bdellij, myrrhæ, ana drac. quinque: turbith drach. decem: colocynthidos drach. ſex: fiant vt priora. Da drach. duas.

*Quòd paucioribus conſtant ſimplicibus dicuntur, tamen minùs tuta ſunt quàm priora: quia minùs correcta ſunt ſimplicia: fortibus dari poſſunt à ſcript. duobus, ad drach. vnã.*

CAtapotia ſagapeni pituitam lentam purgant: ob id iuuãt paralyſin, ſpaſmum, dolorem iuncturarum, dorſi podagram frigidam: recipiunt ſagapeni, hammoniaci, bdellij, opopanacis, aloës, caſtorij, rutæ agreſtis, ana drach. duas: colocynthidos drach. tres. Fac maſſam cum aqua porri.

*Pituitam craſſam lentam, expulſioni paratam, à cerebro, ſpina, & alijs partibus neruoſis potenter educunt drac. vna: tutiora tamen ſunt fœtida maiora.*

CAtapotia ex ſagapeno, ad iſchiadem, podagrã: & reliquarum iuncturarũ dolorẽ, ac etiam vteri, menſesq́; promouent: recipiunt ſagapeni, hammoniaci, opopanacis, bdellij, ana drach. duas & ſemiſſ. ſeminis apij, ameos, rutæ agreſtis, aniſi, ana drach. vnam: acori, lepidij Indi, calaminthes, folij, centaurij, polij, coſti, ſalis gemmæ, ana drach. ſemiſſ. aloës, drach. ſex: colocynthidos, drach. quinque: fac maſſam, vtere. *

*Catapotia coccia pituitam à cerebro & alijs neruoſis vacuant: ob id conferunt dolori capitis frigido, ſeu pituitoſo: ſic à Meſue deſcribuntur in praxi: recipiunt pul. hieræ picræ Galeni drach. decẽ: colocynthidos drach. tres & tertiã partẽ drach. vnius: ſcammonij, drach. duas & ſemiſſem: turbith, ſtœchados, ana drach. quinque, cum ſucco abſinthij forma: dantur drach. vna. Adſcripſimus his quòd vſu ſint frequentia. Catapotia Galeni ex aloẽ idem præſtantia, recipiunt colocynthidos & ſucci abſinthij, ana partem vnam: aloës, ſcammonij, ſingulorum partes duas: maſtichen Chiã & bdellium, antè etiam miſcebat Gale. ſed poſteà ſuſtulit. Dat vndecim ciceris magnitudine adoleſcenti bene habito.*

Lib. 1. cõ. pha. p. & lib. 14. metho.

*bito.Paulus autem lib.7.medullæ colocynthidos,aloës,ſucci abſinthij,ſingulas partes:ſcammonij partes duas miſcet,ac fingit κόκκια, hoc eſt,granula erui magnitudine,datq́ vndecim: Vnde vulgò pilulæ cocciæ dicuntur. Aliter Raſis, Gradi,Nicol.componunt. Gale.item lib.5.methodi ad varias excrementorum ſpecies pilulas ſuas commendat ex aloë,ſcãmonio,colocynthide, agarico, bdellio,gummi Arabico,non adſcripta ſingulorum menſura.*

CAtap.euphorbij, pituitam frigidam, crudam,ad neruos fluentem vacuant:ob id conferunt paralyſi:recipiunt euphorbij,colocynthidos, agarici,bdellij, ſagapeni,ana drachm. duas:aloës,drach.quinq;:finge cũ aqua porri. Dantur à drach. ſemiſ.ad drach.vnam.

*Non vtenda niſi in neceßitate magna, idq́ in robuſtis.*

O *Pil. mezereon.*

CAtapotia ex thymelæa, ſeroſum excrementum valenter purgant,ſeu aquas:ob id hydropem iuuant,recipiunt foliorum thymelææ aceto infuſorum & ſiccatorum, drachm. quinque: myrobalanorum flauarum,drachmas quatuor:cepularum,drach.tres:forma cum manna,& tamar Indis aqua intybi ſolutis.

*Dantur à drach.vna ad ſcript.quatuor in aſcite.Validè enim purgant aquas:tutiùs autem rhabarbaro,aut catapotys rhabarbari miſcentur.*

* *Pil.lucis.*

CAtapotia optica maiora, viſum roborant,& augent, excrementa vacuant, corpus ſanum ſeruant:ſumptis his,à cibo abſtinere non eſt neceſſe: recipiunt roſarum, violarum, abſinthij, colocynthidis, turbith, cubebæ, calami aromatici, nucis moſchatæ,ſpicæ, epithymi,carpobalſami, xylobalſami, ſeſeleos, ſeminis rutæ,ſchœnu anthûs,aſari,maſtiches,caryophyllorum,cinnamomi,aniſi,fœniculi,apij,caſiæ,croci,macis, ana drach.duas:myrobalanorum flauarum,cepularum Indarum belleric.embli.rhabarbari, ana drach.quatuor: agarici, ſennæ,ana drach.quinque:euphragiæ,drach.ſex,aloës,pondus omnium:comprehende ſucco fœniculi. Dantur à drach.duabus ad drach.tres.

*Pituitam à cerebro & oculis vacuant,ob id oculorum*

*mor*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0320-2
DFG

*morbos inde natos curant: adhæc viſorium ſpiritum roborant, augent, puriorem reddunt, ſic viſionem iuuant. Optica, id eſt, viſoria, ſeu cum vulgo, lucis inde dicta. Hæc roborat Manardus in pituita educenda coccijs: in bile, aureis pilulis.*

CAtapotia optica minora idem pollentia, recipiunt xylobalſami, carpobalſami, ana drach. vnam: chelidonij, drachmas quinque: roſarum, violarum, abſinthij, euphragiæ, ana drach. tres: ſennæ, epithymi, myrobala. flauarum, cepul. Ind. bellericarum, emblic. agarici, colocynthidos, ſchœnu anthûs, lycij, lapidis cyanei, ana drach. duas & ſemiſ. aloës, pondus omnium: finge cum ſucco fœniculi, aut chelidonij.

*Minora hæc ſunt vocata, quòd paucioribus cōſtant ſimplicibus: viribus enim valentiora ſunt prioribus, præſertim ad purgandam melancholiam magis, quàm pituitam: cùm illa contrà pituitam potentiùs purgent, quàm melancholiam.*

CAtap. ex agarico, thoracem purgant pituita craſſa & putri: ob id antiquæ tuſſi, & aſthmati conferunt: recipiunt agarici, drach. tres: radicis ireos, praſij, ana drach. vnam: turbith, drach. quinque: hieræ picræ, drach. quatuor: colocynthidos, ſarcocollæ, ana drach. duas: myrrhæ, drachm. vnam: miſce cum ſapa. Da drach. duas. *

*Trahunt etiam à capite & iuncturis: & peripneumoniæ etiam conferunt ſcript. quatuor. ſine myrrha fiunt Auicen. cap. de aſthmate.*

CAtap. ad febres bilioſas, & morbos ex bile flaua, & ſanguine natos, recipiunt myrob. flauarum, & Ind. emblicarum, ſeminis fumariæ, caſſuthæ, ana drach. duas: foliorum roſarum ſeminis citruli, rhabarbari, ana drach. duas: alij rhabarbari drachm. ſex: ſcammonij in cydonio cocti, drach. vnam & ſemiſ. alij drach. duas & ſemiſ. ſucci eupatorij, ſucci abſinthij, ana drach. duas: agarici, drach. duas & ſemiſſem: hieræ picræ, drach. octo: mellis cum caſſia fiſtula, tamar Indis, & ſucco intybi miſti, quantum ſufficit. Dantur à drach. duabus ad aureos duos.

O *Tuta non ſunt in magnis febrib.*

Catap

† CAtapotia ex turbith aurea dicta, bilem & pituitam citra moleſtiam purgant: hepar & ventriculum roborant, co-ctionem iuuant: recipiunt turbith boni drach. ſexdecim: aloës vnciam vnam & ſemiſ. maſtiches, roſarum, ana drach. ſe-ptem: myroba. flauarum, drach. decem: croci drach. tres: confi-ce cum ſucco abſinthij.

*Nomine aurearum pilularum medicis veniunt quæ à Nicolao deſcribuntur. Hæ autem turbithicæ his appellan-tur Meſues ſine zingibere parat, vt ſint mitiores, & mi-nùs longè trahant: zingiber enim turbith actionis vim ta-lem impartit.*

CAtapotia ex turbith alia idem potentia, recipiunt turbith, myrobala. flauarum, aloës, ana, drach. decem: maſtiches, roſarum, ſpicæ, ana drach. duas & ſemiſ. aniſi drach. vnã & ſemiſſ. croci drach. vnam: fiat maſſa vt priùs. Alij addunt ſa-lis Indi drach. duas.

* CAtapotia ex lapide cyaneo, ad affectus melancholicos, & bile vſta natos: recipiunt lapidis cyanei loti, drach. ſex, epithymi, polypodij, ana drachmas octo: ſcãmonij, elle-bori nigri, ſalis Indi, ana drachm. duas & ſemiſſem: agarici drach. octo: caryophyllorum, aniſi, ana drach. quatuor: hieræ picræ, drachm. quindecim: miſce cum ſucco intybi. Da drach. duas cum aqua caſei.

*Cancro, elephantiaſi, quartanæ, tutò & ſine moleſtia purgando conferunt à drach. vna ad drach. vnam & ſe-miſſ. atram bilem purgant valentiùs quàm Indæ.*

†

*Non parantur, quia lapis Armenus deſideratur Manardo.*

CAtapotia ex lapide Armeno, melancholiam, & bilẽ vſtã multiplicem vtranque clementer vacuant: ob id morbis inde natis conferũt: recipiunt lapidis Armeni loti & præ-parati, hieræ picræ, ana drach. quinque: epithymi, polypodij, ana drach. octo: ſcammonij in cydonio cocti, drachm. tres, ca-ryophyllorum, drach. duas: ſalis Indi, drac. vnam & ſemiſſem: confice cum ſucco ſolani.

*Rariùs vſurpantur, quàm prædictæ: quia impotentiùs purgant, licet clementius. Actuarius habet pro polypodio, agarici drach. quatuor, & ponderibus variat. Alexander picræ,*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0322-4
DFG

*picræ, epithymi, agarici, ſcammonij, ana ſcrip. quatuor: lapidis Armeni loti, drach. quatuor: caryophyllo. grana viginti: in alio exẽplari ſcammonij ſcrip. duo: lapidis Armeni ſcrip. quatuor: in alio ana ſcript. quatuor. Meſue in cephalalgia melancholica accipit aloës drach. quatuor: ſcammonij, drach. quinque: caryophyllo. drach. vnam.*

Catapotia ad catarrhum, coryzam, tuſsim, aliosq́; his ſuccedentes affectus: recipiunt myrrhæ, drachmas ſex, thuris drachmas quinque: opij, hyoſcyami, ana drachm. quatuor: croci drach. vnam & ſemiſſem: radicum linguæ canis, drach. quatuor & ſemiſſ. forma maſſam. Da à drach. ſemiſſ. ad drach. vnam.

*Pilulæ de cynogloſſa alijs dicuntur: tenuem deſtillationẽ ſiſtunt: ſed parum tutæ ſunt, vt aliæ ſtupefacientes. Alias ex Alexandro in eundem vſum deſcribit Meſues cap. de catarrho, quas cum ſucco cynogloſsi conficit: Alexander verò cum aqua in qua opium ſit diſſolutum.*

Catapotia ex bdellio maiora ad fluxum hæmorrhoidum * & vlcerum in eis, & ad menſes immodicos, recipiũt bdellij, drach. duodecim: ameos, drach. tres: cepularum, Ind. belleric. emblic. † pectinum vſtorum, ſuccini, ana drach. duas & ſemiſſem: infunde bdellium † ſucco porri, & forma maſſam. Dantur à drach. duabus ad aureos duos.

*† Cõcharũ: alij auellanarum, alij veneriarũ, id eſt, radicum acori legunt.*

*† Vel decocto, vel deſtillata aqua porri ſectilis, & nõ transplantati.*

*Humore melancholico & vſto per inteſtina clementer his catapotijs vacuato, deriuatio fit ab hæmorrhoidibus, & vlceribus inteſtini recti, quæ vſti humores illi erodendo excitarunt: & ab immodica per vterum vacuatione: & vim retentricem hepatis, ac lienis imbecillam roborant.*

Catapotia ex bdellio minora, idem pollentia, recipiunt myrobalanorum, cepularum, Indarum, emblicarum, & belleric. ana drach. quinq;: bdellij, drach. quindecim. Forma vt priùs.

Catapotia de bdellio alia nobis inuenta, idẽ pollentia, recipiunt myrob. nigrarum, emblicarũ, belleric. ana drac. quinq;: bdellij, drac. decẽ: ſcoriæ ferri, ſeminis porri, ana dra

drach.tres:coralli vſti,ſuccini, pectinum vſtorum,ana drach. vnam & ſemiſſem:margaritarũ,drach.ſemiſ. Forma vt priùs.

*Omnes pilulæ ex bdellio valent profuſioni ſanguinis ex ano: non autem his, quas cæcas hæmorrhoidas vocant. In maioribus, cortices auellanarum vſtos, vel radicem aliquã ſtypticam vſtam cape, pro venarum, ſeu pectinum. Vltimæ ad fluorem immodicum ſanguinis per ſedem, vel vterum, vel os ſunt efficaciſſimæ.*

† CAtapotia ex opopanace,ad paralyſim, ſpaſmũ cynicum, gonagram, podagram,& aliorum articulorum dolores, morboſq́; partium neruoſarum frigidos: recipiunt opopanacis, hermodactyli, ſagapeni, bdellij, ammoniaci, colocynthidos,ana drachmas quinque: croci, caſtorij, myrrhæ, zingiberis, piperis, macropiperis, caſiæ, myrobalano. flauarum, belleric. emblic. ana drach. vnam:ſcammonij,drach.duas:turbith,drach.quatuor: aloës,drach.duodecim: infundantur lachrymæ aquæ braſſicæ,& cũ his fac maſſam. Dantur à drach. vna ad aureum vnum cum aqua chamæpytios.

*Vacuant à cerebro neruoſisq́; partibus pituitam craſſam: ſed etiam melancholiam, & bilem.*

* CAtapotia ex hermodactylis maiora,ad podagram,& dolores frigidos aliarum iuncturarum: recipiunt hermodactylorum, aloës, myroba. flauarum, turbith, colocynthidos, bdellij,ſagapeni,ana drach.ſex:caſtorij,ſarcocollæ,euphorbij, opopanacis,rutæ agreſtis,apij,ana drach.tres:croci,drach.vnã & ſemiſſem. Forma cum ſucco braſſicæ.

*Pluribus conſtant ſimplicibus,ſuntq́; compoſita magis: ob id maiora vocauit. Hæc, vt ſequentia quædam, cathartico roſato Meſuæ excipiunt.*

CAtapotia ex hermodactylis minora, ad podagram calidam,recipiunt hermodactylorum drach.quinque:ſcammonij,drach.duas & ſemiſſem: myrobalanorum flauarum,drach.tres:roſarum,drach.duas:aloës,drach.decem. Forma † cum cathartico roſato. Da drach. duas.

*† Elect. roſatum Meſ. non elect. de ſucco roſa. Nico.*

*Materiam ex iuncturis bilioſam præſertim vacuant,*

ſed &

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0324-5

*ſed & pituitoſam: ob id calidæ arthritidi conducunt, ſed etiam frigidæ.*

CAtap. ex hermodactylis à nobis deſcripta, recipiunt, hermodactylorum, aloës, ana drachmas quinque: myrobalanorum flauarum, turbith, ana drachmas quatuor: zingiberis, drachmas duas: forma cum electario roſato. Da drachmas duas. †

CAtapotia Sebellia, obſtructiones ventriculi, hepatis, lienis ſanant, & hydropem, materiámque vacuant: recipiunt ſpicæ Indæ, drachmas quinque: ſpicæ Romanæ, drachm. duas: rhabarbari, agarici, epithymi, ana drachmas tres, coſti, maſtiches, chamædryos, amomi, ana drach. tres: croci drachmas duas: myrrhæ, cinnamomi, caryophyllorum, ſchœnu anthûs, ana drachmam vnam: aloës drach. decem: cum vino antiquo forma. Da drachmas duas, cum vino. O

*Materiam bilioſam, pituitoſam, melancholicam, ex dictis partibus obſtructis vacuant, & aquas hydropicorum, ad ſcrip. quatuor ſumpta: ab inuentore Sabellia quidam dici opinantur. Hactenus Meſuæ catapotia, præter quæ alia quædam vſurpamus, qualia ſunt communia omnibus dicta: ab Almanſore ſcripta cap. de præcautione à peſte: recipiunt autem aloës drachmam vnam: myrrhæ, croci, ana drachmam ſemiſſem cum vino tenui, odoro: fac maſſam. Dantur ventriculo vacuo ad drachmam vnam, etiam ad conſueta opera ituro: ob id ſine cuſtodia ſcilicet cubiculi vulgò dicuntur. Aeſtate autem aloë lauanda præſtantiora fuerint, ſi boli Armenicæ drachmam vnam acceperint. Vacuant à ventriculo, meſaræo, hepate, excrementa pituitoſa, bilioſa, putria, & abſumunt, partéſque dictas roborant: ob id à peſte ſeruant, quia corpus ſiccant, vacuant, à putredine vindicant. Catapotia ex fumaria Auicennæ, ad ſcabiem, recipiunt myrobalanorum flauarum, cepularum, Indarum, ana drachm. quinque: aloës drach. ſeptem: ſcammonij cocti, drachm. quinque puluerentur omnia, & cum ſucco fuma-*

*riæ comprehendantur: ſiccentur dies aliquot in vmbra, forma offam, & omnino ſicca: & iterum in mortario puluera, & iterum ſimili ſucco comprehende, & ſicca: iterum puluera, ſucco comprehende, & forma maſſam. Soluunt humores acres, bilioſos, pituitam ſalſam, & alios aduſtos, à quibus pruritus & ſcabies. Dantur ad ſcriptula quatuor.*

* *Catapotia Bechica, ad tuſsim ſiccam cum caliditate & aſperitate faucium, & gutturis: recipiunt ſucci glycyrrhizæ, ſacchari boni, ana drachm. decem: amyli, tragacanthi, amygdala. dulcium depellatarum, ana drachmas ſex, excipe muccagine ſeminis cydoniorum: fac catapotia in ore tenenda. Fiunt autem hodie forma trochiſcorum, inter quos repetentur. Meſues ſic deſcribit in practica. cap. de curatione tuſsis ſiccæ. Fiunt etiam ex benedicta, & item ex hiera picra Galeni catapotia, quæ à remotioribus trahant, quàm dum hæc melle excepta ſumuntur forma molliore.*

*Catapotia maſtichina Petri de Ebano Conciliatoris, ventriculum, cerebrum, viſcera reliqua, oculos, vterum putribus humoribus purgant, & roborant: accipiunt autem maſtiches, drachm. quatuor: agarici albi, drachmas tres: aloës, drachmas decem: cum ſucco arthemiſiæ, vel ſyrup. ſtœchados, vel ſapa formantur pro vario medici ſcopo. Catapotia Aſſeieret dicta Auicen. in cephalalgia: recipiunt pul. hieræ picræ Gale. vnciam vnam: maſtiches, myrobala. citrearum, ana ſemunciam: aloës vncias duas, cum ſyr. ſtœchados formentur.*

*

SECT

# SECTIO SEPTIMA DE TROCHISCIS.

*

*Τροχίσκος κυκλίσκος ἀρτίσκος, Græcis omnibus, & alio quoque diminutiuo τροχίσκιον, κυκλίσκιον, Democrati dicitur medicamentum quoduis in formam rotulæ, orbiculi, paſtilli, qualis eſt ſemini lupino, coactum. Eius generis ſunt antidoti cephalicæ, oticæ, ophthalmicæ, arteriacæ, & hypoglottides multæ. Trita ſimplicia humore conueniẽti ſubiguntur, & in paſtillos digeruntur, vtendi tempore ex vino, aqua alio quouis liquore congruenti ſoluti, ebibuntur: vel admouentur, vel alÿs miſcentur. Trochiſci enim quidam magnis compoſitionibus miſcentur, vt theriaci, hedychroi, ſcillini theriacæ in ea dicti, alipta moſchata, gallia moſchata, diarhodon, & alÿ permulti alÿs, de quibus hîc agendum, vti & de his, qui interdùm per ſe vſurpantur, interdùm alÿs miſcentur, quidam ſumuntur, alÿ illinuntur, alÿ inÿciuntur.*

IN hac ſectione ſeptima de trochiſcis, eos præcipuè deſcribemus, qui tum à maioribus noſtris, tum à nobis ſunt inuẽti: quóſque experti ſumus.

*Trochiſcorum ſequentium vſus eſt rarus, præter quàm in magnis compoſitionibus, vt theriace: qui autem ſeorſum vſurpantur, puluerati, vt quando compoſitionibus miſcentur, ex vino, vel iure, vel aquis diſtillatis quidam ſumuntur: alÿ in cote medica liquore idoneo ſoluuntur: alÿ aliter in vſum veniunt, pro varÿs ipſorum viribus, varia partis & vlceris forma & ſitu. Fiunt autem trochiſci, id eſt, rotulæ, vel cycliſci, id eſt, circuli, vel artiſci, id eſt, paſtilli, ſeu parui panes, conſiſtentia dura, forma lupuli, aut paulò al-*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0327-3

DFG

*tiore: ponderis ferè drachmæ vnius, quò faciliùs ad diuturnam conſeruationem ſiccentur.*

TRoch. galliæ moſchatæ, cerebrum, córque roborat, oris atq; adeò corporis totius odorem commendat, compoſitionibus aliis miſcetur: recipit xylaloës crudæ, bonæ, electæ, partes quinq; ambræ, partes duas: moſchi boni, partẽ vnã, glutinis, tragacanthi† & aquæ roſatæ quantũ ſufficit ad ea comprehendenda. Fiant trochiſci figura folij myrtei, ſigillentur, vaſe vitreo reponantur. Alij ambram in vaſe vitreo diſſoluunt oleo balanino pauco: ac eo cætera comprehendunt.

*† In aqua roſarum ſoluti.*

*Poteſt huius drach. vna multis conſequenter matutinis ex vino, vel iure, vel aqua deſtillata idonea ſumi, ad roborandum ventriculum, hepar, & partes alias nutritorias longo morbo fractas. Poſſunt ijdem in electaria ſolida cum ſaccharo, vel liquida cum melle recipi, vt horum vnc. duæ, ſi delicatius: vel tres: ſi efficacius vis medicamentum, ſacchari vel mellis libram vnam habeant. Electarij autem huiuſmodi ſumitur vnc. dimid. vt priùs. Afferri ex Oriente, ſed malè paratam dicit Manardus.*

TRoch. galliæ Sebellinæ, ventriculum, cor, hepar, imbecilla roborant: in alias compoſitiones magnas immittuntur: recipiunt foliorum roſarum recentium, humidarum, ſe aperire incipientium vnc. vnam & dimidiam: tere curioſsimè in mortario lapideo: tunc ipſis aloës bonæ, caryophyllorum, gummi, ſpicæ Indæ, ana drachmam vnam & dimidiam: ſantali citrini, drachmas duas: ramich, drachmas tres: omnia minutiſsimè trita commiſce, & contere diem vnam cum roſis, aliquoties affundendo aquam roſatam infuſionis gummi Arabici. Poſtremò aromatiza moſchi drachm. vnius partibus duabus, ambræ & caphuræ ana aureo dimidio. Forma trochiſcos, & ſigilla.

*Recipitur in aromaticum nardinum. Sunt tamen qui eius loco troch. galliæ moſchatæ miſcent.*

TRoch. galliæ aromaticæ, veteribus celebratiſsimus ad cerebrum, cor, ventriculum, hepar, cæteráſq; partes nutritorias roborandas, neruóſque imbecillos illitu firmat: celebri

bribus deniq; compoſitionibus miſcetur:recipit autem emblicarum exoſſatarum, vnc.quatuor,quæ parum tritæ triduo in vaſe vitreo probè operculato macerentur lib.dimid.aquæ roſatæ,cui priùs roſæ ſiccæ,& cortices citrorum ſint immerſi,infuſiq;:deinde aquæ roſarum prædictæ infuſionis vnc.quatuor prætereà immitte,& poſtridie tantũdem, donec emblicarum virtus aquis ſit impreſſa. Tunc accipe ligni aloës drach.octo: ramich vnc.vnam & dimid.roſarum, caryophyl.ana drac.decem,ſpicæ Indæ drach.tres:ſantali flaui aromatici drach.quatuor:gummi Arabici drach.ſex:tere tenuiſsimè, & cum prædicta infuſione emblicarum paulatim adiecta miſce, & finge trochiſcos:ſigilla,aromatiza caphuræ & moſchi ana drac.vna: ambræ drach.duabus,ſerua vitreo vaſe.

TRoch.galliæ magnæ,ſeu regalis, ventriculum, cor, hepar,cæteráſque partes nutritorias roborat: appetentiam excitat,coctionem iuuat:recipit ſucci dactylorum immaturorum,lib.vnam quæ ſemel ferueſiat,cola:in ea coque ad mellis craſsitiem,gallarum recentium curiosè tritarũ, vnc.tres:deinde roſarũ rubrarum,vnc.vnam: cardamomi, ſeminis fraxini, caryophyllorum, nucis moſchatæ, maſtiches, ligni aloës,ana drachmas ſeptem & dimidiam:cinnamomi drach.tres: ſantali flaui drach.quinque:croci drachm.dimidiam,gummi Arabici drach. vnam:tere,cribra,miſce prædictis,extende ſuper marmor oleo amygdal.vnctum donec ſiccentur:terantur tunc tenuiſsimè,moſchi aureo dimidio aromatizentur cum aqua roſata:fiant trochiſci parui,ſiccentur in vmbra. O

TRoch.diarhodon,efficaciſsimi ad febres pituitoſas, antiquatas,aliis implexas,formam corrumpentes, ventriculi dolorem leniendũ,& humores ipſi adhærentes detergendos: recipiunt foliorum roſarũ rubrarum aureos ſex:ſpicæ aromaticæ,ligni aloës,ana aureos duos:glycyrrhizæ aureos tres:ſpodij aureum vnum:croci aureum dimidium: maſtiches drach. duas cum vino albo fac trochiſcos drach. vnius pondere. O

*Hos trochiſcos Meſues ſuis compoſitionibus magnis miſcet. Nicolaus autem ſuos diarhodon his diuerſos ſuis.*

TRochi.de roſis, ventriculum & hepar firmant, humoréſque ab illo detergent : ob id phlegmaticæ febri conducunt: recipiunt foliorum roſarum, drachmas decem: glycyrrhizæ drachmas quinque:ſpicæ aromaticæ,drachmas duas *

& dimidiam: vino albo excipe: ſi purgatorios vis, adde ſcammonij drachmas tres.

*Dantur ad ventriculi & hepatis, & aliarum partium nutritoriarum imbecillitatem ex morbo longo, & intemperie frigida, humida, febres antiquas, hydropis initium. Quanuis autem diarhodon ſignificet de roſis, tamen hoc loco differunt, vt apud Galenum, & alios leucacantha, & acantha leuce: chalcanthum: & chalchu anthos: aphronitron, & aphros nitru, & alia pleraque, ob aliquam differentiam nunc coniuncta, nunc diuiſa.*

O TRoch. de roſis & eupatorio, obſtructionem hepatis probè leuant, & inde naſcentes, icterum, febres antiquas, & aliis complexas: recipiunt foliorum roſarum, drachmas octo: ſpicæ, rhabarbari, glycyrrhizæ, ana drachmas tres: ſpodij, drachmam vnam & dimidiam: ſucci eupatorij drachm. decem: cum manna fac trochiſcos.

O TRoch. de roſis multorum ſcriptis celebrati, efficaces ad multos affectus: præſertim ad ventriculi dolorem, malam coctionem, febres antiquas, hydropem incipientem, & illos maximè, quibus forma corrumpitur: recipiunt roſarum drachmas quatuor: ligni aloës, drachmas duas: maſtiches, drachmam vnam & dimidiam: abſinthij Romani, cinnamomi, ſpicæ nardi, caſiæ ligneæ, ſchœnu anthus, ana drachm. vnam: cum vino antiquo, & aqua decoctionis radicum, fac trochiſcos drachmarum duarum.

*Radices ſunt vrticæ quinque intelligendæ, ruſci, aſparagi, apij, petroſelini, fœniculi.*

*Troch. Ramich Arab. id miſturæ ex gallijs et vuis paßis, vt quidam interpretātur.*

† TRoch. Ramich, ventriculum, cor, hepar imbecilla firmat, & lubrica viſcera ac inteſtina, choleram morbum ſiſtit, acrimoniam obtundit, animum reddit tranquillum, omnem hæmorrhagiam cohibet: ob quam naribus ſanguine fluentibus flando impellitur, aliis medicamentis miſcetur: recipit oxalidis vncias ſexdecim: ſemel ferueſiant cum roſarum vncia vna: baccarum myrti, vnciis duabus: cola: his miſce gallarum recentium curioſè tritarum vncias tres: coque iterum. Deinde pulueriza ſuper ipſa foliorum roſarum vnciam

ciam vnam : ſantali flaui vnc. vnam, & quartam: gummi Arabici, vnciam vnam : & dimidiam carnium rhoïs, ſpodij, ana drach. octo: omphacij, drachmas ſeptem: ſucci baccarum myrti multùm tritarum, vncias quatuor: ligni aloës caryophyllorum, macis, nucis moſchatæ, ana drachmas quatuor: miſce omnia ſimul, & extende in ſcutella lapidea vſque dum ſiccentur: pòſt tere minutim, & cum caphuræ aureo vno, & aqua roſarum fac trochiſcos paruos, ſicca in vmbra. Sunt qui loco ſucci oxalidis ſumunt ſuccum cydoniorum immaturorum: quidam quoque aromatizant moſchi drachmæ vnius quarta parte.

*In multas compoſitiones recipitur, propter quas ſolas quibuſdam paratur, illas compoſitiones vſurpantibus. Ramich autem Serapioni gallia eſt, aut galliæ materia. Galliæ autem videntur trochiſci quidam prædicti vocari à gallis fructibus: quas ferè recipiunt, aut per ſe aut per trochiſcos ramich, qui gallarum vncias tres recipiunt.*

*Gallia autem moſchata cur ſit appellata, non video, cùm nec gallas, nec ramich accipiat: ramich autem neſcio an ex rumice Latina voce corruptum eſt, quem largiſſimum hæc compoſitio recipit.*

TRochiſci caphuræ, ad febres ardentes bilis & ſanguinis † feruorem, ventriculi & hepatis intemperiem calidam, & ab his ſitim inexpletam, icterum, quoque, ac phthiſim & hecticam conferunt: recipiúntque foliorum roſarum drachmas quatuor: ſpodij, glycyrrhizæ, ana drachmas duas: ſantalorum flauorum, drachmas duas, & dimidiam: croci, ſeminum melonum, citruli, cucumeris, cucurbitæ tragacanthi, gummi, ſpicæ, ana drachmam vnam: ligni aloës, cardamomi, amyli, caphuræ, ana drach. vnius partes duas: ſacchari albi, & mannæ, ana drachmas tres: comprehende muccagine ſeminis pſyllij, & †aqua roſarum.

*†Extracta cum ſucco roſarum.*

*Vt præcedentes parantur, non quòd per ſe vſurpentur, ſed quòd in alias compoſitiones veniant. Spicam tamen & crocum, xylaloën, cardamomum, & etiam ſaccharum, mãnam, febribus acutis noxia tolle, ſi contra ipſas his es vſu-*

*rus. Trochiſci albi, ſeu collyrium album Raſis his affines ſublatis calidis: recipiunt ceruſæ lotæ, drachmas decem: amyli drachmas quatuor: gummi Arabici, tragacanthi, ana drachmas duas: caphuræ drachmam dimidiam: Fiant trochiſci ſic, gummis aqua roſarum ſolutis addatur reliquorum puluis tenuiſsimus. Fiant trochiſci à medico vtendi in in collyria ſicca, vel humida.*

† TRoch. rhabarbari, valent ad hepatis obſtructionem, dolorem, tumores præter naturã, affectus inueteratos eiuſdem, & hydropem, & icterum, & formæ corruptionem: recipiunt rhabarbari boni, drachmas decem: ſucci eupatorij, amygdalarum amararum, ana drachmas quatuor: roſarum, drachmas tres: ſpicæ, aniſi, rubiæ, abſinthij, aſari. ſeminis apij, ana drachmam vnam: fac trochiſcos ponderis vnius aurei.

*Quibuſdam ſunt in vſu ad frigidos, & pituitoſos, ac etiam bilioſos affectus hepatis, quibus corporis habitudo ſeu forma cachexia corrumpitur, vt in hydropicis & ictericis & cæteris cachecticis, ob hepatis deprauatam actionem. Dantur drachma vna ex aqua aut vino, pro affectuum & aliorum indicantium natura. Ad comprehendenda autem omnia, vt trochiſci fiant, ſucco eupatorij largiore opus eſt. Troch. ex rheo Indico Actuarij ſunt his affines: ponderibus tamen variant.*

O TRoch. ſpodij efficaciſsimi in febres acutas ventriculi, & hepatis inflammationem, & ſitim vehementem: recipiunt ſpodii, drachmas quatuor: roſarum rubrarum, drachmas ſeptem: ſeminis portulacæ, ſucci glycyrrhizæ, ana drachmas duas cum muccagine ſem. ſpyllij, fac trochiſcos drachmæ. vnius, vtere cum ſucco mali granati. Sunt qui addunt ſeminum quatuor, gummi Arabici, tragacanthi, croci, ana drach. vnam & dimidiam.

† TRoch. ſpodii alii, cum ſemine oxalidis ad febres bilioſas cum alui fluore valent: inflammationem ventriculi & hepatis, & ſitim continuam ſedant: recipiunt roſarum rub. drach. duodecim: ſpodij, drachmas decem: ſeminis oxalidis, drachmas ſex: ſeminis portulacæ, ſeminum coriandri aceto

to maceratorum, & torrefactorũ, pulpæ rhoïs, ana drachmas duas & dimid. amyli aſsi, balauſtiorũ, baccarũ oxyacanthæ, ana drach. duas: gummi Arabici aſsi, drach. vnam & dimidiam: comprehende omphacio: vtere cum aliquo ſucco adſtringēte.

*Fluorem alui & dyſenteriam iuuant, vel poti drachma vna cum aqua plantaginis, aut vino auſtero, aqua chalybata iugulato, ſi febris adeſt: vel drachmis duabus clyſtere iniecti: purgato tamen priùs corpore per rhabarbarum torrefactum, vel ſimile, & inteſtinis clyſtere alio antè deterſis: ſitim verò et febrilem ardorem extinguit cum aqua intybi, cichorij, vel alia.*

TRoch. oxyacanthæ, febres ardentes extinguunt, ac ſitim vehementem: recipiunt baccarum oxyacanthæ, aut ſucci earũ, ſucci glycyrrhizæ, ſeminis portulacæ: ſpodij, ana drac. tres: roſarum, drachmas ſex: ſpicæ, croci, amyli, tragacanthi, ana drach. vnam ſeminis citruli, drach. tres & dimid. caphuræ, drach. dimid. cum manna fac trochiſcos.

TRoch. oxyacanthæ alij, ad intemperiem calidam, fluorem alui, hepatis dolorem: recipiunt baccarum oxyacanthæ drachmas duas: ſpodij, maſtiches, xylaloës, galliæ, ſpicæ, ſeminis oxalidis, ana drachmam vnam: roſarum, drachmas quinque: gummi, drachmas tres: cum aqua roſarum fac trochiſcos.

*Rarior vſu hic, quàm ſuperior: amborum loco fuerit vua oxyacanthæ condita.*

TRoch. abſinthij, obſtructiones ventriculi & hepatis, & ab his dolorem, & febres antiquas tollunt: dictas partes, reliquasq́ue nutritorias roborant, appetentiam excitant: recipiunt roſarum, abſinthij, aniſi, ana drachmas duas: rhabarbari, ſucci eupatorij, aſari, apij, amygdal. amararum, ſpicæ, maſtiches, folij, ana drachmam vnam: fac trochiſcos cum ſucco intybi. Da cum ſucco herbarum.

*Scilicet abſinthij, eupatorij, apij, aut cum aqua ex ipſis deſtillata.*

TRoch. eupatorij, obſtructionem & tumorem præter naturam hepatis & lienis ſanant, ac inde natas febres antiquas, & harum rigorem, icterum incipientem hydropem:

recipiunt mannæ, ſucci eupatorij, ana vnciam vnam: roſarum, vnciam dimid. ſpicæ, drach. tres: rhabarbari, aſari, aniſi, ana drachmas duas: ſpodij, drachmas tres & dimid. cum †herbarum ſuccis forma trochiſcos, & cum iiſdem vtere.

†eupatorij.

O TRoch. aniſi, obſtructiones hepatis, & alios eius morbos, & inde natas febres antiquas ſanant: recipiunt aniſi, eupatorij, ana drach. duas: ſeminis aneti, ſpicæ, maſtiches, folij, abſinthij, aſari, apij amygdalarum amararum, ana drachmam dimidiam: aloës drachmas duas: compone cum ſucco abſinthij & apij. Da cum ſyrupo acetoſo & ſucco herbarum.

O TRoch. aniſi alij ex decem ſimplicibus, hepatis vitia, & inde natas febres antiquas, & quartanas, & formam corrumpentes ſanare ſunt à veteribus probati: recipiunt aniſi, ſucci eupatorij, ana drach. quatuor: maſtiches, ſpicæ, apij, abſinthij Romani, aſari, folij, ana drach. vnam: amygd. amararum drach. vnam & dimid. aloës bonæ, drach. duas: confice cum decocto abſinthij.

*Materiam craſſam tenuant: obſtructiones hepatis & lienis liberant: flatus diſsipant.*

† TRoch. cancami, ad obſtructiones hepatis & lienis, & inde natas febres varias antiquas, & aſcitem, vrinas mouent: recipiunt cancami mundati, ſucci glycyrrhizæ, abſinthij, oxyacanthæ, ſucci eupatorij, rhabarbari, ariſtolochiæ longæ, coſti, aſari, amygdalarum amararum, rubiæ, aniſi, apij, ſchœnu anthûs, ana drach. vnam: fac trochiſcos ponderis drachmæ vnius.

* TRoch. terræ ſigillatæ noſtri admodum efficaces ad ſputum ſanguinis, cum aqua plantaginis poti: ad fluorem verò ſanguinis è naribus, fronti illiti ad menſes immodicos, vtero iniecti, vel pubi illiti: ad mictum ſanguinis, in veſicam iniecti, & ad alias hæmorrhagias, parti ſanguine fluenti impoſiti: recipiunt ſanguinis draconis, gummi Arabici aſſi ramich, foliorum roſarum, & ſeminis earundem, amyli aſſi, ſpodij, acaciæ, hypociſthidos, lapidis hæmatitæ balauſtij, boli Armenicæ terræ ſigillatæ, fumariæ, corallij, ſuccini, ana drachmas duas: margaritarum, tragacanthi, papaueris nigri, ana drach. vnam & dimid. portulacæ aſſæ, cornu cerui vſti, thuris maſculi, croci, ana drach. cum aqua plantaginis fac

tro

trochiſcos. Da cum aqua infuſionis ſpodij, gummi, boli Armenicæ, ſpicæ: ad ſputum ſanguinis ex thorace aut pulmone reiecti, cum aqua portulacæ ſumitur: ad excoriationẽ, cum ſucco cydoniorum, vel alio adſtringente: ad hæmorrhagiam partium infernarum iniicitur cum aqua burſæ paſtoris. Cogimur interdum his trochiſcis addere opij drach. duas, aut plures, aut pauciores.

*Troch. ſphragidis Lemniæ, ſeu ſigillati terræ Lemniæ, in fluore ſanguinis è naribus, ex ſucco plantaginis & oui albumine ſoluti, fronti, & temporibus applicantur in menſibus immodicis, coxis internis, & lumbis. Sedenagi autem (quod hîc habebat interpres) quidam non fumariam, ſed cannabis ſemen intelligunt, quod euphiſtitidem alij dictum volunt.*

TRoch. colocynthidos in hieram Hermetis, & compoſitiones alias iniiciendi loco colocynthidos: recipiunt pulpæ colocynthidos albæ & leuis, & ſeminibus purgatæ, drach. decem: forcipibus incidantur, & fricentur cum vncia vna olei roſati: fac trochiſcos cum muccagine ex tragacanthi, gummi, bdellij, ana drach. ſex: aqua roſarum dies quatuor maceratis, ſicca in vmbra: tere iterum curioſè, & cum eadem muccagine forma rurſus trochiſcos, & vtere. O Tr. albădal.

*Nec hiera Hermetis, nec hi trochiſci etiam in ſimplicibus Meſuæ deſcripti vſurpantur: ſalubriores tamen quàm ipſa colocynthis ſunt.*

TRoch. ſantalorum, ad febrem ardẽtem, ventriculi & hepatis intemperiem calidam, & ſitim: recipiunt trium ſantalorum ana drach. octo: ſpodij, ſeminum cucumeris, cucurbitæ citruli, portulacæ, boli Armenicæ, ana drach. quatuor: roſarum, drach. ſex: fac trochiſcos cum aqua portulacæ. Da cum lacte acido, aut omphacio, aut ſucco acido citri, aut ſucco ribes. O

TRoch. ſantalorum alij idem promittentes, recipiunt ſantalorum flauorum, drach. duas: gummi Arabici, ſeminis citruli excorticati, ana drach. vnam: ſeminum lactucæ, portulacæ, tragacanthi, ſucci glycyrrhizæ, ana drac. dimid. Fac trochiſcos, vtere vt priùs. O

O TRoch. Hamec, ſedant inflammationem, ventrem leniunt, thoracem purgant: recipiunt foliorum violarum humidi & ſicci mediorum, aureos duodecim: turbith albi & gummoſi, aureos ſex: ſucci glycyrrhizæ, aureos tres: mannę, drachmas tres: fac trochiſcos. Dantur aurei duo cum ſaccharo, aut pulpa caſsiæ fiſtulæ: his interdum coacti addimus ſcammonij drachmas duas.

*Drachmis duabus purgant aquas & pituitam craſſam, flatusq́; diſsipant. Si autem ſcammonium acceperint, etiã bilem purgant ſeſquidrachma dati, Trochiſci de violis in turbith, & capite de aſthmate iſtis ſunt finitimi.*

† TRoch. cyperi, corruptionem, malámque coctionem ventriculi, & inde natum oris fœtorem ſalubriter, & certò emendant: recipiunt zingiberis, cardamomi, nucis moſchatæ, cubebarum, macis, caryophyllorum, galliæ, gummi Arabici, ana aureum vnum: corticũ citri, maſtiche, florũ ſchœnu anthûs, cyperi, ſpicæ cinnamomi, emblicarum, extremitatum myrti, ana aureos duos: ſunt qui addunt moſchi ceratia duo: fac trochiſcos cum melle vuato, vtere cum vino odoro poſt purgationem & vomitum.

*Horum trochiſcorum drachma vna poſt vacuationem materiæ in ventriculo putris & corruptæ, ſuo vapore tetro expirationem corrumpentis, odorem fœdum emendant, tum quia coctionem iuuant aucto calore natiuo, & ventriculo ab his roborato: tum quòd odore aromatico etiam cor & cerebrum roborante, oris halitum fœdum tegunt. Multùm tamen calent, ob id æſtate ſuſpecti, & quibus hepar eſt calidius.*

O TRoch. ligni aloës, ventriculum, cor, hepar, imbecilla roborant: ob id valent ad oris fœtorem, pulſum cordis, & ſyncopem, hydropem: recipiunt ligni aloës, roſarum rubrarum, ana drachmas duas: maſtiches, cinnamomi, caryophyllorum, galliæ, ſpicæ, macis, nucis moſchatæ, cubebarum, cardamomi maioris & minoris, corticum citri, paſtinacæ, ana drach. vnam & dimidiam: moſchi, ambræ, ana drachm. vnius partem ſextam: fac trochiſcos cum melle vuato. Da cum vino odoro & aromatico.

TRoch. capparum, ad ſplenis duritiem & flatus eius diſſipandos, recipit corticum radicis capparis, ſeminis agrij, ana drac. ſex: melanthij, calaminthes, acori, amygdalarũ amararum, naſturtij, hammoniaci foliorum rutæ, ariſtolochiæ rotundæ, ſucci eupatorij, ana drachm. duas: cyperi, ſcolopendrij, ana drach. vnam: puluis horum omnium comprehendatur hammoniaco aceto diſſoluto. Datur aureus vnus cum vino, cui incocta ſint, radix capparis, cortex fraxini, & cortex tamaricis, aut extremitates ramorum eius & cortex ſalicum. Sunt qui valentius efficiunt duplicato hammoniaco. †

*Materias craſſas melancholicas tenuant, lienis & hepatis obſtructiones liberant, ſicq́; duritiem eorum ſanant: flatus craſſos indidem & ex partibus alijs diſſipant. Dantur ieiunis cum vino tenui, vel aqua aſpleny. Cortex ſalicis adſtringens, parum ſcopis propoſitis conuenit.*

TRoch. electri, omnem hæmorrhagiam ſiſtunt: recipiunt ſuccini, aur. ſex: cornu cerui vſti, gummi vſti, corallij vſti, tragacanthi, acaciæ, hypociſthidos, balauſtij, maſtiches, cancami, papaueris nigri aſſi, ana aureos duos, thuris, croci, opij, ana aureum vnum & dimidium: fac trochiſcos cum muccagine ſeminis †pſyllij. * Tro. Carabæ.

†Aqua feruente macerati.

*Δι' ἠλέκτρου, ſeu ex ſuccino, fluxum ſanguinis præſertim à thorace, pulmone, hepate, renibus, vtero, hæmorrhoidibus drach. vna ſumpti cum aqua, aut ſucco plantaginis, vel polygoni, vel ſimilium, aut vino granatorum, aut omphacio non ſalſo, aut vino auſtero imbecillo, & aqua pluuia chalybata. In dyſenteria quoque clyſtere inijciuntur corpore purgato per rhabarbarum, vel alio comprimendo vacuato. Paulo autem fiunt troch. diaelectru ex pſylly vnc. quinque, maſtiches, electri, ſcobis, iridis, croci, ana vnc. quatuor, vel cum Gale. Oribaſio, Actuario, drachm. triginta. opy, vnc. duabus, vel cum Oribaſio & actuario drach. quindecim: cætera apud hos ſunt eadem, niſi quòd Actuarius ſcobis loti rectè addit. Nam lotus arbor ſiccat, adſtringit decocto ſuorum ramentorum in aqua aut vino, etiam Gale. lib. 7. ſimpl.*

*ſimpl. Vt pilos fluentes cohibeat, & fluxum muliebrem, dyſenteriam, cæliacum affectum.*

† TRoch. halicacabi, ad renum & veſicæ vlcera, & natam inde dyſuriam, recipiunt baccarum, halicacabi, drachm. tres: ſeminis citruli, melonis Indi, cucurbitæ, ana drach. tres & dimidiam: boli Armenicæ, gummi Arabici, thuris, ſanguinis draconis, papaueris albi, amygdalarum amararum, ſucci glycyrrhizæ, tragacanthi, amyli, nucleorum pineorum, ana drac. ſex: ſeminis apij, ſuccini, † boli, hyoſcyami, opij, ana drac. duas. Da drach. vnam cum iulep. aut cum hydromelite.

† *Sinopidis, vel milti, ſeu macræ Manard.*

*Hi trochiſci διὰ φυσαλίδων, id eſt, de halicacabo: conueniunt ardori vrinæ quam vocant ab vlceratis renibus, vreteribus, veſica, meatu vrinario pluribus continenter diebus aſſumpti cum iulep. roſato vel hydromelite, vel vino auſtero imbecillo. Nam vlcera tergent, glutinant, & cicatrice tegunt, & vrinæ acrimoniam vlceribus mordacem mitigant, ſtrigmenta cum vrinis muccoſa & dolorifica obtundunt. Poſſunt etiam ſine opio parari. Alia eſt compoſitio Pauli & Actuarij, magna parte cum hac conueniens. Hactenus trochiſci Meſuæ. Trochiſci ex agarico fiunt ex ipſius puluere cum vino albo, cui Zingiber fuerit infuſum, vires habet agarici, ſed tutiùs agit, minoreq́; ventriculi noxa. Trochiſci dia glauciu Gal. ad phlegmonas mediocres, non pulſatiles, incipientes præſertim aurium, oculorum, & eryſipelata incipientia, & ædemata, & aurium vlcera. Glaucium ex aqua pluuia diligẽter tere: forma paſtillos, addita gummeos parte duodecima, aut decimaquinta, ſi fragilius fuerit, quàm formari poßit. Tro. Andronis, Paſionis, Polyidæ multiplex lib. c. ph. g. & Paulo lib. 7. Tr. dia opiu Galeni, ad aurium inflammatarum dolorem magnum, & implacabilem: recipiunt caſtorij per ſe læuigati accuratè, drach. vnam, opij in ſapa diſſoluti, drachmam vnam, ſi dolor ſit vehementißimus: ſi minor eſt, drachma dimi*

*Lib. 14. me.*

*Li. 3. c. ph. p.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0338-4
DFG

*dimidia: tempore vtendi diſſolue ſapa ex muſto (hoc enim magis mulcet dolorem, quàm vinum dulce) in conſiſtentiam, quæ clyſtere auriculario poſsit auribus infundi. Trochiſc. bechici tuſsim ab arteriæ aſperæ ſiccitate & caliditate leniunt. in catapotijs dicta recipiunt ſucci glycyrrhizæ, ſacchari optimi, ana drach. ſex: amyli, tragacanthi, amygdala. dulcium, ana drach. quatuor: cum ſucco ſem. pſylly, vel ſem. cydoniorum forma. Troch. albi idem pollentes, ex gummi tragacanthi, in aqua roſarum diſſoluti, & ſaccha. albiſſ. q. ſ. Si inſomnia adeſt, miſce ſem. lactucæ, & papaueris, ana drach. vnam: & in catharro acri. Mirum eſt vulgus catapotia vocare has hypoglottidas, & arteriacas antidotos, cùm lupini forma fiant vti cæteræ. Etiam ſi Meſues harum autor pilulas vocet: aliæ ſunt bechicæ Alexandro pag. 120. Quanuis catapotia etiam bechica inueniantur, qualia ſunt hæc Gale. lib. 7. com. ph. par. dolorem lenientia, ſomnum conciliantia, & ſanguinem ſpuentibus ſalubria: ſtyracis vncia vna, opij, myrrhæ, ana ſemunciã, paſſo diſſoluta finge in catapotia, erui magnitudine dãda dormituro.*

# SECTIO OCTAVA,

## DE PVLVERIBVS.

*PVlueres odorati tenuiſsimi, & compoſiti, cum liquore aliquando bibendi: Arabibus Suffuf dicti, vſu hodie rariſsimi.*

PVluis ligni aloës, ventriculi humiditatẽ immodicam ſiccat, flatus diſſoluit, coctionem iuuat: recipit ligni aloës vnciam dimidiã: galliæ aureum vnum & dimidiũ, ſaccha. albi, vnciam vnam & dimidiam, potatur drach. tribus cum miua.

*Cum miua ſimplici, vel aromatica, & aqua fœniculi, vel menthæ, vel abſinthij horis duabus ante cibum, & ſi vis, veſpere hora ſomni.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0339-3 DFG

PVluis ligni aloës alius,cor,& ventriculum roborat, oris odorem commendat,coctionem iuuat : recipit ligni aloës drach.tres:cardamomi,menthæ ſiccæ,ſpicæ,marrubij,cyperi, corticis citri,ana drach.duas:galliæ,ſchœnu anthûs,ana drac. vnam: maſtiches,aniſi, apij,ana drach.duas: ſacchari pondus omnium.Da cum miua.

PVluis diarhodon,intemperiem ventriculi frigidam corrigit:ob id,dolorem inde natum ſanat,ipſumq́; roborat:recipit trochiſcorum diarhodon,maſtiches,ana drach.tres:ſuccini,menthæ ſiccæ,ligni aloës,ana drac.duas & dimid.Da drac. vnam cum vino odorifero.

*Humores in ventriculo ſuperfluos,etiam putres, frigidos,flatuoſos abſumit,coctionemq́; adiuuat.*

PVluis aromatum ventriculum roborat,coctionem iuuat, flatus diſſoluit,halitus gratiam commendat : recipit aniſi aureos duodecim: ſeminis fœniculi, aureos quatuor: glycyrrhizæ zingiberis, ana aureos tres : caryophyllorum, macis, cinnamomi electi, galangæ, galliæ moſchatæ, ana aureos duos: ligni aloës, corticis citri, ana aureum vnum & dimidium: moſchi boni, drachm. vnius quartam : ſacchari albi,ad pondus omnium:ſacchari candefacti,dimidiũ pondus omniũ. Datur aureis duobus cum vino bono.

† PVluis impinguare expertus,recipit farinæ cicerum infuſorum lacti dulci,& ſiccatorum,& iterum infuſorum lacti & ſiccatorum,ac tertiò,deinde coctorum vncias ſex:oryzæ frequenter lotæ,vncias duas: tritici,& hordei excorticatorũ, & ſæpe lotorum,& ſiccatorum,& ſæpe lacti infuſorum & ſiccatorum,ana vncias tres: amygdalarũ dulcium, vncias quinque:papaueris,panis albi bis cocti,ſeui ana vncias quatuor:ſacchari albi,libram vnam:tere.Da ſorbendas in dies manè vnc. tres coctas cum lacte,aut aqua cicerum.

*Conuenit emaciatis etiam lacte, & decocto cicerum diſſolutus hic puluis:ad venerem quoque ciendam facit.*

PVluis baccarum myrti,ad ventriculi & aliorum viſcerum imbecillitatem:recipit baccarum myrti,& granorũ granatorum acidorum toſtorum,ana drachm. viginti:cymini Carmani aceto vigintiquatuor horas infuſi,& ſiccati, coriandri ſicci ſimiliter infuſi & ſiccati,& torrefacti,polentæ,ſucci meſpilorum immaturorum,ceratiorum,rhoïs,glandium,ana drach.

drachmas decem:acaciæ,hypociſthidos,ana drachmas quinque:confice & da.

*Diarrhœan,lienteriam, & omnem viſcerum lubricitatem,ſiccando & adſtringendo,valenter corrigit.*

Pvluis ad tuſsim,& thoracis dolorem, recipit amygdalarum dulcium,ſacchari,ana vncias duas: ſeminis fœniculi vnciam vnam: tere. Da cum iulep. [ſcilicet violato, & aqua adianti albi.]

*Hi pulueres recipi poſſunt in electaria mollia & dura mellita,vel ſaccharata. Puluis Galen.lib.5.methodi, omnem hæmorrhagiam etiam ex arteria ſiſtit: recipit thuris partem vnam:aloës partis vnius ſemiſſem: vtendi tempore cum oui albumine ſubige ad mellis craſsitiem:pilo leporis molliſsimo excipe: vaſi ipſi & vlceri liberaliter impone:lanam eodem medicamento madentem ſuper hæc applicat Aëtius.Guido Gauliacus pilos incîdit, & alijs miſcet.Alij præter pilos miſcent bolon Armeniam,ſanguinem draconis,maſtichen,terram ſigillatam:ſuccum plantaginis addunt,& ſtupis excipiunt. Puluis Auicennæ inſperſus,carnem gignit abraſo cranij oſſe,& vlcere ſuppurato,etiam ſi craſſa meninx appareat:recipit ſarcocollæ, thuris,ireos,ſanguinis draconis, myrrhæ, ariſtolochiæ longæ, ana fiat puluis.*

*Multis in vſu eſt.ſumptus ex Galeno lib.3.meth.& ex catagmaticis in lb.de compoſitio.phar.g. Puluis ex limatura chalybis aceto aliquoties macerata & ſiccata,ſumptus drachma vna & dimidia cum ſacchari vncijs duabus: ieiuno ſumptus, humiditatem excrementoſam & putrem ventriculi,hepatis,lienis,& aliarum partium nutritoriarum abſumit,obſtructiones liberat: ob id ſaluberrimus eſt ictero vtriq;,& incipienti hydropi,cachexiæ,cacochymiæ, coctionem ob id iuuat,& appetentiam inuitat, ablatis ſcilicet cauſis proſternentibus. Alumen rupis vſtum, vl-*

*ceribus omnium partium putridis, fiſtuloſis, vel aliter maleficis confert, & multò magis ſi antè vlcera lauentur, & foueantur aqua vel lixiuio, vel vino quo puluis iſte maceratus ſit, & colando remotus. Chirurgis in vſu multo eſt.*

*Turbith drachma vn: hermodactylorum, drachma dimidia Zingiberis ſcript. vnum: ſacchari, vnciam dimidiā. Da drachmam vnam & dimidiam ieiuno cum iure pulli, vel alio idoneo pituitam à partibus remotis purgat: ob id ſaluber eſt affectibus iuncturarum. Cymini drach. duæ cum vino calido à ieiuno diebus aliquot ſumptus, curat colicum dolorem, & prohibet.*

## Puluis contra peſtem vſitatiſs.

*Recip. radic. tormentillæ, dictamni, tunici, ſcabioſæ, rad. bugloſſæ, ana vnc. ſemiſſ. ſem. citri & acetoſæ, ana drachm. quatuor: coriandri præparati, ſem. portulacæ, raſuræ eboris, ana drac. duas: corallij vtriuſque, ana drach. vnam ſemiſ. roſarum rubrarum drac. vnam: terræ ſigillatæ veræ, vnci. ſemiſſ. boli Armenicæ veræ, vnc. duas: fiat puluis.*

*Doſis ad peſtē, Boli Arme. drachm. duas, cū aquæ roſ. vn. duab. vini vnc. ſemis.*

## Pul. elect. de bolo.

*Recip. omnium ſantalorum, galangæ, ligni aloës, cinnamomi, corall. rub. roſarum rubrarū, ſe. melonum, ana drac. ſemiſſ. rad. tunici & tormentillæ, ana drachmas tres: raſuræ eboris, cornu cerui, ana drach ſemiſſ. nucem moſchatam vnam: macis, cubebarum, ana drachmam vnam: aniſi, marathri, Zingibe. ana grana quindecim: ſe. acetoſæ, citri, iuniperi, bombacis, caryophy. ana drach. ſemiſſ. boli Armen. drach. duas: fiat puluis.*

## Puluis contra lumbricos.

*Recip. ſe. contra lumbricos vnciam vnam: lupinorum, vnciam ſemiſſ. abſinthij, drach. duas: cornu cerui vſti, drac. vnam ſemiſſ. Fiat puluis.*

## Penidia ex Bulcaſi in Seruitore vſitatiſs.

*Sacchari boni, ſi vis pulueriZati, libras duas aqua dulci, aut hordei merſas cum mellis vncijs duabus, niſi ſaccharum ſit dulciß. & ne id candefiat (qua fini etiam ſyrup. interdum miſcetur) coque prunis in vaſe æreo ſtannato potiùs, quàm terreo vitrato, quoad fila inter digitos ducat, & manus non inquinet, affundendo paulatim oleum amygdalarum dulcium, vel commune: ſubige in marmore, quod eodem oleo illeueris. Deinde in clauo parieti affixo, longo, curuo, tanquam funem aliquem nunc trahe, nunc rumpe, nunc duplica, quoad omnino albeſcat: calido loco ſerua, vt ſit diutiùs tractabilis, forcipibus diuide in offas exiles, oblongas, vel in quam voles figuram finge cum pul. amyli.*

*Alij oleum tantùm adhibent marmori, in quo ſubiguntur.*

*Quidam ex melle ſolo coquunt: alij ex mell. & ſaccha. portione æquali vel inæquali. Addunt nonnulli aquam roſatam, & caphuram, vt ſint temperatiores.*

## Pineolatum vulgatum.

*Saccharo in aqua roſarum diſſoluto, probè clarificato, & cocto, nuclei pinei mundati refrigerati conduntur.*

*Aliqui hos, præſertim recentes, aqua calente parùm diu maceratos perſiccant, priuſquàm aut condiant, aut compoſitis medicamentis miſceant, vt acrimoniam, & quandam ſubſtantiæ denſitatem ſtomacho noxiam adimant Auic. conſilio. In pineolato autem abundè corrigi videntur: vt hac maceratione non ſit opus.*

## Pul. pro epithemate cordis.

*Recip. Florum bugloßi, boraginis, meliſſæ, ana manipu. ſemiſſ. ſantalorum omnium roſarum, rub. ana drach. duas: doronici, been albi & rubri. carabæ, oßis de corde cerui, ana ſcrup. quatuor: corticum citri, ſe. oxalidis, ligni aloës, caryophyll. ana drachm. vnam ſemiſſ. croci, ſcrupu. ſemiſſ. marg. drac. ſemiſſ. moſchi grana tria: camphoræ, grana ſex: fragmentorum lapil. omnium pretioſorum, drach. vnam: coralli*

*vtriuſque, ſpodij, ana drach. ſemiſſ. trita per ſe miſce.*

Pul. cordialis ex iiſdem, vel ſic.

*Recip. corallij vtriuſque, ſigilli Lemnij veri. ana vnc. ſemiſſ. raſuræ eboris, cornu cerui, ana drachmas duas: marga. drachmam vnam: coriandri præparati, ſpodij, roſarum, ana ſcrupu. duos: ſemiſ. oxalidis, fragmentorum pretioſorum, oßis à corde cerui, ana drachmã ſemiſſ. ſacchari, vnci. tres: folia auri & argenti, ana vigintiquinque, per ſe trita probè, ſerua.*

Pul. violarum odorus.

*Recip. rad. iridis Florentinæ, lib. quatuor: maioranæ ſiccæ, quart. vnum: calami aromatici, vncias tres: roſarum, violarum, ana vncias quinque: caryophyl. vnciam vnam & ſemiſſ. moſchi, drachmam vnam.*

*Pul. bezeardicus.*

Pul. alexipharmacus ex cordialibus.

*Ex bolo Armenica cum aceto præparata: ſemine rutæ, doronico, carabe, cardui benedicti ſemine, xylaloë, ſerico crudo, rad. tormẽtillæ, dictamno, tunico, ſcabioſa, croco, ambra, moſcho, pul. diamarg. fiat pul. vel cum ſyrup. de ribes opiata.*

Pomum ambræ.

*Recip. ſtyracis, calamitæ, vnciam vnam: caryophyllo. drach. duas: beniouin, vnc. ſemiſſ. ambræ, drach. ſemiſſem, moſchi, grana quindecim: pul. violarum dicti q. ſ. cum aqua roſarum cogatur.*

SECT

# SECTIO NONA
## DE OLEIS.

OLEVM MVLTIS fit modis: nunc expreſſione, nunc impreſsione, cùm materiæ in ipſo maceratæ, incoctæ, qualitatem ſuam & vires in ipſo relinquunt: nunc reſolutione, cùm materiæ heterogenes in corpore concluſæ, & velut concretæ, vi caloris ſeparantur operâ præcipuè chymiſtarum, de quo genere quantum licet, agemus: plura autem ſi audire cupis, chymiſtas præceptores tibi adhibe, & cum illis verſare. Primùm autem dicam oleorum, quæ per expreſsionem fiunt, naturam & facultatem, ac extrahendi modũ, poſteà de cæteris, ſi per Dei gratiã mihi vita dabitur.

*Inter admouenda medicamenta compoſita, ſimpliciſsimum & vſu frequentiſsimum eſt oleum ſimplex & compoſitum, ex eóque & alijs quibuſdam ferè reliqua conſtant vnguenta, cerata, emplaſtra. Primum itaque de oleis dicere ſtatui, poſteà de vnguentis natura, conſiſtentia, & viribus tam propinquis, vt etiam hæc ſæpe olea vocentur,* μύρον μήλινον καὶ μαστίχινον, καὶ νάρδινον *initio lib. 7. meth. quorum primum non multò pòſt, & alibi oleum vocat, niſi melinum, id eſt, cydonium ſit vnguentum, & ſimul oleum, vt roſatum, & alia pleraque. Tertio loco de ceratis, quæ iam conſiſtentia duriore ſunt, & emplaſtris omnium duriſsimis proxima. Oleum maximè propriè ſuccus eſt pinguis ex oliuis tritis expreſſus, vel immaturis, quod omphacinon ob id & omotribes, id eſt, acerbum & crudũ eſt appellatum idémque refrigerans & adſtringens eſt: vel maturis, quod oleum commune dicitur: ac vtrunque vel inſulſum eſt, vel ſalſum, & illotum vel lotum idque ad ſalem tollendum, vel vt fiat albius, vel morſus expers. Vtrũque item vel recens eſt, vel antiquatum, & ex hoc vel illo agro: vt Sabino prope Romam laxat, tenue eſt, præſertim vetuſtum. Quæ olei communis differentiæ diligenter*

ſunt obſeruandæ, vt medicamẽtorum ex his compoſitio iuſtior fiat: nam facultatibus ſecundum has differẽtias multum variant, ac compoſita quibus miſcentur, plurimũ immutant. Has igitur oleorum differentias, præſertim omphacinum & commune, recens & vetus, domi ſerua (nã inſulſum lotione cum libet, promptè reddideris) vt cum poſtulat vſus, medici opinionem nunquàm fruſtreris. Oleum ſecundo loco abuſiuè ſuccus eſt oleaginus & fluxilis, ex quibuſdam tritis, tum fructibus, tum ſeminibus, vt nucibus regijs, auellanis, moſchatis, amygdalis vtriſq; nuce Indica, anacardis, balano myrepſica, nucleo perſicorum, præcocium, ceraſorum, prunorum, piſtaciorum, ſtrobylorum, napi, ſinapis, cannabis, lini, ricini, ſtaphidos agriæ, cnici, citri, arancij, pomorum, pyrorum, cucumeris, cucurbitæ, melonis, citreoli, & alijs propè infinitis pinguem in nucleo ipſo vel ſemine ceu medullam ſortitis. De quorum quibuſdam pòſt agetur. Non enim ſunt omnia hæc in vſu. Huic generi proximũ eſt balſamelæon & petrelæon, vt pòſt audies. Illa duo genera ſunt ſimplicia, nec illis educendis ac exprimendis aliud miſceri conſueuit, præterquàm quòd pauxillum aquæ quibuſdam extrahendis miſcetur, vt alijs oleum commune paucum. Eſt his affine genus tertium, quod eſt humor quidam oleaginus ignis vehementia extractus: humido etiam ſubſtantifico ſæpe miſtus, idq; opera chymiſtarum inuentum, ſiue id oleũ in capitellum ſurſum tollant, ſiue in vas ſubiectum mox defluat: quale ex liquoribus, ſuccis multis, gummis, reſinis, cera, melle, lignis reſinoſis permultis educitur. Quartum genus oleorum eſt omnino compoſitum ex ſimplicibus in oleo communi vel alio maceratis, inſolatis, incoctis: quod genus quia latiſsimè patet, de eo nobis pluribus eſt agendum, non modò propter huius multitudinem, ſed variam quoque in multis componendi rationem, quæ eſt propemo-

*dum vnica cuique prædictorum generum. Adde quòd oleum philoſophorum, & alia quædam miſta ſunt, et in tertium ſimul & quartum genus incidunt. De primo genere tanquam omnibus perſpicuo nihil dicemus: de tertio pauca quædam hodie conſueta: de ſecundo et quarto dicendum nobis eſt, quantum rei propoſitæ ſcopus exigit.*

## DE OLEORVM GENERE SECVNDO.

OLeum ex amygdalis dulcibus, aſperitatem gutturis, pulmonis, & partium cæterarum etiam externarum lenit: duritiémque omnem ac ſiccitatem iuncturarum, & partium aliarũ emendat: ob id impinguat, hecticis confert, ſemẽ quoque auget, ardoríque vuluæ & vrinæ iniectum commodat. Fit autem hoc modo: Amygdalæ dulces cortice lignoſo, & cute membranoſa purgatæ, plurimum teruntur, in offas coguntur: horis circiter quinque loco calido continentur, vel in vaſe duplici hora vna coquuntur, aut ſub calente arena, aut cinere, ſacculo inuolutæ & pannis, aliquandiu fouentur. Poſteà rurſus teruntur, & ſacculo concluſæ torculari exprimuntur: vel tritæ amygdalæ in vaſe quomodo maza ſubigũtur in aëre calido, paucâ calidâ identidem affusâ. Hiſq; modis oleũ exprimes largius torculari, quod aſſere inferno ſit cauato & decliui verſus emiſſariũ: ſuperno autem pro cauitatis magnitudine & forma gibboſo, vt vndique ceu ſigillo quodã amygdalæ æqualiter exprimantur.

*Id oleum ex amygdalis dulcibus iure optimo primum omnium à Meſue deſcribitur, quòd ſit tam alimentum (nutrimur enim ſolis dulcibus libro 4. ſimpli. cap. 9) quã medicamentum ad multa efficax blandiſsimum, vſu frequentiſsimo conſuetiſsimum, gratiſsimum, & velut quidam typus aliorum oleorum generis eiuſdem. Ab eo igitur tanquam notiſsimo & vtiliſsimo rectiſsimè incepit. Aſperitas gutturis & pulmonis vna eſt inſita, & ex partis eſſentia profecta, bruchys enim, quæ ſigmoïdes ſunt cartilagines, conſtat tota hæc arteria, vnde τραχεῖα, id eſt, aſpera cogno-*

*minatur, Græcis eam ab arteria læui ita ſeparantibus. Cùm vero eadem intus ſit læuis admodum, ſanis hominibus ob membranæ cartilagines illas et ipſarum ligamenta vtraque integentis naturam: interdum aſpera fit ac inæqualis, ſiue rugoſa fiat ob ſiccitatem, ſiue eius ſuperficiei humor aliquis largior quàm pro ipſius natura inſideat, et ibi inæqualiter affigatur & ſiccetur, vnde tuſsis, raucitas, & ſæpe etiam ſpirandi magna difficultas, interdū ægrè curabilis: præſertim dum vt cucumæ terreū excrementum accreuit, & œnophoro ſordes craſſa, ſic ei pituita tādem agnata tenaciùs inhæſit. Hanc autem ſecundam aſperitatem, quæ ſola eſt præter naturā: oleū amygd. dulciū. ſanat. Nam humectat ſiccitatē, (vt oleum cōmune in ferro rubiginem omnium*

Lib. 6. ſimp.

*maximè emollit) & ſuo lentore ſiccationi nouæ multū reſiſtit: prætereà inæqualitatē explet quomodo ſuccus portulacæ glutinoſus in hæmodia. Sed paulatim id velut lambendo eſt deglutiendum, non affatim deuorādū, vt paulatim eius ſubſtantiæ portio in aſperam arteriam deerret: non eam mo-*

Lib. 2. & 3. ſani. tuē. & lib. 11. met.

*dò quæ collo anteriore ſita eſt: ſed quæ eius portio ramoſis propaginibus pulmonū ſubſtantiam totā, cum duobus alijs vaſorum generibus intertexit, quas pulmonum nomine videtur Meſues intellexiſſe: quanuis pulmonū quoq; eſſentiam æquabilem magis & mollē, mediocri lētore reddat, etiam citra nutritionem, quomodo pinguis frictio cutem, ob id rectè addidit, corrigere aſperitatē partium aliarū etiam externarū. Nam hac in re oleo communi non fuerit inferius, mirum ni etiam ſuperius, ob eſſentiæ tenuitatē, qua videtur commune oleum vincere. Ob quam, nō ob ſolam ſaporis gratiam, hodie & colicis, & nephriticis potui datur ad vnciVnam, cum vini aromatiteos aut ſimilis ſeſcūcia, aut vncijs duabus: pleuritidi & alijs thoracis affectibus propè omnibus illinitur, & collo vteri vel dolēti, vel ſicciori, quàm vt*

exten

extendi facilè poßit, quantū fœtui pariendo ſatis eſſe poſſit. Quibus igitur cutis eſt aſperior ob excrementorū ad eam expulſorum naturam, vel ob ſiccitatem, quæ atrophiæ, ætati, viſcerum intemperiei calidæ, & ſiccantiū vſui ſuperuenit, his oleū id ſaluberrimū eſt. Quam eius facultatē doctæ mulieres, cutim hoc oleo erugant. Duritiémq; omnem emendat. cùm enim modicè digerat, quia temperatè calidum eſt, durum tenſione ſeu repletione mollit, vacuata per reſolutionem eius materiæ parte aliqua. Cùm verò ſit moderatè calidum, vt dixi, etiam durum concretione à frigido excitata mollit, fuſa & colliquata ea materia quam frigus coagulauerat. Cùm denique humectet etiam ſecundo gradu, vt etiam poſteà fuſius docebo, durū ſiccitate (quod maximè propriè durū appellatur) mollit, ac humiditate delibutū tractabile reddit. Ob hæc iuncturis podagricorū, & nobis arthriticorū emolliendis ſalubriter illinitur. Siccitatem partium ex atrophia, & iuncturarū etiam ex itinere multo aut labore alio, illitū corrigit etiam potentius, quàm oleum commune: præterquàm ſi quod eſſentiæ eſt admodū tenuis, quale Gal. vbique Sabinum prædicat. Adhibēdum verò cū frictione molli, aut mollis & duræ vt multæ & paucæ media, quæ poros rarefaciat, & corpus calidum reddat: ob id paratius ad oleum id tenuandum & attrahendum: quod planè coriorum concinnatores declarant. Corium enim crenatis aſſulis, & falcatis malleis, & flamma rarefaciunt, mox oleo & adipe calido largiter imbuunt. Quod autem eam ſiccitatem ſumptum id oleum corrigat, planißimum eſt, quia alimentum eſt. Omne enim actu nutriens, corpus calfacit & humectat. Nec ſolùm corpori humidum dat alimentum, ſed etiam mediocriter diuturnum, ob mediocrem illum lentorem, qualis in cremore ptiſſanæ, & oleo communi. Quæ enim cum lentore coniunctam habent eſſentiæ craſ-

Durū et molle triplex, lib. 5. ſimp. cap. 3. 4.

Libr. 3. tēpe.

Lib. 7. ſimp. & aph. 18. lib. 2.

*ſitiem, vt ſuilla, diuturnius alimentum corpori exhibent, quàm quæ lenta ſunt modicè ſimul eſſentiæ tenuioris. Impinguat verò non ſolùm quia pleniùs nutrit, ſed quia ſubſtantiam corpori tribuit parum igneam & aëream, quæ multum habilis eſt per tunicas vaſorum exhalare, & in adipem concreſcere partium ſpermaticarum contactu. Rationes aliæ & cauſæ obeſitatis huc afferri poſſunt ex lib. 6. ſanit. tuendæ: & lib. 14. meth. & libr. 2. temperamentorum. Nec ſolùm adipem gignere, ſed etiam carnem, natum eſt id oleum, quia ob dulcedinem promptè ab hepate trahitur, & in ſanguinem bonum mutatur, quo partes omnes abundè nutriantur. Hæc addidi, ne putes tantùm corpus externum impinguare, ſi illinatur. Nam id corpus ab alio eſt pingue, non propriè, & in ſua eſſentia. Hecticis & aliter conſumptis, hac de cauſa eſt ſaluberrimum. Cùm enim his facultates omnes non ſolæ naturales ſint imbecillæ, malè coquunt, niſi alimentum coctu & diſtributu eſt facile: quale eſt id oleum ob eſſentiæ tenuitatem coqui paratiſsimum, & diſtribui. Quanquam diſtributionis celeritatem hepar intendat ob eius dulcedinem. Adde quòd etiam alimentum dat corpori, quod aliquandiu furori febrilis in hectico caloris reſiſtat, vt cremor ptiſſanæ. Ad hæc cùm calore ſit temperatum, omnem intemperiem corrigit & cùm humidum ſit ad ſecundum ordinem, hecticis febribus eſt ſaluberrimum, non modò ſumptum, ſed etiam cum oleo violaceo mediocrem illum calorem obtundente, illitum ſpinæ. Semen auget, vt omne alimentum modicè calidum & humidum, præſertim ſi plenius alat: quæ omnia huic oleo ineſſe antè oſtendimus: & fortaſſe etiam ſemē promouebit, præſertim ex recentibus amyg. aliorum fructuum recentium modo, ſemicocta humiditate abundantibus, quam ob cruditatem & lentorem eſſe nonnihil flatulentam, nihil miri*

Lib. 1. feb. cap. 2.

Lib. 5. ſimp. c. 20. et 22.

*eſt:*

*eſt: ſed flatuum vim exiguam facilè frangit vinum aromatites, ne ſumptum colicos dolores, aut nephriticos flatibus à ſe excitatis geminet. Ardorẽ vteri & veſicæ etiam hodie vulgus appellat, cùm menſes aut muliebre profluuium, aut vrina, calore, frigore, acrimonia, morſúq; alio quouis partes, quibus continẽtur, aut per quas vacuantur, lacerant, & tandem vlcerant, quam affectionem Gallorum vulgus eadem ratione coctionem vocat, ſibíque aliquam partem coquere ait cũ materijs mordacibus, aut alia vlcerante cauſa laceſſitur. Tales affectus adſunt cacochymis mulieribus & viris ex putri pituita, & ſæpe ex calculo, etiam ex pure ex arenulis, ex aduſto in hepate & venis, vel renibus, lotio. Affectionẽ hãc oleũ hoc tollit ſumptũ, ſed imbecillius, quia in partibus quas permeat, alteratur, et multis alijs miſcetur: potentius autem iniectum in vterũ quidẽ: μητρεγχύτῃ in veſicam verò, fiſtula ænea vel potius, vt nunc argentea, quam vulgus ob id σύριγγα appellat. Lenit porrò ardorẽ hũc quatenus & ἐπικεραστικὸν eſt (quod multis alijs qualitate inſigni carẽtibus, & aliã vehemẽtẽ obtũdẽtibus eſt cõmune) & ἐμπλαστικὸν, meatus ipſos tanquã quodã tectorio illinens, ne corpus attingat humor ille mordax. Qua etiã cauſa in dyſenterijs multũ mordacibus & dolorificis, cremores & muccagines, et butyrũ: et id genus alia glutinoſa inijcimus: ſed etiam craſſæ eſſentiæ potiùs, ne corrumpantur facilè. Quæ in capacitatem inteſtinorum promptò inijciuntur, in meatum viri vrinarium ob anguſtiam & obliquitatem geminã, & viæ longitudinem (quæ iniectionis impetum frangit et fruſtratur) inijci non poſſunt, cùm etiam tenuia ægrè inijciantur, niſi ſiphunculo in meatum altiùs immiſſo excipiantur, & velut deducantur. Quòd meatus latera in ſe concidunt, & à ſphinctere arctius vndique conſtringitur, quo tempore vrina non redditur. Ob id liquidiſſimũ inijciẽdum,*

dum,

*dum, & tepidum, & meatu vrinario per balneum, vel alium quendam fotum dilatato, adiuuante, vt dixi, argentea vel ærea fiſtula priùs meatui immiſſa. Mediam inter hæc duo naturā collum vteri obtinet, ſi rectitudinem & capacitatem inteſtini recti: obliquitatem verò & anguſtiā meatus vrinarij in viris ſpectas: nam meatus colli vteri, omnium trium eſt breuiſsimus. Quòd ſi in meatū mulieris vrinarium eadem affectio inciderit, ratio eius eadē propè habenda eſt, quæ & vteri, niſi quòd graciliore eſt opus tubo. Hæc verò de corruptis intelligēda ſunt. Quandò nec virgines his vitijs ſunt obnoxiæ, præſertim fluxui muliebri: niſi quæ religioni monaſticæ addictæ ex vita ſedentaria, & magna parte ocioſa pituitam putrem, largam, huius mali cauſam frequentiorem collegerunt. Hæc de facultatibus olei amygdalarum dulciū dicenda putaui, vt tanquàm iter indicarem ei, qui in cæteris eius medicamentis idem præſtare voluerit: ſtatuimus enim cætera leuiter, & velut canis è Nilo attingere, locosq́; tantùm indicare, ex quibus poſsit qui volet, rem ipſam pro dignitate interpretari. Depellat amygdalas, vt purius & ſyncerius ſit oleum, & largius. Terit curioſè eaſdem, vt intus merſa humiditas promptiùs in apertum proferri poſsit: vt autem copioſius exprimatur, calfacit. Nam vt vetuſtate nuces & nuclei omnes oleoſi magis à calore natiuo percocti euadunt, ſic etiam ignis vel Solis calore ſemicrudæ humiditatis coctio acceleratur: aut ſaltem eo calore tenuata, liquata, fluxiliſq́; magis reddita, foras tracta oleoſa humiditas promptiùs & largius exprimitur: quantoq́; hic calor eſt valentior (modò oleum vrendo nō abſumat) tantò expeditiùs. Ob in vaſe duplici & ſub calente arena, aut cinere hora vna calefeciſſe ſatis eſt: in aëre autem calido, quinq; horis eſt opus. Porrò calefiunt amygdalæ vaſe duplici, impoſitæ ſcilicet poſtquàm tritæ ſunt vaſi vitreo,*

*in vas aliud aquam calentem continens inſidenti: ne ignis aut aquæ contactu: & miſtione oleum vitietur. Sacculo autem, vel ſtamine vulgari, & pannis inuoluuntur, & eadē ratione: & ne his materijs amygdalæ conſpurcentur, etiam per ſacculi inanes poros facilè ob tenuitatem incidentibus. Sed in vaſe duplici calefeciſſe fuerit ſatiùs, quòd hoc modo empyreuma, hoc eſt, vel ignis ſubſtantia, vel qualitas amygdalis minùs miſceri poſsit: & vitrum reſudantē ex amygdalis calfactis ſuccū non ebibat, vt ſacculus, panni, arenæ, cineres, bibula omnia. Adde quod poſsis tutius calorē intendere in vaſe duplici, quàm cineribus, aut arenis, calore ſicco magis vrentibus, & conſumentibus. Poſtremò viſu per vitrū & aquam corpora diaphanea coniectare potes quando ſatis incaluerunt, & oleoſæ ſunt redditæ: quod indicium conuolutis & ſepultis in cinere, & arena, amygdalis habere non potes, niſi recluſeris. Neque tunc in offas velut panes quoſdam cogere oportet, ſex mox à mortario, vt tritæ ſunt, in vitrum transferuntur. In aëre autem calido mora longior non modò rufat purgatas, & tritas amygdalas, ſed etiam odoris gratiam, & ſaporis nonnihil diſsipat: niſi etiā vitreo vaſe per calidum aërem calente includantur: tunc enim præſtantius fuerit: ſed cū plerunque ſit opus celeritate nec hodie paretur potabile id oleum, niſi in affectum præſentem, & vrgentem, tot horarum inducijs frui non licet. Multò minus aqua paulatim affuſa largior hic ſuccus & fluxilis magis eſt reddendus: cū hoc modo compoſitum ſit, & verius hydrelæum, quàm ſyncerum oleum. Ob id vaſe duplici calfaciendum potiùs eſt, quàm igni ipſo, quàm aëre, quàm affuſa calente aqua. Qui modus hodie magis in vſu eſt, licet minus diu coquant, opinor ob præcipitem neceſsitatis occaſionem: qua etiam fit, vt amygdalas etiam non depellatas, ſed electas, & recentes mox terant: deinde quarta*

*horæ, parte, aut etiam minus diu in vaſe duplici calfaciunt: pòſt exprimunt, ex libra ſcilicet amygdalarum vna unciã olei puriſsimi, aut ſextantes tres, ſiue drach. ſex. quòd ſi magna recalfacias, unciam alterã extrahes. Sunt qui vt properent magis, tritas in ſartagine frigunt, ſed parcius & ingratius, toſtamq; ſubſtantiam redolens oleum exprimũt. Alij mola truſatili per candelarios exprimunt, ſed ignobile, quale ex nucibus, linoſpermo, & ſimilibus. Exprimit autem Meſues torculari infernè cauo, ſupernè gibberoſo, vt exquiſitè & æqualiter amygdalæ ſacculo cannabino, vel ſtamine vulgari concluſo comprimantur: quomodò in articulis omnibus cauitas eſt, & ei æqualis oſsis oppoſiti condylus, vt motio ſit exquiſita, non ob anguſtiam impedita, aut ob laxitatem incerta & errabunda. Cũ tamen id torcular vndique amygdalis contiguum viã non det emananti oleo liberam, cauitatem totam occupante partim amygdalarum mole, partim gibba aſſeris ſuperioris parte: mihi non admodum probatur. Rectius fuerit aſſerem ſupernũ omninò æqualem & planum eſſe, & infernum: ſed hunc ambitu circinato ſenſim cauari: vt in hunc velut canalem oleum vndiq; diffluat, & inde ob inſitam grauitatem in emiſſariũ parte decliui maximè excauatum. Qualia ſunt nobis vinaria torcularia. Quamuis hodie adhuc Meſuæ torcular multis in vſu eſſe video, etiam ex ferro albo infernam cauitatẽ imitantibus, cùm vel olea exprimunt, vel capos & perdices aſſas, vel triticum virens tritum ad condimenta, vel alia. Torcularis tamen plani & caui meminit Meſues in oleo laurino. Vtroque tamen torculari expeditum magis hodie eſt prelum libros colligãtium: ob id vſu iam frequentiſsimo: ligna enim ſunt duo quadrata, ferè fagina, aut tiliacea, longitudine tricubitali, craſsitiæ palmi, in extremis cochleatim pertuſa, tranſuerſis per hos cochlearum velut capreolos,*

*& cin*

& cincinnos clauiculis inſertis, quæ ferro tortæ ligna illa dum adducunt, quod in medio eſt, valenter premunt: dum abducunt, compreſſa liberant. Amygdalas igitur probè tritas ſacculo cannabino nouo, aut ſtamine vulgari calfacto inuolutas, aßicula etiam calfacta vtrinque muniunt, poſt dicto prelo tradunt, contrahunt prelum, & firmant, exprimuntq́; in vas ſubiectum oleum aëre quantū licet calidiſſimo, vt prope ignem luculentum, vel ſi Aeſtas eſt, in ſole. Sacculo autem opus eſt, ne amygdalæ diffluāt, ac dißiliant: quomodò dum prelo vinario ſolos vuarum acinos abiectis pediculis euulſos ſunt preſſuri, aut tela noua includunt, aut feſtulas lectatim interſternunt. Tela enim cannabina noua firmitate fili facilè amygdalas cohibet, preliq́; violentiæ reſiſtit, minusq́; eſt bibula, & adhuc hac minus ſtamē vulgare, ob pili caprini, quo contexitur, ſoliditatem. Vtrunque autem cum ſit rarum, per nexuum interualla oleo viam præbet, ſubſtantiæ amygdalarum viam negat. Sunt qui horum loco etiam cilicio vtuntur ex ſeta equina contexto, quod prædictis non ceßerit, niſi quòd propter panni huius craßitiem amygdalæ minus ſentiunt vim preli, & oleum multum in magnus huius panni inanitatibus pigrū ceſſat. Prædicti verò panni tenues prelorum violentiam intercipiunt quidem, ſed non cludunt, ac per mediā breuius amygdalis recipi permittūt. Quòd ſi depellare amygdalas libet, cultello potiùs, quàm aqua vel calida, vel frigida effeceris, ne ob aquæ miſtionē oleum largius, ſed aquoſius & ingratius reddāt. Adde quòd calida viriū aliquid dißipat. Non probo eos, qui frigēdo pellē adurunt, poſteà rudi ſacculo confricant, & depellant, quòd partim vrant, partim dißipent earū ſuccū nobis expetitum. Ex his iam expreßis, magna in panē coactū ſub cineribus coctū, panis loco eſſe poßit.

Quod antē oleum amygdalarum dulciū quotidie ven-

*dunt officinæ ad litus partium dolentium, fit ex integris amygdalis, & magna ex parte ob vetuſtatem magis oleoſis, iisq́; mola truſatili, aut tractili contuſis, & cilicio incluſis, & per candelarios expreſsis, cuneo valentius adacto: quo etiam ex nucibus exprimunt. Ob id etiam oleũ nucum redolet ab his expreſſum, oleum amygdal. dulciũ & amarorum. Hæc de modo extrahendi oleum ex dulcibus amygdalis fuſius ſum perſequutus, quòd is ſit, vtiliſsimus, & huic oleo, & cuiuis alij ex nucleis, vel ſeminibus extrahendo: de quo poſteà paucis cum Meſue eſt agendum, ſi priùs adiecero huius olei cõpoſitionem parũ diuerſam Græcis autoribus fieri.*

Dioſcori.

*Quæ exempla nobis in rem præſentem commodare non parũ poterunt, & Meſuæ lucem non mediocrem conferre. Semodius ex amygdalis dulcibus vel amaris repurgatis & ſiccatis, piſtillo ligneo in pila leniter tunditur in offas, & aquæ feruefactæ ſextarius adijcitur: Vbi verò hora dimidia humorem hauſerit, vehementius quàm antea tunditur: mox tabellis premitur, & quod digitis tergentibus hæſerit, concha digitis affricta excipitur. Preſsis nucibus his, rurſus aquæ hemina inſpergitur, quam vbi ebiberint, ſimiliter exprimuntur: ſingulas heminas reddunt ſinguli modij. Piſtillo ligneo, non ferreo terendas obſerua: in mortario autem æreo terimus interdum, & lapideo. Vides prætereà aquam affundi, quæ ſuccum illum liquidiorem reddat & paratiorem ad exprimendum. Sed id imbecillius multò fuerit, etiamſi poſteà oleum aquæ innatans colligas. Nã ſic miſtum eſt aquæ, vt ab ea omnino abſolui non queat, qualiter dum aquæ lauando oleum ſi immodicè agitatur, omnino miſceri ſcribit Gale. Satiùs fortaſſe fuerit, ſi largius oleum expetis, oleum cõmune tritis amygdalis miſcere, quàm aquam. Id quod in pleriſq́; parũ oleaginis ob naturam vel ſiccitatem facere cogimur. Verboſius*

de oleo

*de oleo amygdalarum dulcium egimus, non modò propter dictas priùs cauſas, ſed etiam quòd eius componendi modus multis ſequuturus eſt communis: & qui modi oleo amygdalarum amararum ab alijs traduntur, hos Meſues ferè oleo amygdalarum dulcium tribuit. Paulus enim amygdalarum vnc. duas in olei dulcis ſextario vno ponit, & coquit in vaſe duplici, & Dioſcor. ſextarijs amygdalarum cocto addit cotylas duas aquæ, & ſemihoram dimittit: deinde attritione facta maiore, cotylam aquæ iterum miſcet, idque oleum ex amygdalis amaris ſcilicet vtile Dioſcoridi ad vteri dolores, præfocationes, euerſiones, aſthmata, calculoſos, ægrè meientes, nephriticos, adhibet: vt nos hodie ex dulcibus expreſſum, & recens potui damus in colico dolore & nephritico ad vnc. vnam, cũ vncia vna ſemis, aut vncijs duabus vini albi.*

OLeum ex amygdalis amaris, obſtructa aperit, flatus reſoluit & diſsipat, etiam in aurium tinnitu, & tono auditũ efficiente obtuſum: aſperitates lenit, neruorum dolorem mulcet, duritiem mollit, panum faciei delet. Extrahitur vt oleum ex amygdalis dulcibus præcedens.

*Adhibet verò Dioſc. ad vteri affectus, dolorem, præfocationem, euerſionem, & nephriticos, difficulter meientes, calculoſos aſthmaticos, lienoſos, rugas & ephelidas faciei, quas pani nomine interpres Meſuæ videtur intelligere: aut lentigines faciei, quas etiam idem oleum tergendo delet. Calidum igitur cùm ſit ad primum ordinem, ac humido & ſicco temperatum, & amarum, nullam peculiarem habere facultatem videtur, ſed amaris omnibus communem calfaciendi, incidendi, tenuandi, digerendi, potenter tergendi, nullum animal nutriendi, ſed contrà potiùs enecandi, præſertim lumbricos. Quibus facultatibus ea præſtat, quæ ipſi Meſues rectiſsimè tribuit. Nam tenuando & tergendo obſtructiones expedit, flatus vel in auribus frigidis natos,*

*vel aliunde in ipſas ruentes, calore ſuo, & tenuandi vi ac digerendi diſsipat, auditúmque ab his flatibus per aures tinnientibus difficilem, meliorem reddit: aſperitates verò lenit tergendo humorem inæqualitatis cauſam. Neruoſi generis frigidos affectus, & ab his dolores calore tenuante & digerente ſanat, ac durum tenſione mollit & concretione, minimum iuuat durũ ſiccitate. Iiſdem rationibus ſumptum & iniectum frigidis vteri & aliarum partium affectibus prodeſt, tenuando quoque ac tergendo calculoſis & aſthmaticis, craſſam pituitam incidendo, tenuando, tergendo: & ſi à ſola intemperie frigida eſt aſthma, calfaciendo mirè iuuat, linctum ſi recens eſt, & bonum, & thoraci illitum, præſertim toto corpore prius vacuato, ſi vacuatione egere videbitur.*

OLeum *καρύϊνον* id eſt, ex nucibus Regiis, flatus etiam craſſos diſsipat, tumores diſcutit, neruis attritis, vel punctis, præſertim cum calce lota confert, ſcabiem emarginat. Fit vt oleum amygdalinum.

Gale. lib. 7. ſimp.

*Oleoſum quod parte veſca nucum præſertim vetuſtarum facilè exprimitur, tenuium eſt partium: per halitum digerit, ſiccat ſine morſu. Ob id neutrωτα, id eſt, neruorum puncturas & vulnera quædam eo ſanant: gangrænas quoque, carbunculos, ægylωpas ſunt qui eodem percurant: quod vſtis earum nucleis tribuit Dioſcor. Si verò ex recentibus eſt nucibus expreſſum, etiam ſubadſtringit, & ſemicoctæ humiditatis adhuc aliquid retinet, quæ in viridibus fructibus erat plurima.* Καρύϊνον *oleum vim habet eandẽ quam balaninon. Doctè igitur & ex Galeni ſentẽtia ſcribit Meſues flatus diſcutere calore, tenuitate eſſentiæ, vi reſolutrice, id quod experientia quotidiana probamus in dolore colico à flatibus. Nam iniectum cum vino generoſo, aut ſumptum potenter flatus diſcutit, & dolore tenſiuo liberat.*

Dioſc.

*Eadem ratione illitum,tumores diſcutit. Vi autem digerente & ſiccante ſine morſu puncturas neruorum, & attritum,& ſcabiem ſanat, id quod vt potentius præſtet, calcem lotam miſcet,quæ ſiccat ſine morſu,& digerit:& cum ambo tenuis ſint eſſentiæ,in vlcus totum permeat,non hæret in aditu modo adſtringentium & emplaſticorum, quæ facultates ſiccantes ſine morſu, & digerentes, quantum proſint puncto neruo docet Gal.lib.6.methodi,& libr.3.c. ph.g.& quo tempore vtiles.*

OLeum ex auellanis nucibus,dolores neruorum & arthriticos ſedat. Fit vt præcedentia.

*Cum* λεπτοκάρυον*,id eſt,nux tenuis Pontica auellana & Præneſtina quoque à locis vbi luxuriat dicta,ſit terreæ magis & frigidæ ſubſtantiæ, quàm Regia: tamen nonnihil caloris habet quo reſoluit,éſtque anodyna, & ſua ſicca ſubſtantia humoris arthritici portionem abſumit.Ne credas Meſuæ interpreti hoc calidum ſecundo gradu affirmanti, caryïnum autem primo, in quo ſiccum eſſe poßit,hoc à ſubſtantia falſa & nitroſa,illud à terrea cruda. Addit Raſis in ſuo Antidotario contra venenum & morſus ſerpentum valere. Quam facultatem nucibus Regijs tribuunt Dioſc.in nucibus,& Gal.li.de euchymia & cacochymia. Bili quoq; vtiliter in articularijs morbis addit Manard.*

OLeum ex chryſomelis,aurium, ani, hæmorrhoïdũ dolorem ſedat,tumores prædictarum partium & vulnerũ digerit:linguæ impedimentum corrigit.

*Manar.Diſtinguit tamen Gal.in alimentis.*

*Oleum ex nucleis malorum aureorum(quæ etiam Armeniaca & præcocia dicuntur, ſuntque generis perſicorũ) mordet,aperit,reſoluit potentius quàm oleum amygdalarum amararum:ob id hæmorrhoïdas ſiccas aperit, & vacuatione facta dolorem lenit:præſertim quod ex eorũ amaro nucleo extrahitur.Nam ex dulci eſt imbecillius. Reſoluta item materia in auribus, & alijs partibus tumefactis*

Nuclei præcociũ *vt amygdalarũ dulces quidam,aliæ amare.*

*collecta, miteſcit dolor, modò fluxionis initium non ſit, nec corpus ac caput plenum. Vulneribus autem præſertim magnis, aut in parte ſenſu exacto prædita, vt neruo, superuenire tumores, & phlegmonas abundè docet Gal. lib. 6. metho. & lib. 3. c. ph gene. & Aph. 2. lib. 5. Conuulſio ex vulnere lethalis eſt. Linguæ autem impedimentum τραύλωσιν, id eſt, balbutiem à multo humore natam, intelligere videtur Meſues, quam id oleum, & ortui neruorũ ſeptimæ coniugationis linguam mouentium, & ipſis faucibus foris illitum, & ore retentum, incîdit, tenuat, terget.*

Aph.32.li.6.

OLeum de perſicis obſtructiones aperit, aurium, & ſedis ab hæmorrhoïdibus dolores ac tumores ſanat, vermes necat. Fit vt prædicta.

*Oleum ex nucleis perſicorum, quòd amari ſint, idem pollet quod oleum ex amygdalis amaris: facultate ſcilicet amaris omnibus communi præditum, calfaciendi, tenuandi, incidendi, digerendi. Quo fit vt amarorum omnium more tollat obſtructiones venarum meſaraicarum, hepatis, lienis, renum, ſumptum, ſed etiam admotum, vt nuclei ipſi eſu vel potu ex vino ſumpti. Aurium dolores omnes à materia lenit ipſius per reſolutionem vacuatione, quo ſcilicet tempore digerentibus vtendum eſt, cùm ceſſauit fluxio & corpus, atque adeò caput eſt purum. Si verò ſint ab intemperie calida ſicca dolores, per ſe exacerbat, contrarias intemperaturas corrigit. Idem iudicium de ſede ab hæmorrhoidibus dolente, modò inflammatio, & ea incipiens, vel augeſcens, aut vigens non adſit. Rimis etiam ſedis mederi docet Raſis in antidotario, & cephalalgiæ: quam ſcilicet cauſæ dictis ſimiles excitarunt, quomodo oleum ex vrendis nucibus exudans rimas labiorum & manuum ſanat. Tumores omnes digerit vbi fluxio conſtitit, nec adeò craſſa, lenta, impacta eſt materia. Frigi-*

*dos*

*dos præſentiùs iuuat quàm calidos. Amara omnia ſumpta & admota lumbricos & vermes reliquos necare & educere totius ſubſtantiæ contrarietate demonſtrat Galen. lib.4.ſimpli.non ſolùm quòd nullum animal planè amaris nutriatur.*

OLeum balaninum terget, expurgat, obſtructa liberat, auri iniectum, tinnitui, ſurditati, dolori confert: ſtrumas hepatis, & lienis ſcirrhum mollit, & digerit: affectibus frigidis neruorum & iūcturarum, ſpaſmo, arthritidi medetur: alphos, lentigines, varos, maculas, cicatrices nigras, & reliqua cutis fœdæ vitia corrigit: aluum potu ſoluit, ſed ſtomacho aduerſatur. Fit vt amygdalinum. *Oleum de ben.*

*Balanus myrepſica, id eſt, vnguentaria dicitur, quòd vnguentarij vtantur eius carnis ſucco planè inodoro, ob id aptò ad odorem omnium recipiendum, vt inſipida cucurbita omnibus ſaporibus, coloris expers cornea, & aqua ſuſcipiendis coloribus. Expreſſo autem ſucco reliquiæ terreſtres ac duræ, ſunt amaræ & ſubadſtringentes: ob id incìdunt, tergent, contrahunt, & ſtipant: ionthos, lentes, ephelin, pruritum, pſωram, lepram, achoras, exanthemata ſanant: lienē & iecur duratū liquant cum farina lolij, erui, vel alia ſiccante admota. Carnis drachma cum melicrato pota eſt vomitoria, & ſæpe largiter per aluum ſubducit. Viſcera omnia, maximè hepar & lienem ex oxycrato pota expurgat, cicatricibus decorem affert. Id oleum, ſiue ſuccus nucum ex nucleo huius balani frequenter hodie exprimitur. Oleum balaninum maculas repurgat, lentigines, varos, & cicatrices nigras: aluum ſoluit, ſtomacho aduerſatur: contra aurium dolorem, ſonos, & tinnitus auxilio eſt cum anſerino adipe inſtillatum.* *Lib.6.ſimp.* Dioſco.

OLeum *κίκινον* Latinis ricininum, flatus craſſos diſsipat, pituitam craſſam & lentam tenuat & incidit, & dolenti ab his ventriculo, tenuibus inteſtinis, colo confert: hydropem iuuat potum, clyſtere iniectum vel illitum. *Oleum de kerna.*

Dioſcor. *Achoras, aurium dolores, ſcabiem, fœdas cicatrices, ſedis phlegmonas, vteri euerſiones & occluſiones iuuat. Auicen. 5. can. addit lentigines & panos delere.*

*Oleum charthami.* OLeum de cnico, obſtructa liberat tergétque: ob id ictero dolenti à materia frigida vẽtriculo, colo, thoraci, pulmoni confert: hisque partibus expurgatis vocem claram reddit.

*Huic Dioſc. tribuit vires olei ex cocco gnidio purgato & tuſo, ſed imbecilliores, hoc eſt, aluum potu purgandi.*

OLeum ex nuce Indica dolori neruorum confert, thoracem & pulmonem lenit, & inde claram vocem facit, impinguat etiam, & ſperma auget.

*Id oleum Græcis indictum, conceptui valere creditur. Hodie ad ſeminis incrementum ferè vſurpatur.*

OLeum de ceraſis arthritico dolori mirè cõfert, terget, ac expurgat: ob id calculum à renibus & veſica expellit: panos, lentigines, & cætera cutis fœdæ vitia delet.

*Id oleum vires habet aliorum ex nucleis aut ſeminibus amaris expreſſorum, qualia ſunt perſicorum, amygd. amararum, chryſomelorum.*

OLeum ex nucleis ceraſi ſylueſtris eadem præſtat, ſed efficaciùs.

OLeum ex ſeminibus citri & arancij, dolori arthritico, & ſuccedenti tumori confert: lapidem renum & veſicæ expellit: fit vt prædicta.

*Idem eſt in peſtilentia alexiterium, & lumbricos necat potum & illitum.*

OLeum ex piſtaciis & ſtrobylis hepatis & renum dolores potenter lenit: hepar impinguat, ſperma auget potum, ſed ſtomacho nocet. Fit vt prædicta.

*Forte oleginã ſubſtãtia, quod oleis omnibus & pinguibus eſt commune, tota tamen ſua ſubſtantia ſtomacho amicum videtur vſu quotidiano.*

*Addit Raſis tuſſim & thoracis dolorem mitigare, & intemperiem frigidam emendare.*

OLeum laurinũ ad partium omnium cerebri,neruorũ,articulorum, ventriculi, coli, hepatis, lienis, renum, vteri, affectus frigidos: & dolorẽ his ſuccedentem:ſic fit, Baccæ lauri maturæ & recentes teruntur in pila, ex aqua in lebete coquuntur,pòſt torculari plano, non cauo exprimuntur in vas ſubiectum in quo aquæ ſupernatans oleum colligitur. Affuſa calente aqua iterum terantur, & exprimantur torculari cauato:colligatur oleum,& reponatur. *Ol. de baccis lauri.* *Dioſc. Meſ.*

*Id oleum eſt calidum, eſſentiæ tenuis, aperit, mollit, diſcutit,ob hæc intemperaturam omnem frigidam ſolam, & cum pituita, vel flatibus ſanat, & ab his colo dolenti clyſtere infuſum,mirè prodeſt, vt ſpinæ dorſi illitum,paralyſi & horrori febrili, tum omnibus neruorum vitijs, algoribus, laſsitudinibus,catarrhis,aurium doloribus,renum frigidis affectibus. Alij parte æquali oliuarum maturarum miſta, & ambobus ſimultritis, oleum laurinum exprimunt, ſed imbecillius:aliter miſtis alijs componi docet Dioſcor. Simplex vtilius idem cenſet, & quo recentius & viridius colore,amariſsimum eſt & acre. Ex Gallia Narbonenſi vtribus vti commune aduehitur, vnguẽto ſimilius, quàm oleo.*

OLeum ex baccis viridibus, terebinthi, vulnera glutinat, ſpaſmo,tetano,duritiei neruorum confert:ob hæc multis emplaſtris miſcetur.

*Mirum eſt Dioſcoridi hoc refrigerare & adſtringere cùm calidum ſit reuerà & modicè adſtringens. Fit vt laurinum.*

OLeum lentiſcinum ex baccis lentiſci, ſtomachum, partes neruoſas,iuncturas laxat, & muſculos roborat:fit vt laurinum.

*Scabiem iumentorum & canum ſanat:peſsis, acopis, leprarum medicamentis eſt vtiliſsimum, ſudores cohibet. Ineptè ſcincus pro ſchino legitur. Nam è ſcinco oleum ſi fiat, compoſitum eſt, neque horum aliquid præſtaret.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0363-2

Dioſc.

*Oleum maſtichinum è maſtiche, gummi lentiſco recente trita exprimitur, mediocriter calfacit, adſtringit, emollit: ad omnia vuluæ vitia efficax, ſtomachi prominentem duritiem, cœliacorum, dyſentericorúmq; cruciatus leuat: faciem emaculat, & colorem nitidum facit optimum. Myrteum è baccis myrti nigræ ſyluestris, aut ſatiuæ maturis bene tritis ex aqua coctis ſimiliter exprimitur. Dioſc. verò ſuccum ex folijs myrti alterutrius mollißimis tuſis expreſſum cum oleo omphacino coquit, vel cum oleo & aqua: deinde quod ſupernatat oleum cõcha colligi iubet: adſtringit, ſiccat: ob id epuloticum eſt, achoras ſanat, & ſedis rimas, ſudores compeſcit. Potentius eſt & compoſitius, ſi malicorium, cupreſſum, cyperum iuncum odoratum cum Dioſc, recipiat. Efficacius eſt amarum oleoſum, viride tranſlucens, olens myrtum. Myrteum aliud eſt Meſuæ in tertio genere.*

Duplex eſt meo phar. baccis recentibus et maturis oleo incoctis, & alterũ medicamentoſius ex Nicolao.

BAlſamelæon, id eſt, oleum balſami plantæ cubitalis, aut bicubitalis, rutæ agreſti ſimilis: cortice cuius partem orientem ſpectante ſcarificato & vulnerato lachrymæ pingues deſtillant, ipſius ſcilicet balſami pinguedo. Alij plantæ huius ſurculos Vere ineunte in pila terunt, in aqua coquunt, torculari exprimunt, oleúmque balſami vocant. Sunt qui ſurculos tritos in oleo veteri dies quadraginta inſolant, in vaſe duplici coquunt, exprimunt, ſurculos nouos tritos immittunt, ſecundo & tertio, colant & recondunt.

*Oleo veteri die vno maceretur xylobalſamum carpobalſamum recentißima: pòſt arte chymiſtica oleum extrahatur, fuerit non ignobile: vel xylobalſamum recens in oleo veteri diebus quadraginta inſoletur, vaſe duplici coquatur. Vires huius olei ab omnibus tam laudati a Meſue taceri mirum eſt: calfacit enim, humectat, tenuat, digerit, terget, glutinat. Glutinandi hæc facultas veteribus indicta, facit ipſum hodie pretioſum. Cætera ex Gal in ſimpl. docui: notæ huius in Dioſcor. opobalſamo. Id rarißimum, & ob*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0364-8

*id pretioſiſſimum. Quapropter Petrus, de Ebano, Gulielmus Platearius, Bartolomæus Montaguana oleum balſami compoſuerunt, viribus verò balſamo nihil ceſſurū. Alij folia, & ſemen, & lignum huius plantæ oleo inſolant dies quadraginta, exprimunt: & ſeruant: ſed viribus opobalſamo id multo eſt inferius.*

OLeum ſeſaminum impinguat, ſemen auget, aſperam arteriam lenit, & vocem ob id claram reddit, multorum prætereà oleorum aliorum eſt materia: extrahitur vt amygdalinum, niſi quòd priùs ſemen ſeſami excorticandum ſic eſt. Id ſemen ab excrementis purgatum, aqua parum ſalſa irrigetur, manibus fricetur: iterum irrigetur, donec madeſiat: ſiccetur, modicè aſſetur, ſacculo aſpero multùm diúque confricando excorticetur, corticibus expurgetur, molatur in farinam: oleum exprimatur, vt ex amygdalis. Ex eodem ſemine non excorticato, ſed aſſato & molito in farinam, oleum quoque extrahitur vt prius.

*Id ſemen quod agros emaciat, in Italia ſeri deſijt, ob eiúſque penuriam oleum ſeſaminum deſideratur, cuius loco amygdalarum dulcium oleum ſubſtituatur: oleum id clarum candidum, & vſu cum cibis delicatiſſimum.*

OLeum lini, ſpaſmo, duritiei neruorum & iuncturarum hæmorrhoidibus, ſedis phlegmonis & rimis confert, ac dolori pulſatorio.

*Fit vt oleum ſeſami, ſed lini ſemen nō excorticatur: neruorum dolores ſedat, viribus proximum eſt oleo chamæmelino,* Manardus. *quibuſdam in vſu eſt vice olei communis. Quidam pleuriticis oleum lini dederunt linctui aut potui, non ſine vtilitate. Paratur hodie à candelarijs et olearijs molitorib. non à pharmacopolis. In moletrinis quoq; aquaticis pauca aqua affuſa extrahitur ad vſum lucernarum.*

OLeum papauerinum impinguat, aſperam arteriam lenit, febrium ardorē mitigat, & inſomniam: fit vt oleum ex ſemine lini.

*A febrium enim vapore calido ſicco vigilias tollit, ſom*

*númq; frigiditate & humditate conciliat, fronti, auribus, naribus, temporibus illitum. Compoſitum autem oleum papaueris poſt ſcribēdum eſt vſitatius. Hyoſcyaminum oleum ex ſemine albo hyoſcyami recente, ſicco, calida aqua ſparſo, inſolato, trito, à Dioſc. exprimitur ad aurium dolores, peſſis etiam miſcetur, ad emolliendum vtile.*

OLeum ex ſemine lactucæ idem pollet quod papauerinum & eodem fit modo.

OLeum ex ſemine cucurbitæ cucumeris, melonis, citreoli, phlegmonis viſcerum, & ab his febribus ardentibus confert, vrinæ ardorem valde mitigat. Poſſunt ex ſingulis horum per ſe extrahi, vel pluribus, vel omnibus ſimul: excorticatis tamen ſeminibus ſeſami, ſeminum modo. Ex pluribus aliis tum ſeminibus, tum fructuum nucleis, & fructibus, olea eodem modo exprimi poſſunt, quæ vires eorum ex quibus ſeparantur retinent, & à nobis omittuntur.

*Quale eſt raphaninum, melanthinum, ſinapinum, cannabinum, ſtaphidis agriæ: Quæ etiam fieri poſſunt ſeminibus ipſis tritis & coctis cum oleo, & cum ſucco aliquo vires eorum augente: vel, ſi eſt opus, remittente, vel ſaltem fouente, & olei aduſtionem ac ſeminis prohibente.*

## DE TERTIO GENERE OLEORVM.

FIunt & olea per impreſsionem, quæ ipſis oleis velut habili cuidam materiæ aliorum medicamentorum virtutem à ſua ipſorum forma proficiſcentem inſerit, quomodo ſigillum formam ſuam materiæ cuipiam ad eam ſuſcipiendam habili imprimit. Hęc autem variis fiunt modis, quos Deo adiutore, tradituri ſumus.

*Oleorum genus tertium facultatem recipit variam ex incoctis ſibi varijs ſimplicibus: propterea id iam eſt compoſitum, non amplius, vt priora duo genera, ſimplex: id Paulo μυρῶδες, id eſt, vnguentarium dicitur: eſt illi ſimplex, id eſt, parum medicamentoſum, & paucis miſtum: alterum compoſitum & medicamentoſius.*

*Oleum*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0366-0
DFG

OLeum roſatum completum roborat, reſoluit commodè, lenit, & ſedat: fitq; ex oliuis maturis, & foliis roſarũ cõpletarum: rude verò inflammationes extinguit, roborat, cogit, dẽſat, fluxiones ſiſtit, & materiarum per corpus fluxum cohibet, dyſenterias potu inſigniter iuuat, & fit ex oliuis immaturis, & foliis roſarum nondũ apertarũ. Hoc autẽ modo fit: Folia roſarum rubrarum recentiũ trita quantitate ſufficienti, oleo ex oliuis, vel ſeſamino recenti, & aqua fontana aliquoties loto, macera in vaſe vitreo obturato, diebus ſeptem inſola: coq; tribus horis in vaſe duplici. Expreſsis foliis & abiectis, noua immitte: inſola iterum dies ſeptem, coq; vt priùs: tertiò idẽ fiat. Deinde aquæ infuſionis roſarum dictæ in ſyrupis quantum eſt oleum, miſce, opercula, inſola dies quadraginta: pòſt excola, iterùm diu inſola. Aliter quoq; paratur magis reſoluẽs ex ſucci roſarum & aquæ infuſionis roſarum prædictæ, ana parte vna: olei loti & parati, vt dixi, partibus tribus: foliorum roſarum contuſarum quantitate ſufficienti: hæc omnia in vaſe vitreo inſola, vt dictum eſt, pòſt coque: folia roſarum permuta, inſola, vt diximus de permutando ſucco, & aqua infuſionis roſarum: idq; bis fiat. Poſtremò oleum ſolum cũ ſucco roſarum, & aqua infuſionis earum, in vaſe vitreo inſola dies quadraginta: vel amygdalas dulces purgatas, curioſè tritas foliis roſarum tuſis miſce in offas, quas in aëre calido horis vigintiquatuor ſerua, tere, & ſubige continenter in mortario affuſa pauca aqua infuſionis roſarum calente: tandem torculari exprime oleum, vaſi vitreo impoſitum opercula, & inſola: quarto modo cum ſeſamo excorticato fit qualiter cum amygdalis: ſed rudi roſato aptiores ſunt amygdalæ completo autem ſeſamo.

*Hi quatuor modi cõmunes vtrique roſati differentia.*

*Prima olei roſati compoſitio multis eſt in vſu: Pariſienſibus autem cõpoſitio Nicolai in ipſius Antidotario dicenda. Paulus roſarum rub. exunguatarum vnc. tres olei omphacini ſextario immittit vaſi operculato, ne expiret: dies quadraginta inſolat, ſuper tabulã reponit: alij non inſolant, ſed puteo imponunt: alij terræ infodiunt dies quadraginta. Tres vnguenti roſacei compoſitiones Dioſcori. Roſas quidam integris folijs, alij exunguatis, alij etiam forcipibus inciſis,*

*alij*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0367-5 DFG

*alij tuſis oleo impoſitas igni coquunt, colãt, ſeruant: alij dies quadraginta inſolant in vaſe vitreo operculato, ſine coctione: inſolatus etiam in vaſe duplici eſt præſtantior. Oleum roſatum veteres nominare cõſueuerunt, quod abſque odoramentis paratum eſt: quorum ſi aliquid huic inditum fuerit, non oleum, ſed vnguentũ roſaceum nominant, in fine lib. 2. ſimpl. Oleum roſatum optimum conficitur ex roſis ſolis, ſine frondibus, quæ plurimæ oleo omphacino ſine ſale parato plenius imbuantur, & infundãtur Vere, aut ineunte Aeſtate. Poſt annum autẽ vetus eſt ac inutile. Id oleum vim quãdam repellentẽ habet, & repellentem, & mitigatoriam, & diſcuſſoriam: ſeu repellit, coquit digerit omnia hæc mediocriter. Huic oleo quidam ſpiſſamẽta adijciunt, vt id diutius ſit odoratum. Oleum roſatum audio fieri odoratiſſimum putrefactis menſe vno roſis ſub fimo in vaſe bene operculato. Eadem ratione ex maſtiche vulgari, & roſis incarnatis, & moſchatis, & ſimilibus fieri poſſe confido odoratiſ. ſine vllius olei miſtione.*

Lib. 6. ſanit. Lib. 1. & 2. c. ph. g.

Lib. 1. 2. & 3. c. ph. p. Lib. 3. c. ph. p. initio.

OLeum chamæmelinum, genus omne neruoſum roborat, fluxionesq; inhibet vi ſua modicè adſtringenti, moderatè reſoluit: ob id dolores ſedat. Fit vt oleum roſatũ, ſed ex oleo maturo, aut ſeſamino, vt dixi, extracto.

*Paulus florum ſine albis folijs recentium, ſiccatorum vigintiquatuor horis vncias duas ſextario Italico imponit, vas tegit linteo ſimplici, vt tranſpiret, & quadraginta diebus inſolat, poſt bene obturato vaſe reponit: ex ſiccis folijs in vaſe duplici coctis eſt imbecillius. Calidũ tẽperatè ad primum tantũ gradum vergit, humido ſicco temperatum. Initio colici, arthritici, & aliorum dolorum eſt præſtantiſſimum, quia parũ repellit, & modicè digerit, cùm valenter digerentia plus nouæ materiæ in partem alliciãt, quàm veteris inaniant. Si tamen vehemens eſt fluxionis impetus,*

Oleum chamæmeli refrigerare, & dolorem capitis ab æſtu minuere dicitur Lib. 2. c. ph. p.

*tus, adſtringente magis opus eſt. Vires laxandi tantũ quibus febres prohibet, non etiam adſtringendi Galenus ei tribuit.*

OLeum meliloti, viribus eſt chamæmelini, & eodem modo componitur.

OLeum violatum, intemperiem calidam extinguit: ob id phlegmonas omnes remittit, ac inde pleuriticos iuuat, aſperitatem arteriæ & pulmonis, & thoracis lenit. Fit quomodo roſatum: ſed ex oleo viridi, vel amygdalino, vel ſeſamino.

*Oleum ἰατὸν, id eſt: ex floribus violæ nigræ vulgò Martiæ, frigidum, humidum, tenuis eſſentiæ, lenit, & modicè aperit: clyſtere infuſum ardorem febrium mirè ſedat. Quibuſdam placet hoc admouendum eſſe tantũ phlogoſi, & intemperaturæ calidæ ſoli: vt roſatum intemperaturæ calidæ cum humorum affluxu. Hepatis & renum caliditatẽ mirè ſedat cum aceto pauco, ſucco lactucæ, ſantalo albo & cera exigua.* Vnguẽtum ſantalinũ. *Si oleum viride eſt, omphacinon, ſeu ex oliuis immaturis expreſſum: vt videri poteſt (tale enim, vel aliud lotum frigidis oleis conuenit) amygdalinum vel ſeſaminũ ablutione in aqua refrigerante vires olei omphacini accipiant. Paulo fit hoc oleum ex violis purpureis vel croceis, vel leucoio, inſolat autem exactè operculato vaſe, ne tranſpiret, tantũ dies decem, violis interea ter mutatis, additq; demum violas ſiccas.*

OLeum anethinum digerit, ob id dolores ſedat: confert rigori febrili, ſpinæ, & partibus neruoſis, inunctum acceſſionis initio: phlegmonas & ſcirrhos reſoluit, ſomnum, itẽ conciliat, & cephalalgiam mitigat. Fit vt oleum chamæmelinum.

*Flores anethi forcipe execti ex oleo dulci dies quadraginta inſolantur. Paulus comæ florum anethi vno die ſiccatæ vnciam vnam ſextario olei imponit. Dioſcori. anethi comæ libras duas, & vncias octo in libris octo olei, & vnc. nouem vno die inſolat, pòſt exprimit & reponit. Nam magna*

*gna in hoc mẽſura florum hoc tempuſculo ſatis virium ſuarum oleo impertit: articulorum dolores Dioſcoridi ſedat, vtrunque mollefacit & reſerat.*

Libr. 4. ſan. tuen. *Oleum anethinum, ex anetho maturo & viridi in vaſe duplici coctum, ſuccos, nec craſſos, nec lentos in cute & carne reſidentes digerit. In vaſe duplici autem coquendum id, & Sicyonium, & chamæmelinum etiam docet lib. 12. metho.* Lib. 6. ſimp. *Anethum in oleo coctum, oleum facit anethinum digerens, dolorem ſedans, ſomnum concilians, crudos & incoctos tumores coquens. Eſt enim temperie propinquum pus mouentibus & coquentibus medicamentis, niſi quatenus illis eſt paulò calidius & tenuius, ob idq́; digerens. Viride autẽ capiendum, quia humidius, minus calidum, & ob id magis concoquit, & ſomnum conciliat, ſed minùs digerit.* Lib. 12. met. *In oleum relaxans non adſtringens, præcipuè antiquum, immitte anethi quod videbitur ſatis: mox vbi in vaſe duplici tantiſper calfeceris, dum mediocriter vim herbæ imbiberit, exprime, & repone.*

*Oleum liliorum.* OLeum liliorum calfacit, reſoluit: ob id à frigore dolores thoracis, ventriculi, coli, vteri, renum, veſicæ ſedat, lenit, & coquit. Fit vt oleum chamæmeli, ſed ex liliorum floribus quod croceum eſt, abiiciatur. *Simplex.* Componitur item ex foliorum lilij vnciis octo: maſtiches, calami aromatici, coſti, carpobalſami, ana vnc. vna: caryophyl. cinnamomi, ana vnc. ſemiſſe: croci drachmis tribus. *Compoſitũ.* Omnia præter liliorũ folia aqua ſufficiente vigintiquatuor horis macerentur, ſemel aut bis ferueant. Tunc iniice olei dulcis, vel ſeſamini, lib. duas: & additis lilij floribus, in vaſe vitreo in ſola dies quadraginta: pòſt colatum reponantur.

OLeum irinum ex floribus ireos ſimiliter factum, calidius, tenuius: ob id altiùs penetrat, & valentiùs reſoluit: liliorum verò magis ſedat, lenit, maturat. Irinum oleum terget, tenuat, coquit, reſoluit potenter: ob id à frigido dolores aurium, hepatis, ſplenis, vteri, articulorum ſedat phlegmonas

nas coquendo ſuppurat, materias thoracis & pulmonis coquit: ſtrumas diſsipat, & alios tumores duros, ſpaſmum emendat, & narium fœtorem. Sic fit: Radicum ireos libram vnam, florum eiuſdem, libras duas: aquæ cui incoctæ ſunt aliæ ireos radices, quantitatem ſufficientem: olei dulcis, vel ſeſamini quantum ſufficit, in vaſe duplici coque, radices & florum folia noua immitte prioribus expreſsis & abiectis, vt in oleo roſato.

OLeum ſambucinum lenit, cutim expurgat, neruos roborat, eorumq; doloribus confert. Fit vt roſatum.

*Ex floribus ſambuci factum, dolores ſedat: ex medio autem cortice ambuſta ſanat: fit etiam ex floribus iaſminum, quod ſambacinum Arabes vocant, chamæmelino aut ſequenti viribus proximum.*

*Oleum de Keiri.*

OLeum leucoij lutei tenuat, digerit: ob id dolores, thoracis, renum, neruorum, iuncturarum, ſedat: fit vt chamæmelinum.

*Paulus horum florum exunguatorum vncias tres olei ſextario immittit, in vaſe exactè obturato decem dies inſolat, ter mutat: vbi reponendum eſt, alias bene ſiccas adiungit.*

OLeum papaueris intemperiem calidam ſanat, & inde ortum dolorem, ſomnum quoq; conciliat. Fit vt violatum ex floribus, ſed etiam capitibus & foliis papaueris albi mitius & tutius, nigri ſtupefaciendo efficacius.

OLeum de foliis lactucæ idem pollet quod oleum papauerinum.

*Oleum nenufaris.*

OLeum nympheatum vires habet violati, & eodem fit modo.

*Refrigerat tamen magis quàm violatum, minus quàm papauerinum: hypnoticis, & intemperaturam partium, vt renum, calidam ſanantibus vtiliter miſcetur, & veneris tentiginem prohibet genitali inunctum. Oleum nympheatū Raſis in Antidotario deſcribit, refrigerãdo mitigãs cephalalgiã febrilem à vaporibus ſurſum elatis, & deliriũ*

inde

*inde, vel ex phrenitide natum: ardori vrinæ, vlceri renum & veſicæ commodum illitũ, vel clyſtere iniectum. Fit autem ex floribus albis, nõ flauis, in oleo omphacino dies quadraginta inſolatis.*

OLeum cucurbitæ nympheato viribus par, & eodem paratur modo: ſed hoc ex floribus cucurbitæ, & ſucco raſæ carnis eius, & oleo.

*Cucurbitino autem oleo priùs ex ſeminibus expreſſo ſi fiat, tunc multò eſt frigidius, ac humidius.*

*Oleũ cydoniorum.*

OLeum melinum, refrigerat, adſtringit: ob id vẽtrem totum inferiorem, & neruos laxiores cogendo roborat, ſudores immodicos ſiſtit: fit ex carnis cydoniorũ præmaturorum, cum cortice [& ſeminibus] tritorum, & ſucci eorum portione æquali in olei omphacini modo ſufficienti diebus quindecim vaſe vitreo inſolata: deinde horis quatuor coquatur in vaſe duplici, caro & ſuccus mutetur, & rurſum inſoletur, & coquatur, vt diximus, bis aut ter: poſtremò colatum reconde.

*Oleum id facultatem ventriculi & inteſtinorum retentricem adſtringendo roborat, & qualitate aromatica coctionem iuuat: ob id lienteriæ, diarrhϾ, dyſenteriæ multũ ſalubre eſt, præſertim, bilioſæ, ſed bilis parte iam vacuata: clyſteribus iniectum per ſe, vel cum maſtichino, myrteo, roſato. Spinæ etiam illitum & thoraci, ſudorem immodicũ vires deijcientem ſiſtit.*

*Paulus cydoniorum lanugine bene terſa cum corticibus inciſorũ vncias tres in olei omphacini ſextario inſolat dies quadraginta. Si ſuccum cydoniorum oleo incoquis, ſic crepitat & agitatur, mirabile viſu, vt oleum omne tandẽ vaſe excutiat. Ob id vaſe duplici coquendum eſt ſimul, ne vires cydoniorum empyreuma vitiet. Succus autem ex his largior extrahitur, ſi ferramento ſegmentis quibuſdã exaſperato (rapam vocant) deradantur potiùs quàm ſecentur minutim, aut terantur.*

Oleum

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0372-2

OLeum myrtinum, cerebrum, neruos, cor, ventriculum roborat coquendum vt melinum.

*Id oleum adſtringit quantum cydoniorum, ſed ſiccat potentiùs. Alterum prius in ſecundo genere per expreſſionẽ baccarum myrti recentium docuimus. Oleum ex oleo & myrtis, aut myrti ſucco compoſitum, adſtringit ſolum à myrtis, digerit ab oleo, Gal. lib. 1. c. ph. p. & lib. 2. c. ph. g.*

OLeum ex pomis mandragoræ inflammationem omnem extinguit, ſomnum conciliat. Fit ex ſucci horum pomorum maturorum, & olei ſeſamini partibus æqualibus in vaſe duplici coctis ad ſucci conſumptionem. Succi tantundem ſuffice: coque vt priùs, idem tertiò fac, & reconde.

*Gallis interdum ſic paratur: aliter Nicolao in Antidotario.*

OLeum enulatum calfacit, tenuat, digerit: ob id affectibus neruorum, vteri, veſicæ frigidis prodeſt, ac febrium rigori, & colo à flatibus dolenti. Radices enulæ tuſas, ſucci aliarum enulæ radicum: olei ſeſamini portionem æqualem in vini odori parte dimidia, coq; vt diximus in oleo melino. Cõpoſitius & valẽtius fiet, ſi foliorũ lauri, cardamomi, ſpicæ nardi, calami aromatici, maſtiches, ana ſextã partis vnius addideris.

OLeum ex cinnamomo & ſabina, & pulegio, idem pollet quod enulatum, & eodem fit modo.

*Tria in Meſue de his capita in vnum iunximus: oleum cinnamomi Dioſcor. eleganter paratur: fieri etiam ex noſtro pſeudocinnamomo poteſt. Quod verò è ſabina fit, dolores à morbo Hiſpanico mirè ſedat, cutisq; fœditatem corrigit. Sed quod è pulegio, ciendi menſes vim magnam obtinet.*

OLeum rutaceum calfacit, tenuat, digerit: ob id laterum, renum, veſicæ, vteri dolores à frigida cauſa ſedat: fit vt myrtinum.

*Ex foliorum & ſucci rutæ ana portione æquali, olei ompha. q. ſ. in ſola dies quindecim obturato vaſe: pòſt coque in vaſe duplici, horis quatuor, exprime: hos bis aut ter itera. Rutaceum & illitum & clyſtere iniectum, colicum dolorẽ* Gal. in ſuo dolore colico.

*quem chamæmelinum & anethinum mitiora non ſedarunt, placat, vacuata prius parte materiæ: neruoſas partes à frigido læſas valde roborat, paralyſi confert, ſpinæ inunctum obſtructiones aperit, inflationem potentius diſſipat, ſi ex ruta ſicca ter vel quater mutata perficiatur. Nã in virente ſucci excrementoſi multum ineſt.*

OLeum nardinum benedictum calfacit, tenuat, digerit, modicè adſtringit: proinde affectus omnes frigidos & flatulentos cerebri, ventriculi, hepatis, lienis, renum, veſicæ, vteri magnoperè iuuat, naribus iniectum caput purgat, corporis colorem & odorem commendat. Spicæ nardi vnc. tres: vini & aquæ ana vnc. duæ & dimidia: olei ſeſamini lib. dimidia, coquãtur in vaſe duplici lento igne, horis circiter quatuor, frequenter mouendo. Vel ſpicæ nardi vnci. tres: ſampſuchi vnc. duæ: xylaloës, enulæ, folij Indi, calami aromatici, foliorũ lauri, cyperi, ſchœnu anthûs, cardamomi, ana vnci. vna & dimidia, antequàm terantur, vino & aqua ſufficienti, & olei ſeſamini libris ſex mergantur: coque vaſe duplici igni lento horis ſex, ſingulis horis mouendo. Vel ſpicæ nardi vnci. quatuor: ſtyracis, caryophyll. ana vnc. tres: nucis moſchatæ, vnc. quinque: olei balſami, vncias ſex: olei ſeſamini, lib. quatuor, coque vt prius horis quinque.

*Prima cõpoſitio eſt nobis frequens & efficax etiam ad aurium tinnitus & dolentes ipſius flatus, & omnem ner-*
Li. 6. ſanit. *uorum intemperiem frigidã. Oleũ nardinum calfacit, potiſſimum vbi largius accepit amomum. Id olim Laodiceæ in Aſia duntaxat præſtantiſſimum fiebat: nunc etiam in alijs fit vrbibus. Secunda & tertia Meſuæ cõpoſitio ſi ſimplicia ſuppeterent vera, eſt efficaciſſima, ſed vnguentum verius eſt quàm oleũ. Oleũ autem ſeſaminum quia deſideratur, vice eius oleũ dulce ſubſtituitur, paruo aut nullo errore. Nam Meſues aliquando ſcribit olei ſeſamini vel dulcis.*

OLeum maſtichinum, cerebrum, neruos, iuncturas, ventriculum, hepar corroborat, tumores duros lenit, dolores ſedat: ſic conficitur: Maſtiches vnciæ tres, olei ſeſamini ſextario coquuntur in vaſe duplici. Vel maſtiches vnc. tres, vini

vini vnciæ quatuor, alij octo, olei roſati lib. vna, in vaſe duplici coquuntur ad vini conſumptionem.

*Secundum eſt ſolum in vſu, quia præſtantius priore, cui cum Paulo oleum omphacinum miſcetur potiùs, quàm ſeſaminum: niſi quando ſtudium maius eſſet duritias molliendi, & dolorem ſedandi: quorum neutri omphacinum per ſe conuenit. Eſt autem vtrunque ſimpliciſſimum medicamentoſius, ac varium magis, & vnguẽtum veriùs, quàm oleũ. Paulus deſcribit. Facultatem ventriculi coctricem & retentricem roborat illitum in lienteria: ob id ſalubre. Minùs multò calet, ſiccat, obſtructa aperit, quàm nardinum, nec minùs adſtringendo roborat. Oleum maſtichinum ex oleo roſato & vino antiquo ad partium laſsitudinem & imbecillitatem fit Meſuæ in fine ſuorum canonum cap. 12.* Auic. 5. can. habet deſcrip. primã.

*Oleum maſtichinum & lentiſcinum recens in vaſe duplici calfactum, anodynum eſt phlegmones in gingiua, lingua, oris tunica & cute.* Li. 5. c. ph. p.

Oleum ex ſtyrace calfacit: ob id confert dolentibus à frigore renibus, veſicæ, vtero, neruis, muſculis, tendonibus, iuncturis. Styracis vnciæ tres, vel ſi valentius vis, quatuor, in olei ſeſamini libra vna coquantur, vt in maſtichino, & colatum reponatur.

*Oleum ſtyracis huic ſimile ſcribitur Auic. 5. can. & Serapioni in Antidotario: ad ſcabiem eſt efficax, præſertim addita parte octaua ellebori albi: diuerſum Dioſcoridi. Diuerſum duplex Meſuæ ex ſtyrace liquida in curandis affectibus neruorum: aliud etiam Nicolai. Styracini olei meminit Dioſcorid. in ſtyrace, ſed an ſimplex ſit vel miſtum non docet.*

Oleum coſtinum calfacit, obſtructa aperit, neruoſum genus roborat, vt neruos, muſculos, tendones, ligamenta, ventriculum: præter hæc, hepar & capillos: canitiem ob id moratur, & corporis colorem ac odorem commendat. Coſti amari vnciæ duæ: caſiæ, vncia vna: ſampſuchi ſummitatum

vnciæ octo: vino odoro, quantum ſufficit, biduo infundantur: deinde cum olei ſeſamini libris tribus coquantur horis ſex, vt nardinum.

*Si vera coſti radice fiat, omnibus neruoſi generis affectibus frigidis confert calore vehementi, vt etiam paralyſin ac vehementem rigorem ſpinæ illitum iuuet. Capillos etiam tenaciùs affigit, & muccoſo humore canitiem accelerante conſumpto, canos prohibet.*

*Oleum de alkana.*

OLeum cyprinum partes neruoſas roborat, capillos à canitie vindicat: fit ex florũ cypri vnciis quatuor coctis in olei veteris vnc. decem, vt roſatum florum penuria, folia cum modico vino bis mutata coqui poſſunt in dicta olei menſura.

*Quod oleum cyprinum duplex Paulo deſcribitur, verius eſt vnguentum, vt Dioſc. Suffecerit Meſuæ deſcriptio. Oleũ cyprinum & lentiſcinum magis calfaciunt, quàm myrteum: & modicè aſtringunt.* (L. 1. 2. c. ph. p.)

*Oleum de ſampſucho.*

OLeum ſampſuchinum calfacit, roborat caput & neruoſum genus omne: fit vt oleum myrtinum.

*Raſi. in Anti. acopum eſt, ſeu laßitudini vtile, & morbis cerebri & neruorum frigidis prodeſt. Ob id ſpinæ in balneo inunctum paralyſin iuuat, & ſpaſmum cynicũ vulgò torturam oris, naribus iniectum: vt auribus immiſſum, à flatu tinnitum dißipat, menſes ciet, morſui ſcorpionis prodeſt. Potẽtiùs fiet ac odoratius, ſi comis ſampſuchi ter quater mutatis, in vaſe duplici coquatur. Paramus in nullos vſus alios, quàm ad emplaſtri meliloti compoſitionem. Sampſuchinum Dioſc. ab hoc diuerſum.*

*Ole. ex mezereo.*

OLeum ex thymelæa hydropi confert, ac vlceribus malignis, cutis fœditatem terget: foliorũ mezereon vnc. quatuor aquæ libra vna: viginti quatuor horis macerentur, pòſt coquantur in olei ſeſamini vnc. octo: & lactis dulcis & recentis vnciis ſex, ad aquæ & lactis conſumptionem: colatum reconditur.

*In ſimp. cap. de mezereo priùs eſt aliter deſcriptum. Id vmbilico admotum, aluum ſubducit.*

Ole

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0376-5
DFG

*Oleũ ſericinum.*

OLeum de thymo, renum, veſicæ, ilium dolori cõfert: vrinæ difficultatem leuat iniectum in ſedem, vel meatum vrinarium. Thymi vnc. quatuor: zingiberis vnc. vna & dimi. aqua dulcis ſufficiens: ſucci extremitatũ thymi, vnc. quatuor: olei ſeſamini vnc. quatuordecim, coquantur in vaſe vitrato ad aquæ & ſucci cõſumptionẽ. Vel ſucci thymi, olei ſeſamini, lactis vaccini recentis ana lib. duæ: penidiariũ albarũ vnc. quinq;: zingiberis albi vnc. vna & dimi. coquantur vſq; ad ſucci & lactis conſumptionem. Hoc eadem poteſt quæ prius, & præterea roborat dictas partes ac iuncturas, earúmque dolorem lenit, colorem bonum reddit, venerem excitat.

*Id oleum cur Meſ. hîc & Serap. in Antidotario ſericinum vocet, non video. Poteſt earundem propè virium fieri eodem modo ex hyſſopo, quod quidam hoc loco per alhaſech. à Meſ. intelligi voluit.*

*Ole. de cucumere aſinino.*

OLeum σικυόνιον. id eſt, de cucumere agreſti, epilepſiam, hemicraniam, & alios cerebri affectus frigidos naribus immiſſum leuat, & ſtrumas, & ſurditatẽ, panum & cicatrices nigras delet. Oleum ſeſaminũ in ſucci cucumeris agreſtis maturi quantitate æquali coquitur ad ſucci conſumptionem: vel ſucci radicũ ipſius, & aliarum eiuſdem radicum tritarum ana lib. dimidia, cum oleo ſeſamini lib. vna coquitur ad ſucci conſumptionem.

*Paulus radicum eius vncias duas coquit in vaſe duplici cum oleo ſextario vno. Alterum idem compoſitum efficit vnguento proximum. Hoc ſæpe vtitur Gal. in libris comp. medicamentorum, præcipuè ſecundum genera, ſed etiam ſecundum locos, & aliquando in methodo. Eius verò compoſitionem ab eo promiſſam nuſquàm legi. ἀπὸ τοῦ σικύου ἀγρίου à cucumere agreſti eſt vtique dictum σικυόνιον. Dioſco. verò σικυώνιον ἀπὸ τῆς σικυωνίας, quæ regio eſt Peloponeſi, in qua laudatiſsimum fiebat. Aliter omnino componitur, & ſine radicibus cucumeris agreſtis, à qua illud calfacit, tenuat, digerit: hoc verò aut temperatum eſt, aut ſubfrigidum: quanquàm id quadantenus calfacere, & febri ac neruo-*

*rum vitijs prodeſſe, fœminiſque faciei nitorem conciliare ſcribit Dioſcorid. Elaterium verò ex fructu per maturitatem flaueſcente ſine expreßione extrahitur, ſiccatur vt ſcammonium. Poſt ſex menſes vtendum.*

*Ole. de pomis citrangulorum.*

OLeum de pomis citreis vel aranciis ad iuncturarum dolorem. Poma hæc duodecim matura integra in olei ſeſamini lib. duabus, aquæ fontanæ & marinæ ana. q.ſ. coque in vaſe vitrato ad aquæ conſumptionem. Iterum in aquæ dulcis lib. vna & dimid. cum penidiarum albarum vnc. octo, coque ad aquæ conſumptionem. Datur ab vncia vna ad vnc. tres, cũ potu, cibo, obſoniis.

OLeum croci neruos & vterum roborat, amborumq́; dolorem ſedat: durities diſsipat, coloris gratiã efficit. Croci vnc. vna, myrrhæ puræ vnc. dimid. diebus quinque aceto macerentur: die ſexto toto cardamomi drach. nouem ſimul macera: ſeptimo cum oleo lib. vna & dimid. coquantur igni lento ad aceti conſumptionem: loco aceti ſunt qui vinum ſupponãt.

*Dioſcorides aliter præparat ad ſomnum conciliandum, etiam phreniticis, ſi odoretur, aut naribus infricetur, & ad clauſionem vteri, ſuppurat, vlcera purgat, etiam maligna. Paulo eſt aliud, vt pretioſius, ita præſtantius.*

OLeum ex piperibus iuuat morbos neruorum frigidos, vt paralyſin, ſpaſmum, ſpaſmum cynicum, tremorem, epilepſian: ad hæc iſchiadem, & cæteras arthritidis differẽtias, & vteri, cœli, renum, veſicę affectus frigidos: quia calfacit, tenuat, terget: ob id obſtructiones aperit, calculum frãgit. Triũ piperum ana vnc. tres: cepularũ, beller. embl. Ind. ana drac. quinq;: radicũ apij, fœniculi, ana drac. tres & ſemiſ. ſagapeni, opopanacis, hyoſcyami albi, ana drac. duas & ſemiſ. turbith boni albi drach. duodecim: zingiberis drac. tres: ſurculorum hyſſopi recentium, foliorũ rutæ virentium, ana manipulum vnum: parùm trita coquantur ad tertiam partẽ in aquæ lib. vigintiquatuor, coletur cũ ole. cicini heminis duabus: percoquatur ad aquæ cõſumptionem. Addunt alij ireos drac. ſex: thapſiæ drac. duas: aniſi, cardamomi, ana drac. vnã & dimi. calami aromatici drach. duas & dimid. ſpicæ nardi drach. vnam: expreſsionis

hyſſopi vel thymi ſextarios tres. Poni poteſt loco cicini oleum irinum vel leucoij lutei, vel amygd. amararum, vel omnium ſimulquatuor ana hemina dimid.

*Hoc deſcribitur Auic. nomine olei alchechengi. hyoſcyamus præſertim tam paucus, hic otioſus videtur, vt menti ſuſpitio ſit vehemens. Validum fuerit hoc ol. etiam potu Mediolani vſurpatur.*

OLeum ex euphorbio iuuat maximè frigidos cerebri & neruorum affectus, cephalalgiam, hemicraniam, lethargum, naribus immiſſum: articulorũ quoq; & hepatis, & ſplenis dolores illitum iuuat. Euphorbij vnc. dimid. in olei leucoij lutei, & vini odori ana vnciis quinque coquitur ad vini conſumptionem. Vel ſtaphidos agriæ, ſtrutij, ana vnc. dimid. pyrethri drac. ſex, ſucci calaminthes montanæ vnc. vnam & dimidiam: coſti, drac. decem: caſtorei drach. quinque: trita, triduóque macerata, in vini odori libris tribus & dimidia coquantur ad dimidias: deinde frica multum diúque manibus, & cola: cum olei leucoij lutei aut ſeſamini libra vna & dimidia percoque ad vini reliqui conſumptionem: tunc inſperge euphorbij recentis & albi tenuiſsimè triti drach. quatuor, & miſcendo coque.

*Idem poteſt quod ol. de piperibus, ſed calidius & ſiccantius: fugiendum vtrunque in principio dictorum affectuum, niſi vehementer frigidi ſint. Secundum efficacius etiã Auic. deſcribitur 5. can. ex oleo & ſolo euphorbio parciore: largiore parat Gal. lib. 2. c. ph. p. pro vario ſcopo. Olei libræ vni immitte euphorbij validi, hoc eſt, recentis & albi ſemunciam, vel (ſi vetus eſt euphorbium, vt bimum, trimum, & iam pallidum aut flauum) drach. ſex: ſi ſenſus in auribus vel parte alia eſt acer, minus ſemuncia vt drach.* Gal. in fine *tres: ſi obtuſus, validi euphorbij vnc. dimid. vel drachmas* li. 2. c. ph. p. *quinque: præſertim ſi affectus eſt contumax, vt alopecia. Idem pollent piper, cepa, allium, ruta oleo incocta in frigidis aurium & aliarum partium affectibus, vt in hemicra-* Lib. 4. ſan. *nia à cauſa frigida. Oleum cui libanotis, id eſt, roſmaris in-*

*cocta ſit, vel radix betæ albæ, vel cucurbitæ agreſtis, vel cucumeris agreſtis, vel bryoniæ, vel altheæ, efficaciter euaporat: vbi hæc qualitatem & vires in oleo tenui non adſtringente dimiſerunt. Ol. ex mentha viridi repellit: exſiccat, roborat, digerit lib. 2. c. ph. p. Piſſelæon ſeu picinum oleum Dioſc. componitur.*

*Oleorum genus tertium facimus non modò eis plantarum prædictas partes incoquendo, ſed etiam animalia medicamentoſa: id quod exempla ſequentia docebunt.*

OLeum vulpinum ad podagras, reliquáſque arthritidis ſpecies, ac dorſi, renúmque dolorem eſt efficaciſſimum. Vulpes integra tantum exenterata, in aquæ fontanæ & marinæ ana ſextario vno: olei antiqui clari ſextariis duobus & dimidio cum ſalis vnciis tribus coquitur ad aquarum conſumptionem, & vulpis artuum diſſolutionem. Poſteà aquam dulcem (cui hyſſopi, & anethi herbarum ana man. vnus incoctus ſit) affunde vaſi, & cum dictarum herbarum ana lib. vna recoque ad huius aquæ conſumptionem. vel vulpes in aqua fontana & ſalſa cum herbis dictis ſine oleo percoquatur, ad carnium vulpis & artuum diſſolutionem. Aqua hæc ad fotum vel balneum partium affectarum eſt efficax.

*Id oleum ad neruoſi generis & iuncturarum affectus omnes frigidos ob calorem mediocrem eſt tutiſſimum etiam initio & efficaciſſimum. Paul. viam vulpem oleo incoquit: & hodie nonnulli viuam vbi exenterarunt, ſemiſpirantem adhuc oleo incoquunt. Vulpes autem bene habita, qualis per vindemias vuis nutrita, & impinguata, ætatis mediæ eſto. Quid enim virium à vulpecula recèns nata & ſtrigoſa expectare poſſis? Grandior enim quia calore eſt acriori, humores habet calidiores, & ob id excrementa omnia acria, & partium omnium naturam valenter digerentem, vt nec vrinam, nec ventrem inferiorem contempſerim. Additur coquendo interdum ſaluia, roſmarinus, iuniperus, anethum, origanum, maiorana, & tunc*

*vul*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0380-6
DFG

*Vulpium eſt vnguentum.*

OLeum ex viperis cutim expurgat, impetigines ſanat: fit ex viperarum nigrarum integrarum lib. duabus, ad carnium diſſolutionem coctis igni lento in olei ſeſamini ſextario vno & dimid. in vaſe terreo vitrato anguſti oris exactè obturato, ne illius noxio vapore offendaris: vbi refrixerit, vitreo vaſe reponatur, pennâ partibus affectis illinatur. *Oleũ de ſerpentibus.*

*Si abſciſsis capite & cauda viperæ (quales theriaca poſtulat) oleo incoquantur: etiam elephantiaſi fuerit ſalubre.*

OLeum ex ſcorpionibus, lapidem renum & veſicæ frangit & expellit, lũbis, pubi, perinæo illitum, aut per meatum vrinariũ iniectũ: fit ex ſcorpionibus viginti, vel paulò pluribus, aut paucioribus in olei amyg. amararum lib. duabus inſolatis menſe vno in vaſe vitreo probè obſtructo. Vel ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, cyperi, corticum rad. capparis, ana vnc. vna: in olei amyg. amararum ſextario vno diebus viginti inſolentur in vaſe vitreo operculato: deinde ſcorpiones à decem ad quindecim oleo iniice: obtura, inſola iterum menſe vno. Egreſſus è balneo aut inſeſſu calculoſus illo vnguatur in tribus dictis partibus, & in meatum vrinarium inijciatur portio eius exigua horis ſingulis: eſt mirabile. Quidam priore, alij poſteriore ceu efficaciore vti malunt.

*Paratur etiam nunc oleo antiquo additis ſimplicibus medicamentis contra venena laudatis: fitq; oleum mirandarum virium contra venena omnia & peſtilentiam. Scio hominem hoc ſolo munitum quantumuis ſæuam peſtilentiã nihili facere, ſed eum & ſeruos ſuos vnà ſecum viſentes peſtilentia affectos, incolumes ſeruari, & ſola vnctione quoſdam à ſæuiſsimis venenis potis liberatos. Prius ob ſcorpiones frigidum eſt: poſterius ob aromato calidum & efficacius, nõ ob horum calorem & eſſentiæ tenuitatem (quib. aperit, incîdit, tenuat, terget, perrũpit) ſed etiam totius ſubſtantiæ ſcorpionum proprietate, & vt loquuntur, forma ſpecifica, qua vtrunque calculum renum & veſicæ frangit* Manard.

*illitum tantùm lumbis, ſi in renibus eſt: ſi verò in veſicā, pubi, perinæo, & iniecta etiam tum pauca in meatum vrinarium.*

OLeum ex ranis refrigerat: ob id podagram & alias arthritidis ſpecies calidas mitigat: & incendium febrium ardentium fronti & temporibus illitum: quando etiam ſomnum conciliat. Capitum ranarum antiquarum ſelibra in vaſe vitreo bene obturato, cum ſextario dimidio olei ſeſamini coquitur ad capitum diſſolutionem, vtí oleum ex viperis.

*Hoc oleum etiam hodie parant, ob id tantùm, quòd ſit neceſſarium ad emplaſtri de ranis compoſitionem à Ioanne Vigo deſcriptam. Podagræ calenti admouerūt quidam, ſed nullo fructu. Neq; enim frigiditas in eo magna eſſe poteſt ab his capitibus coquendo coctione tam longa, & in oleo ſeſamino, alteratis. Rectius, meo iudicio, ranæ virides in ſyluis crebræ, vnguibus reptantes in altiſſimas quaſque arbores: & ſub noctem brexantes (vox enim earum vnica eſt brex) oleo violato, vel omphacino, ad hos vſus incoquerentur. Quas manibus viuas hodie ex more tenent ad refrigerium febre acuta aliqua ardentes, croiſſets, vulgò dictas, quarum meminiſſe videtur Gal. lib. 10. ſimpl.*

*Oleorum genus quartum à ſapientibus multis deſcriptum, hodie chymiſtica arte magis perficitur, vim quandam in concreto & compoſito occultam manifeſtante. Hæc nanq; ignis vehemētia ex liquorib. gummis, reſinis, melle, ſaccharo, cera, oleaginam quandam ſubſtantiam ſeparat, & in capitellū attollit: nec minùs ex plantis pinguibus, ligno guaiaci, iuniperi, pini, larice, cedro, & id genus alijs: præterea ex plantarū, atq; adeò animalium partibus omnibus ipſum velut gluten terreæ ſubſtantiæ, humorem inſitum, pinguem, imputribilem maximè, vt ignis ſecretum nunc ſurſum attollit in capitella, vel vtriculos, vel deorſum in ſubiectum aliquem catinum præcipitat: rem omnibus*

*alijs*

*alijs remedijs planè diuiniorem, ſi Vſtadio in cœlo philoſophorum, & Gebero, & Veritati credimus: quanquam hodie ſunt idiotæ quidam, magnorum tamen Medicorum nomine ſe Venditantes, qui idipſum ceu nugatorium calumnientur, Vt alia propè omnia pulcherrima ipſis ignorata, ſolas (Vt Vocant) receptas ſcribere, nulla tamen ratione ſcientibus. Adde quòd metalla quædam chymiſtis in calcẽ Verſa, in oleum funduntur. Sunt qui terrea quoque corpora Vt lateres ignitos oleo incoquunt, Vt Vires oleo ipſi præſtantiſſimas acquirant. Ad Meſ. redeamus.*

OLea per reſolutionem variis fiunt modis, viriũ ſanè mirificarum. De quibus ſcribunt fuſiùs, qui rerum occulta manifeſtant & detegunt. Sapientes tibi omnino legendi & imitandi, ſi famæ illorum maximè es cupidus. Mihi verò Dei ſpiritus largitate & gratia, nunc pauca quædam, ſed mirabilia illorum oleorum effecta percenſere ſufficiat.

*Compoſita enim quædã velut in elementa ſua ſegregant, quorum id quod igni reſpõdet maximarũ eſt virium.*

OLeum de ouis experientia plurima probatum eſt cutim expurgare, impetiginem, ſerpiginem, & alia cutis vitia perſanare, capillos regignere, vlcera maligna & fiſtuloſa curare. Vitelli ouorum elixando duratorum triginta, aut circiter, manibus friati, in ſartagine terrea plumbata frigantur igni mediocri, mouendo cochleari ligneo, aut terreo, donec rubeſcant, & oleum ab his reſoluatur, quod preſsi cochleari largiùs remittent: vel iidẽ vitelli elixando indurati mola frangantur: deinde in offas tundantur, & torculari exprimantur, quale in oleo amygdalino explicuimus, & oleum deſtillabit: vel ipſi vitelli corpulento vaſi imponantur, oleumq́ue in capitellum ignis violentia tollatur, qualiter oleum philoſophorũ pòſt dicendum.

*Cutis fœditatem mirè aufert, ac cicatrices, præcipuè in ambuſtis relictas: ferè autem grauiter olet: minus tamen poſtremum ſublimando deſtillatum. Pilos auget Serapioni in Antid. aurium, dentiũ, ſedis doloribus, & alijs pleriſq; ſedis affectibus, Raſi in Antid.*

Oleum

## Oleum Ouorum Nicolai

*Vitellos ouorum elixorum frige igni lento prunarum in patella ferrea, ſemper mouendo rude ferrea, donec probe aſſentur, calidiſs. linteo forti, oleo amyg. dul. madefacto exprime. Poteſt etiam alembico deſtillari, vt ol. philoſoph. Meſ. Satius eſt vitellos crudos frigere, cochleari, aſsiduè mouere, donec aſſati, & cochleari preſsi, vaſe inclinato reddant oleum, quod phiala conditum, etiam diu integrum ſeruatur: ex viginti vitellis extrahes horis duabus vncias quatuor, aut circiter.*

OLeum ex frumento, impetigines, & cutis aſperitates curat. Frumentum inter duas laminas ferreas mediocriter ignitas ſi prematur, hoc oleum remittit. Vel triticum excorticatum vaſe ſublimationis deſtilletur, qualiter oleum philoſophorum.

*Cutis aſperitates à ſiccitate natas lenit, & humectat, & cæteras cutis infectiones emendat. Raſi etiam in Antid. deſcribitur.*

OLeum ſinapinum ſalubre affectibus frigidis, lethargo obliuioni, dolori quem frigida intemperies parit. Fit vt oleum de frumento.

*In vſu eſt id oleum, ſed factum vt oleum amyg. Phœnigmum, id eſt, rubrificationem, vt ipſum ſinapi tritum in cute excitare poteſt.*

OLeum iuniperi emendat cutis infectiones, ſerpiginem, cancrum, vlcera maligna, qualia, quę in tibiis & cruribus quorundam: malum mortuum recentiores vocant. Sermentis iuniperi tenuibus vas vitratum oris anguſti reple, laminã ferri tenuẽ foraminibus multis in cribri tritici modũ pertuſam ori toti applica, luta eandem cum ore tum dicti vaſis, tum alterius minoris etiam vitrati oleum excepturi, quod terrę vbi infoderis, igne luculento maius alterũ iuniperi fruſtula capiens, circunda horis duabus, ſicq; oleum in vas minus deſtillabit.

*Hac arte oleum ex pineis nucleis ad erugandam mulierũ cutem, ex ligno Guaiaci, & potẽtius ex ligno ſancto ad*

*morbi*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0384-9 DFG

*morbi Hiſpanici dolores ac vlcera (quibus & oleum iuniperi & geniſtæ, & fraxini, & ſimilium prodeſt) & lignis alijs, præſertim pinguibus, ac ſucculentis, vt fructibus, baccis, ſeminibus. Vas autem maius eſſe poßit metallicum, aut ſi vitreum eſt, vel ſiliceum, probè totum luto ſapientum muniatur: figulinum autem, quia rarum eſt, oleo foras exhalanti viam daret: ob id vitratum ſit intus. Infernum autem vas ac receptorium vitreum eſſe poteſt, ambitu non lutatum, modò ſit paulò craßius. Poteſt & metallicum: poteſt denique terreum eſſe, modò ſit vitratum: alioqui oleum id tenuißimum hac illac per vaſis poros difflueret. Multò minùs fouea intra terram parietes terra figulari paratos habẽte (quod Meſue imperabat) recipi tutò id oleum poßit. Adde quòd neq; minus vas terræ infodere eſt neceſſe, ſi velut area aliqua poßis carbones & ligna ſuſtinere, quibus vas maius eſt circundandum.*

OLeum fraxininum ſplenicos iuuat, præter id poteſt quæ oleum iuniperi, & eodem fit modo.

*Id oleum hypochondrio ſiniſtro illitum, & potum, ſplenis obſtructiones potenter liberat, duritiemq; emollit, ac digerit.*

OLeum ex gagate ſacratum, dæmoniacis, epilepticis, paralyticis, ſpaſmicis, tetanicis, arthriticis, ab vtero ſuffocatis ſaluberrimum: conceptumq; adiuuat. Fit ex gagatis lapidibus quomodo oleum iuniperi, vel ſublimatione mox dicenda.

*Gagates lapis ater, odore bituminis dum vritur, tumores in genu diuturnos dißipat, & ſinus ſiccando contrahit: cruenta verò vlcera præcipuè glutinat.* Gale. lib. 9. ſimpl. *Hic multus nobis eſt in corallis, maximè precarijs: et ita magnus ſæpe, vt ſalina mihi duo ſint iuſtæ magnitudinis ex ſolido gagate. Cũ autem eo ſit multò vilius bitumen, & viribus aut iiſdem aut validioribus (vt ex gagatis Galeni bituminis commercio*

*eum*

*eum odorem & fortaſſe reliqua ſortitis colligere licet) tentari poſſet ex ipſo oleum quod largius fluet, præſertim ſi recens eſt bitumen, cùm ipſum ſit terræ ipſius velut adeps, & olei vice vratur accolis lacus Aſphaltitæ, & locorum aliorum bituminoſorum. An verò epilepſiam iuuare poſsit oleũ iſtud, iure ambigi poteſt. Cùm enim non ita tenuet ac digerat, ſed vtrunque mediocriter præſtet, quid ſpei ab hoc eſſe poſsit, niſi ſiccando, aut ſua tota ſubſtantia iuuare dicatur? Nam odore illo bituminis tetro epilepſiam magis prodat vt myrrhæ, galbani, cornuum, vngularum, pellium capræ, & hirci ſuffitus, quòd verò de dæmoniacis ſcribit Meſues, ſuperſtitioſum eſt: à Chriſtianoq; homine alienum.*

OLeum philoſophorum (quod etiam oleum ſapientiæ, & perfecti magiſterij, & benedictum, & diuinum, & ſanctum quidã vocarunt) veterum omnium conſenſu effectibus ſecretis nõ paucis eſt efficaciſsimum. Nam calfacit, ſiccat, eſſentiæ tenuitate in altum penetrat, digerit. Proinde materiam omnem excrementoſam cõſumit. Ob id epilepſiæ, paralyſi, vertigini, obliuioni, & lienis, renum, veſicæ, vteri, neruorum, articulorum omnium, & reliquarum partium neruoſarum doloribus frigidis maiorem in modum confert.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Oleum philoſophorũ. | Naturale, | Minerale. | |
| | | Marinum, ex inſulis & ſcopulis, fluens naphtha dictũ: | Subalbum, Optimum. |
| | | | Subrubrũ, medium. |
| | | | Subnigrum & craſſum, peſsimum. |
| | Artificiale, | | |

Arte verò ſic fit: lateres ex terra rubente multùm antiquatos in fruſta comminutos carbonibus non fumantibus accende, donec igniti rubeant: tunc concha, oleo roriſmarini, vel antiquo claro plena extingue, & quoad eius fieri poteſt, oleo imbue: ſicca per ſe in caſulis: pòſt minutiſsimè tere, & vaſi per ſublimationem deſtillandũ trade, luto chymiſtarum id cum capitello committe, carbonibus in fornace accenſis coque donec oleum deſtillet in phialam vitreã, naſo imo capitelli agglu

tina

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0386-1
DFG

tinatam,quam exactè obſtructam reconde & ſerua: quantò enim antiquius,tantò valentius.

*Oleum philoſophorum, ſcilicet chymiſtarum, qui ſe ſuis ſcriptis vbique & quotidiano ſermone philoſophos appellant, & quod mireris, ſolos ſe philoſophos affirmant, quòd rerum maximè abditarum, & in terræ viſceribus retruſarum naturam ſcrutentur, metallorum in terra generandorum & augendorum rationem intelligãt, facultates corporum terreorum accuratiſsimè veſtigent, ipſaq; corpora in elementa ſua diſſoluant, rem planè arduam, & operoſam, ſed ſi vbique certa eſſet, omninò admirandam. Si enim quò difficilius rerum aliquarum pulcherrimarum & præſtantiſsimarum eſt inuentum, eo ſit præclarius, quis non videt eos laude cumulatiſsima digniſsimos, qui noſtris ſenſibus abſcondita ex Plutonis regno ſic eruunt in apertum maximo non tantùm ſumptu, ſed etiam valetudinis periculo? Quando hæc omnia ceu Plutonis antro effuſa halitum edunt craſsiſsimum, & omni viuo animali (ſi pyrauſtas excipis) peſtilentem atque adeò plantis ipſis noxium. Quã rem exemplis propè quotidianis chymiſtæ probãt, & aurifices, & typorum literariorum fuſores. Hi enim vapore hydrargyri, & aliorum tetro & craſſo derepente ſuffocantur, aut paulatim vitiato cerebro neruorum maximã imbecillitatem ſuſtinent, niſi latiore infumibulo halitum foras educãt, qui arbores propinquas velut fulmine afflatas tabeſcit. Sed in hoc hominum genere impoſtura hodie eſt omnium maxima, præſertim cũ metallorum generationem & trãsformationem corraſis alicunde aureis, vel nummis, vel torquibus, dolo malo fruſtra conantur. Sed de his fuſius quàm pro re propoſita: ſatis in præſens ſit nouiſſe aquas & olea chymiſtarum induſtria ſingulari ſecreta maximarũ eſſe virium, & eſſentiæ tam tenuis, vt olei cuiuſdam gutta fortuitò il-*

*lapſa*

*lapſa in lectum, ſtragula eius multiplicia & culcitras momento penetrarit, aſſeresq; fundum lecti ſternentes vſſerit.*

*Oleum verò iſtud de lateribus tam tenue eſt, vt momẽto latiſsimè ſpargatur: ſi manui infundatur: eam citò penetret. Oleum balſami eſt multò tenuius, calidius, & in affectibus frigidis efficacius: vrinam mouet, lapidem frangit, vermes enecat, aurium tinnitui à flatu craſſo, paralyſi, ſpaſmo cynico, iſchiadi, gonagræ, podagræ, & cæterarum iuncturarum doloribus prodeſt, potum aut inunctum: ſed parua eius portio aquæ affectui aptæ miſta bibatur. Fuiſſe verò Meſuen factionis chymiſtarum ſtudioſum, loca in Antidotario iſto non pauca planè declarant: voces chymiſtis ſolennes, qualis eſt, perfectum magiſterium, de ſuo lapide philoſophico frequenter dici ſolitum, & ſublimatio, & alembicum, & id genus alia.* Manard. *In montanis Mutinæ loco Gibium vocato, liquor certis temporibus manat (oleum montis Giby vocant) in varia loca cum magna vtilitate ipſo rectè vtentium.*

*Naphtha Babylonijs eſt bituminis colamẽ album quoddam: aliud nigrum Dioſcori. A Raſi in Antidotario & Albuchaſi in libro qui Seruitor inſcribitur, vbi lateres nouos, qui aquam nondum ſenſerint, præfert, quia oleum melius imbibent, & eos in fruſta vnciæ vnius diuidit, in vaſe vitreo aut vitrato, ſed probè lutato ita componit, vt eius pars tertia maneat vacua: & ignem oportet fieri primò leuiorem, ſed qui fundum vaſis attingat: paulatim augeri, primò exibit aqua, deinde oleum per ſe colligendum, vt reſinam, terebinthinam, lignum Guaiaci, & alia multa deſtillamus. Oleum etiam chamæm. & nardinum, etiã benedictum dicitur Meſuæ, ſed hoc præſtantiſsimum, & quibuſdam petrelæum vocatur. Sic ex ladano, cera, liquoribus, gummis, reſinis, oſsibus, medullis, & alijs vt diximus, pin-*

gui

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0388-3
DFG

*gui humore abundantibus, poteſt ſublimando trahi oleum. Calx integra oleo communi reſtinguatur, alembico vitreo deſtilletur, manabit oleum oſſi corrupto idoneum.*

*Oleum balſami Petri de Ebano cap. de cordis affectibus, loco veri opobalſami miſcendum theriacæ, mithridatio, curcumæ aureæ Alexand. Recipit myrrhæ, aloës, ſpicæ nardi, ſanguinis draconis, thuris, mumiæ, opopanacis, bdellij, carpobalſami, ammoniaci, ſarcocollæ, croci, maſtiches gummi Arabici, ſtyracis liquidæ, ana drachmas duas, ladani, ſucci caſtorei ana drachmas duas & ſemiſſ. moſchi drachmam vnam & dimidiam: terebinthinæ pondus omnium tritis miſcetur, alembico deſtillatur, vt aqua roſarum, ſeruatur. Succi illius ceroſi, quo teſtes caſtoris abundat Dioſcor. legere malo, quàm cum quibuſdam ſicci. Tale enim exuccum & exanimatum eſt. Aliud earundem virium Gulielmi Placentini, myrrhæ, carpobalſami, nucis Indicæ ana vnci. dimid. hyperici drachmas duas: tere leniter, miſce olei vncias quinque, vel terebinthinæ vnciam vnam & dimidiam, & in fine moſchi grana quinque: ambræ grana tria: olei de lateribus vnciam vnam: fiat vt oleum roſatum.*

### Oleum tartari Petri Argillatæ ad faciem tergendam & erugandam.

*Tartarum dolij lateribus adhærens, album potiùs quàm rub. pulueriʒatum, aceto maceretur, pòſt inuoluatur panno lineo, & deinde ſtupis aqua humectatis, ponatur ſub cineribus: deinde tribus diebus ſcutellæ imponatur decliui, deſtillabit humor quidam ſubrufus.*

### *N I C.* Oleum tartari lateribus doliorum adhærentis.

*Tartarum id ex vino generoſo tritum, linteolo inuolutum aceto albo forti bene madefac: ſub cineribus calidis coque, dum nigreſcat: iterum tere, in vaſe inclinato ſerua*

dies octo loco frigido, donec in oleum reſoluatur. Id ſi non fit, exprime, & ſerua: eodem modo facit Meſues oleum ouorũ. Satius eſt calcinatum tartarum manicæ Hippocratis, vt vocant, impoſitum, & loco frigido locatum ſinere, donec in vas ſubiectum fluxerit oleum. Oleum ſulphuris ſic fit: ſulphur ignem non expertum, vel flauiſsimum inter vrendum fumum craſſum remittit, excipiendum campana vitrea aut ſilicea. In qua ex vapore craſſo oleum concretum deſtillat in vas planum capax, in cuius medio ſulphur vaſculo conditum vritur. Alijs trito ſulphuri per aquam vitæ incenſam ignea conſumitur ſubſtãtia: poſt reliquum deſtillatur vt oleum philoſophorum. Alij ſulphuris flaui, terebinthinæ ana vnc. tres: olei roſati lib. vna coquunt igne lento cum vini odori vnc. duabus ad vini conſumptionem.

Satius eſt marmoreim ponere, aut vitro plano, quia nihil olei ebibet ſacculo infernè acuto.

Oleum de hyperico mirabile: ſummitatum hyperici vnciæ tres infundantur triduo in vino odorifero. q. ſ. pòſt coque in vaſe duplici bene obſtructo, fortiter exprime: hypericum nouum ſimiliter macera, coque, exprime: adde terebinthinæ vncias tres: olei antiqui vncias ſex: croci ſcript. coque ad vini conſumptionem. Hoc oleum incerti autoris. Galenus tamen vinum auſterum, in quo folia androſchænũ, vel aſcyri (quæ ſpecies ſunt hyperici) cocta ſint, vulnera etiam grandia glutinare ſcribit, & hypericum calidum ſiccum tenuium partium iſchiadicis vtiliter bibi quibuſdam. Ex quibus & reliquorum hîc miſtorum viribus, collige id oleum roborare, digerere, & tenuare: ex ſubſtantijs enim contrarijs componitur. Oleum de capparibus, Corticũ rad. capparis vncia vna: ireos agriæ, tamaricis ana vnc. dimid. olei communis libr. duæ coquantur in vini vncijs quatuor, ad vini conſumptionem: coletur, condatur. Splenem durum comminuit, vſu quotidiano probatiſs. Galeno acceptum fertur in libr. ad Glauconem, vbi tamen non inuenitur. Oleum

Lib. 6. ſimp.

Ole. muſcelinum.

moſ

moſchatum recipit olei communis libras ſex, lilij, folij, ſpicæ, coſti, maſtiches ana vnciam vnam & dimidiam: ſtyracis calamitæ, croci, myrrhæ, caſiæ, ligneæ, xylobalſami, ana drachmas ſex: caryophyllorum, carpobalſami, bdellij, ana vnciam dimidiam: nucis Indicæ drachmas duas: moſchi drachmam vnam: vini odoris vncias ſex: coque in vaſe duplici, trita leuiter omnia ad vini conſumptionem. Moſchum tacuit Manlianus, à quo tamen vocatum ait, dicitque coquendum ad aquæ conſumptionem: cùm tamen aquæ in deſcriptione non faciat mentionem, ſed muccilaginis vnciam vnam, vel drachmam vnam: res planè incerta, malè item tribuit Galeni Antidotario. Id oleum pomis odoratis cogendis eſt aptiſſi. adhæc roborat, calfacit reſoluit.

Oleum caſtorei ad frigidos affectus partium omnium, præſertim neruoſarum, ex caſtorei, ſtyracis, galbani, euphorbij, caſiæ, croci, opopanacis, carpobalſami, ſpicæ nardi, coſti, ana drachmis duabus: cyperi, ſchœnu anthûs, piperis longi & nigri, ſabinæ, pyrethri, ana drachmis duabus & dimidia: olei lib. quatuor. vini albi & boni lib. duabus coq; omnia ad vini conſumptionem, exprime, ſerua.

Oleum iaſminum moderatè digerit, odore eſt iucundo: fit ex vncijs duabus florum iaſmenorum in olei lib vna inſolatis dies quinque: coque igni lento, exprime, ſerua phiala vitrea, vel ſilicea. Oleum ſambacinum.

Oleum ad puerorum tormina expertum Olei anethi & chamæmeli ana vncias ſex: olei rutæ, myrrhæ, ſtactes, ana vncias tres: pul. cymini, vncias duas: ſemel ferue fiat, coletur, ſeruetur. Atramentum vulgare fit ex aquæ bocalibus ſexagintaquatuor, gallæ tritæ libris ſex coctis ad dimidij conſumptionem: tunc adde gummi Arabici libras quatuor: chalcanthi triti libras tres miſce. Atramentum ſutorium, quo hodie ſutores & coriorum concinnato-



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0391-1

*res coria mox denigrant, dolia decocto furfuris calente, aut ſecundo feruefacto magmatis cereuiſiæ implent, miſcent ferramenta rubiginoſa, ſcoriam ferri, gallam, chalcãthum, & id genus alia: poſt dies octo aut circiter inſperſum corio mox ſiccatur, & denigrat.*

# SECTIO DECIMA, DE VNGVENTIS.

*VNGVENTVM ab vtendi modo vocatum eſt, quia partibus affectis inunctum & illitum diutius ob craßitiem & lentorem hæret, quàm oleum, tamen ſunt proxima: ob id laurinum vel oleum, vel vnguentum mauis nominare his lib. 1. c. ph. p. in alopecia, & vnguentum oleúmve melinum, &c. tamen oleum roſatum ab vnguento roſato ſeparat lib. 3. ſimp. cap. vlt. Nam oleum roſaceum eſt, cui odoramenta non ſunt iniecta. Cui autem odoramentorũ aliquid iniectum eſt, non oleum, ſed vnguentum cognominant: hæc Gal. Vnguentum tamen etiam cum cerato magnam habere affinitatem docet Gal. lib. 4. ſanita. tuendæ. Quodcunq; (inquit) oleum, cui medicamenta alia, vt betæ albæ radix & ſimilia incocta vires & qualitatem ſuam tradiderint, vnguẽtum fiet, ſi in id, vt loco meliùs hæreat, inieceris vel ceræ ſolius partem quartam, vel etiam reſinæ partem duodecimam, vel ſtrobylinam, pineam, abietinam, terebinthinam, aut humidam pini reſinam, aut eam, quæ in fictilibus habetur, aut φρυκτὴν, id eſt frixam.*

VNguentum palmeum ad vulnera cruenta, tumores peſtilentes, & exituras, vſta, rupta, contuſa, & inde

nata

nata ecchymomata:recipit olei veteris,lithargyri,ana libras tres:axungiæ veteris purgatæ à membranis & ſale,libr.duas: chalciteos,vnc.quatuor:liquatis igni axungia & oleo, in vaſe ſtannato,aſperge lithargyrum & chalcitin : mouendo continenter tribus palmæ ramis recentibus: & coque ad iuſtam craſsitudinem : iniecto ipſi inter coquendum ramo palmæ vno recenti minutim conciſo. Vel lithargyri auri, libræ tres, adipis porci purgatæ ſale & membranis vnc.quinque : chalciteos viridis vncias quatuor,cum ramis palmæ vel cannæ radice moueantur.

*Eſt idem cum Galeni emplaſtro diachalciteos.*

VNguentum diaphœnicon vlcera cruenta, fiſtuloſa, pituitæ ſalſæ,maligna, & dyſepulotica glutinat:herpetas, tumores peſtilentes,& qui ex humoribus variis conſtant ſanat recipit adipis ceruini & vitulini antiqui:mundi & colati ana libram vnam & dimidiam : chalciteos vncias quatuor : olei antiqui & lithargyri puri ana libras tres:chalcitis & lithargyros læuiſsimè trita & creta cribro tenuiſsimo, pòſt oleo paulatim affuſo ſimul terantur:addito deinde adipe igni lento coquantur ſemper mouendo palmæ ramis recèns ſectis & excorticatis , quorum extremum vbi contactu medicamenti & ignis ſiccius euaſerit, nouos ſubſtitue:iniectis etiam tum ipſi vnguento ſegmentis recentibus ramorum virentium.

*Vnguentum id Galeni eſt emplaſtrum διὰ χαλκίτεως, deſcriptum lib.1.comp.ph.g. Recipit axungiæ porci vetuſtæ à membranis per liquationem & colationem purgatæ libras duas, olei veteris & lithargyri triti & creti, ana libras tres : chalcitidos læuigatæ vncias quatuor:miſce in mortario omnia paulatim. Pòſt coque in cacabo, & moue ſtatim ab initio rudicula tanquam ſpatha ex ramo maiuſculo et recentiſsimo palmæ, qui parte qua emplaſtrum tangit, vbi aruit, mox præcidendus eſt, aut parte oppoſita moueatur, aut ramus nouus ſufficiatur. Vbi cerati craßitiem aſſecutum fuerit, inijce fragmenta excor-*

*ticata germinum palmæ tenerorum, vt horum ſuccus in medicamento maneat: coque donec digitos non inquinet: nunc vinum, nunc acetum additur pro varijs ſcopis. Omnium præſtantiſsimum, ſi quis parare rectè, & parato probè vti ſcierit. In quos affectus autem valeat, & quo vtendi modo huic illi affectui proſit, abundè ex Galeno initio emplaſtrorum docemus. Eo quotidie vtimur emplaſtri forma, quam oleo nunc myrteo, nunc alio, nunc ſucco plantaginis, braſsicæ, aut alio mollimus pro ſcopis varijs. Palmæ autem ramorum & germinum (à quibus φοινικίνου ἔμπλαστρος Galeno & diaphœnicon bis, & palmeum toties Meſuæ dicitur) penuria, quercum, aut prunum, aut cydonium, aut ſorbum, aut lotum, aut meſpilum ſubſtituo. Vides quantum à Galeno deſciuerit Meſues, ſcilicet ceruino & vitulino adipe pro ſuillo, cuius pondus his duobus æquat: cætera conſentit.*

VNguentum diaphœnicum Arabum deſcriptione vlcera dyſepulota & cacoëthea carne implet, & cicatrice tegit, fiſtulas & cancros curat, & oſſa humida glutinat: recipit foliorum leucoij lutei, ſaluiæ, oxytriphylli, † acori ana libram vnam: tere accuratè, affunde olei roſati aut myrtei, adipis antiqui ex epiploo vituli liquando & colando purgati, ana libras duas & dimidiam: in vaſe lapideo macerentur dies nouem: tunc myrrhæ, aloës, ana aureis nouem: ſarcocollæ aureis ſeptem tritis & cretis adde ſucci plantaginis longæ, aut vini albi (in quo herbarum prædictarum ana vnciæ quatuor coctæ fuerint) quantum ſufficit ad ea diſſoluendum, permitte dies ſex. Deinde herbas cum oleo & adipe bis feruefac, cola, & exprime oleum & adipem: huius expreſsi libras quatuor & dimidiã lithargyri puri leuiſsimè triti libras † tres, * chalciteos vncias quatuor: coque vt prius, & moue ramo palmeo, & ſemel feruefac vſquedum color medicamenti mutetur, tunc ab igne ſublatum continenter moueatur, donec parùm frigeſcat: tunc coque muccaginem myrrhæ, aloës, ſarcocollæ in vino albo, vel ſucco plantaginis longæ: & paulatim affundas prædictæ miſtioni, piſtillóque ferreo

*† Mendum hîc ſuſpicatur Manar. quòd acori folia compoſitionibus miſceri non legerit, nec hîc habetur.*

*† Aliàs lib. tres & dimid.*

** Calcanthum alij.*

omnia moue, donec probè miſceantur, & perfice coctionem vt in priore. Addunt quidam arnogloſſæ, præſertim longæ, libram vnam.

*Deſcriptio hæc operoſa multùm eſt, neq; maiorum quàm prædictæ virium, aut tam paulò maiorum, vt ob exiguitatem contemnatur, in nullóque ſit vſu. Adhæc acori folia parùm conuenire videntur. Oxytriphyllon etiam in vnguentum quoddam viride poſteà recipietur.*

VNguentum Arabicum idem quod prius pollens, recipit ex foliis herbarum earundem ana libram vnam & dimidiam, olei myrtini, adipis vitulini antiqui, ana vncias nouem, myrrhæ, aloës, ana drach. duodecim: ſarcocollæ drach. nouem: diſſoluantur in vino, aut ſucco herbarum, vt proximè diximus: herbæ quoque curioſè terantur. Affunde his oleũ, adipem, & muccaginem, & chalciteos aureos tres: coq; omnia igni lento ad mellis craſsitiẽ: vtere in turunda vel platyſmate. Species aliquando, æſtate præſertim, diſſoluuntur ſucco plantaginis longæ nõ amplę experiẽtiáq; mirabile fit medicamẽtũ.

*Cõſiſtentia eſt vnguẽti non emplaſtri: quo nomine interpreti malè dicebatur.*

VNguentum mirabile relatum ad Nicodemum, vlcera putrida & fiſtulas purgat, carne implet, glutinat, cicatrice tegit, putredinem arcet: recipit myrrhæ, aloës, ſarcocollæ, ana vnciam vnam: mellis deſpumati vncias ſex, vini albi boni quantum ſufficit: coque igni lento ad ſpiſsitudinem. Quòd ſi vlceri caro ſupercreuerit, adde vnguento chalciteos vnciam dimidiam. Vnguentum alterum eiuſdem: Myrrhæ, aloës, ana drachmas nouem: vini albi. q.ſ. tritis tenuiſsimè vinum paulatim affunde, ſemper miſcendo vſque ad mellis craſsitudinem: vtere. Addunt nonnulli chalciteos ſeſquidrachmam: alij olei myrtini & vini portionem paucam viciſsim miſcent.

*Hoc linamenta in vlcus mittenda oblini poſſunt: ſunt & empl. duo diaphœnicon Meſuæ. Hoc ad antiqua vlcera & fiſtulas quidam chirurgi vtuntur addita chalciti.*

VNguentum magnum κράσεως vlcera maligna, putrida, fiſtuloſa, ſorde & carne mortua purgat, carne implet, glutinat, & cicatrice tegit: recipit autem hammoniaci vnc. vnam: bdellij, thuris maſculi, ariſtolochiæ, ſarcocollæ, ana drachm. quinque: myrrhæ, galbani, ana vnc. dimid. lithargyri

*Vnguẽtum magnũ craſeos.*

drachmas quindecim : aloës, opopanacis, ana drachm. duas & ſemiſſem : æruginis drachm. tres: reſinæ drachmas quatuordecim, ceræ albæ vncias duas: olei quantum ſufficit hammoniacum & bdellium aceto ſoluenda, lithargyros terenda, & cum oleo coquenda, donec liqueſiat. Tunc depone ab igni, & dum modicè refrixerit, miſce hammoniacum & bdellium aceto ſoluta: redde igni, coque ad iuſtam craſsitiem, túncque reliqua permiſce.

*Deſcriptioni huic propè eſt eadem Vnguenti Apoſtolorum deſcriptio apud Auicennam quinto canone. Recipit enim terebinthinæ, ceræ albæ, reſinæ, hammoniaci, ana drachmas quatuodecim: opopanacis, æruginis ana. drachm. duas: ariſtolochiæ longæ, thuris maſculi, bdellij, ana drachmas ſex: myrrhæ, galbani, ana drachmas quatuor. lithargyri drac. nouem. Hammoniacum & bdellium & galbanum aceto ſoluta coque in olei libris æſtate duabus hyeme tribus: ab hac enim cogitur, ab illa liqueſcit: quo nomine à chirurgis hodie vſurpatur. Idem gratiam Dei ob facultatem eius mirificam vocat Antonius de Ianua. Petrus verò Argillata à Meſ. dicit craſeos vocari, dum coquendo ad iuſtam craſsitiem ceu κρᾶσιν quandam peruenerit, mollit, terget, glutinat.*

VNguentum craſeos paruum, vlcera tam vetera quàm noua terget, carne implet, glutinat, cicatrice claudit: recipit ariſtolochiæ, ireos, ſanguinis draconis, hammoniaci, ſarcocollæ, ana vnc. dimid. lithargyri læuigatæ vnc. quinque: coque lithargyrum cum ol. lib. vna, donec liqueſiat: tunc cætera, vt diximus, miſce.

*Hoc paruum mollit, terget, glutinat: ſarcoticum magis eſt quàm magnum.*

*Vnguentū arthanitæ.*

VNguentum cyclamini magnum, relatum ad Alexandrum, illitum ſtomacho, vomitu purgat: hypogaſtrio autem inunctum, aluum deiicit, ob id hydropicos mirè iuuat, ſeroſum excrementum largè vacuando: vermes quoque necat & educit. Adhibetur non potentib. ſumere medicamentum purgans. Recipit ſucci cyclamini lib. tres: ſucci cucumeris

agre

agreſtis lib.vnam:olei irini lib.duas:butyri vacini lib.vnam: pulpæ colocynthid.vnc.quatuor: polypodij vnc.ſex: euphorbij vnc.dimid.ſicca hæc tria, tere & macera dies octo ſuccis & oleis in vaſe vitreo anguſti oris bene obſtructo. Pòſt ſemel feruefac:cola: deinde adde ſagapeni aur.quinque: myrrhæ aureos duos:prius autem duo hæc aceto diſſoluantur, quanto eſt opus:coq; mouendo ad ſuccorũ propè conſumptionem. Tunc adde ceræ vnc.quinque:fellis vaccini aureos quinq;: feruefac ſimul donec cera liquatur. Tunc inſperge paulatim puluerem hunc ſcammonij, aloës, mezerei, colocynthidos, turbith, ana aur.quinque:euphorbij aur.duos: ſalis gemmæ aur.tres: piperis longi, zingiberis chamæmeli ana aur.duos: miſce diligenter.

*Vehemens eſt, parúmque tutum, niſi in robuſto corpore, aut hydropico. Illud enim ob virium robur medicamenti vehementiã contemnet: hoc ſeroſo multo in ventre excremẽto obtundet, eiq; vacuato vtilitatem afferet non mediocrem. Eaſdem vires Gale. cyclamino ſoli tribuit, vt parum opus eſſe videatur tanta turba medicamentorũ etiam valentiſsimè purgantium. Parua eius portio miſceri poteſt clyſteribus apoplecticorum. Lienem efficaciter minuit. Sunt qui ſuccum ebuli addunt. Quo loco Alexander Trallianus (quem hîc vt alibi paſsim Meſues citare videtur) nondum comperi. Alexander autem Benedictus Hermolai ſeculo vixit, ne quis eum putet citare quenquam 16. cap. Multa eius generis exomphalica recenſet cathartica. In ſimpl. cap. arthanitæ bis aliter deſcribit.*

VNguentum cyclamini paruum, ſplenis tumores etiam ſcirrhoſos diſſoluit, & ſtrumas: recipit ſucci cyclamini, ſucci glutinoſi ex radice filicis extracti, ſucci ebuli ana vncias nouem: ſucci ſummitatum tamaricis vncias duas: olei irini libras duas: œſypi drac.quinq;: hammoniaci, bdellij ana drachmam vnam & ſemiſſem: aceti q.ſ. ceræ flauæ vnc.ſex: corticum rad.capparis vnc.vnam, & ſemiſſ. ſpicæ nardi vnc.ſemiſſ. Fiat vt prius.

Ol. de lino Auenzoar.

VNguentum ex panno lineo Heben Zezar mirabile ad vlcera maligna, fiſtuloſa, carne implenda: recipit opopanacis vnciam vnam, raſuræ panni linei tenuis, puri, antiqui vnc. ſemiſſ. vini & mellis, & olei roſati, vel myrtini ana vncias quinque lithargyri, aloës, ſarcocollæ, myrrhæ, ana drachmas duas & dimidiam: tere paulatim, affundendo nunc vinum, nunc mel, nunc oleum. Adduntur quandoque chalciteos drachmæ duæ.

*Pannus lineus per ſe vlcera ſiccat, vt etiam quædam vulnera recentia glutinet. Pro parte vnciam ſcripſi, & pro parte tertia vnciæ drach. duas & dimid. & pro quarta drachmas duas.*

VNguentum ex cantharidibus cauſticum, phœnigmon & veſicas excitat, vlcerat: alphos, pannos, lentigines, cutis maculas delet, recipit cantharidon recentium drachm. decem: axungiæ porci vncias quinque & dimidiam tere ſimul, dies ſeptem marceſcant: pòſt coque, cola, ſerua vitreo vaſe.

*Poßis pro taranhel, ſeu alhariel, vt quidam legunt (quos cantharidas interpretamur) campas, pityocampas, vel bupreſtes miſcere.*

VNguentum roſatum phlegmonas, eryſipelata, herpetas ſedat, cephalalgiam calidam & ventriculi ac hepatis intemperiem calidam mitigat, ſic fit: Axungia porci probè lauetur nouies aqua calente, & toties frigida: deinde teratur cum ea portio æqualis roſarum rubrarum recentium, quæ marceſcant cum ea dies ſeptem: funde igni lento, cola: rurſus tantundem roſarum recentium cum ea tere, quæ dies etiã ſeptem cum ea marceſcant: funde vt prius, & cola: tunc affunde ſucci roſarum dimidium: ol. amyg. dulcium partes ſex, coque igni lento ad ſucci conſumptionem: repone. Si inter coquendum iniicias parum opij in aqua roſarum ſoluti, valentius fit: præſertim ad inſomniæ leuamen.

*Eodem modo ex violis & nymphea flore, & alijs vel frigidis, vel calidis, vel etiam odoris fieri poteſt. Hæc componẽdi ratio ex Dioſcoride profecta videtur, dicente adipes odorãdos. Non enim adipes per ſe, ſed ijs odoribus imbutos intellexit. Cùm enim temperatus ſit adeps & inodorus, ad*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0398-2

*continenda calida, frigida, odora, eſt aptiſsimus, vti oleum balaninum Galeno. Opium ſtupefaciendo dolores placat: ſomnúmque ſtupidum & grauem refrigerando & velut ſpiritus animales glaciando facit. Id vnguentũ eſt præſtantiſsimum ſine opio. Id enim addi poteſt vbi eius vtendi neceſsitas inciderit, niſi fortè mauis coctione & tempore vires eius frangere. Tunc enim dimidio compoſiti incoquere opium aqua roſata ſolutum poſsis. Adeps membranis antè eſt exactè purgandus. Mallem ad colandum liquare in vaſe duplici, quàm igni lento. Oleum omphacinum aut roſatum miſcueris opio, amygdalino magis refrigerabit: minus promptè altius intrò vi ſua permeabit.*

VNguẽtum violatum idem pollet: præterea pleuritidi & thoracis inflammationi prodeſt: fit vt roſatum.

*Id ad vires prædicti adiecit, quòd violæ tota ſua ſubſtantia ſint pulmonariæ & thoracicæ, vt inde compoſita conſerua violarum, ſyr. violatus, mel & ſaccharum violatum, & id genus alia.*

VNguentum papaueris, dolores à calida cauſa mitigat: fit vt duo priora ex capitibus papauerum albi & nigri, & axungia.

*Capita papaueris matura & recentia ſumantur potiùs quàm ſiccata, vt humiditate frigida agant, non ſola propemodum frigiditate, vt in Diacodio priùs ex Galeno & alijs docuimus.*

VNguentum baſilicon magnum, vlcera phlegmone carentia, præſertim partium neruoſarum, terget, carne implet: recipit ceræ albæ reſinæ, pini, ſepi vaccini, picis naualis, thuris, myrrhæ ana, olei quantum ſufficit. In alio ceræ vnc. ſex: picis, vnc. tres: aliorum ana vnciam vnam & dimidiam.

*Alij etiam terebinthinam addunt vulneribus glutinandis efficaciſsimam, alij etiam ichthyocollam ſed cum caleat id medicamentum (vt ex ſimplicium temperatura et*

*modo perſpicuum eſt)legendum in Meſue cenſuimus cum Chriſtophoro & Manardo,quibus non eſt calor:præſertim cum Auicennas canone quinto ſic etiam ſcripſerit,& Serapio in ſuo Antid.quanuis Vtriuſque deſcriptiones binæ ab hac nonnihil Varient.*

VNguentum baſilicum minus,recipit reſinæ, picis,ceræ ana,olei quantum ſufficit.

*Idem pollet quod præcedens,ſed imbecillius:nam minus calet,terget,glutinat,quàm magnum:ob id recentibus capitis & neruoſarum partium Vulneribus & Vlceribus* Paul.lib.7. *fuerit aptius:flauum eſt colore, magnum nigricat.Baſilicon tetrapharmacon Pauli recipit ceram,reſinam,colophoniã, picem,adipem taurinum,æqualia.Galenus ſolũ reſinã,non addita colophonia: adipem taurinum,aut Vitulinum Celſus:Cuius loco Meſues & Guido Cauliacus oleum miſcent quantum eſt neceſſarium.*

*Vnguentum id baſilicon Galeno tetrapharmacon & Paulo dicitur:calfacit,humectat, dolorem ſedat.Pus mouet Vt abundè Galenus docet lib.4.5.& 13.metho.& initio lib.3.com.ph.p.Cum quo idem eſt Macedonicum ſolo thure, quod prætereà recipit,æquale,diuerſum lib.13.metho.*

VNguentum ex bdellio,epilepſiam, paralyſin, ſpaſmum, cæteros neruorum affectus frigidos ac ſcirrhoſos iuuat: recipit bdellij drach.ſex: euphorbij,ſagapeni ana drach.quatuor:caſtorij drach.tres: ceræ drach.quindecim: olei iaſmini, aut leucoij lutei,drach.decem:bdellium & ſagapenum diſſoluantur aqua rutæ agreſtis:cætera cum aqua calida vniantur, & fiat vnguentum.

*Id Vnguentum potẽter mollit ac digerit,Vt etiam ſpaſmum iam diuturnum,& neruorum iuncturarumq́; tophos ac nodos diſſipet:multis ob id in Vſu eſt creberrimo.*

ALterum idem pollens recipit caſtorij drach.duas: pyrethri, euphorbij, ſtaphidos agriæ, zingiberis, ſinapis ana vnc.dimidiam:ſucci[radicum]aſphodeli & rutæ agreſtis ana

vncias

vncias quatuor:cum ſuccis omnia vniantur: deinde coquantur cum ceræ vnc.quinque:olei roſati vnciis viginti : ad ſuccorum conſumptionem,coletur,reponatur.

VNguentum philagrios,ſpaſmum & paralyſin iuuat : recipit ceræ vncias tres:œſypi,ſucci rutæ agreſtis ana vnc. duas:euphorbij,piperis,hammoniaci,croci,thuris, caſtorij, terebinthinæ,opopanacis ana drach.duas,†ſtyracis liquidi drac. duas & dimidiam. † Vel myrrhæ purioris.

*Hi pro olibani voce vulgi ex Græco tum articulo,tum nomine conſarcinata.i.thuris,quidam legunt olei balſami. Pro ſtyrace liquido,id eſt,myrrha ſtacte,poni poteſt myrrha purior,ſi inuenitur.*

VNguentum aureum vulnera certò & ſalubriter glutinat:recipit ceræ flauæ vnc.ſex:olei boni libras duas & ſemiſſ.terebinthinæ vnc.duas:reſinæ pineæ & colophoniæ ana vnciam vnam & dimidiam : thuris, maſtiches,ana vnc.vnam: croci drach.vnam.

*Id vnguentum ab auri pretio & colore:eſt enim præſtantiſsimum.Miror quoſdam colorem hunc illi à cinnabrio vulgari tribuere,cùm illud non recipiat.Reſinæ,colophoniæ, pro vna re legi poteſt coniunctim, vel pro duabus, reſina ſcilicet pinea,& colophonia,quæ ex Colophone Aſiæ minoris vrbe afferebatur.*

VNguentum ex ceruſa ſanat ambuſta, eryſipelata, ſcabiẽ ſiccam,& vlcera calida(vt quæ bilis vſta & pituita ſalſa excitauit) recipit ceruſæ,lithargyri, ana vnc.ſex:plumbi vſti, ſcoriæ argenti, ana vnciam dimidiam: maſtiches, thuris,ana drach.duas & dimidiam:olei roſati,& aceti albi,ana q.ſ.tritis omnib.in mortario,affunde paulatim nunc oleum nunc acetum,ſemper mouendo donec pingueſcant, velut nutrita.Si argento viuo eget affectus eius,adde drach.quinque,& etiam ſi opus eſt,æruginis drach.duas.

*Hoc vnguentum eſt rarum vſu:in eius locum receptum eſt vnguentum hoc album,ſeu potiùs emplaſtrum de ceruſa:Ceruſæ lotæ vnc.duæ : olei roſati.q.ſ.Fiat vnguentum in*

*mor*

*mortario crudum. Alÿ ceruſæ, & olei roſati portionẽ æqualem coquunt ad emplaſtri conſiſtentiam. Valentius fit, ſed mordax, pauco addito aceto. Sunt qui ſiccantius reddunt, etiam lithargyri adiectis vncÿs duabus, & caphuræ drachmis duabus, & albuminibus duorum ouorum, & aceto pauco. Intemperiem calidam ſedat, vlcera & excoriationes à calore ſolis (ἐφηλίδας Græci vocãt) ſtrictiore calceo, itinere, equitatione, frictione, coitu cum impura muliere, ſanat, niſi virus malignitatis Hiſpanicæ inſit. Si item vlcera ſunt profunda, aut in parte neruoſa, vitabis ab aceti acrimonia morſum.*

VNguentum ſericinum vtile ad vlcera putrida, excoriationem, vſtionem, ſic fit: adde vnguento ceruſæ prædicto ſerici drachmam vnam & dimidiam: aloës, myrrhæ, ana vnciam dimidiam.

*Vſu rarum eſt, tametſi efficax ſit, efficacius futurum, ſi ſericum vſtum pro crudo acceperit.*

*Vnguẽtum de melle quibuſdam dicitur.*

VNguentum Aegyptiacum magnum, vlcera antiqua & fiſtuloſa terget, carne mortua & putredine expurgat: recipit æruginis aureos quinque: mellis aureos quatuordecim: aceti acerrimi aureos ſeptem: coque igni ad iuſtã craſſitiem. Addunt aliqui thuris maſculi triti aureos duos & dimidium.

*Id vnguentum vſu admodùm frequens, valentiſsimè ſaniem ſiccat, ſordem deterget, carnem abſumit, præſertim ſi oleo caret, ac viride ſit ob crudam æruginem. Si verò cocta ſimul eſt, rubrum fit, & moderatius vnguen. nec ægros terret: præſertim ſi oleum acceperit, quanquàm crudum cum hoc non ſit mitius. Nam æruginem recipit largiorem, cui oleum in partes penitiores aditum parat: vide melina ex ærugine vſta lib. 2. c. ph. g. Diuerſum ab Aegyptÿs & fuſcis emplaſtris in fine lib. 3. c. ph. g. deſcriptis. & ab Aegyptia fabas Aegyptias recipiente lib. 3. comp. ph.*

p. Ex

*p. Ex Gale. tamen lib. 3. metho. & lib. 2. c. ph. g. de viridib. emplaſtris ſumptum eſt.*

VNguentum tripharmacum ſarcoticum & epuloticum: lithargyros læuiſsimè tritus, oleo viciſsim & aceto paulatim affuſis in mortario, mouetur ad iuſtam craſsitiẽ. Vel lithargyri, aceti ana vnc. vnam: olei vncias duas, coq; igni lento ad craſsitiem.

*Vnguentum de lithargyro, & emplaſtrum tripharmacũ Gallis vulgò dicitur. Gale. lib. 2. c. ph. g. facit cum hydrelæo, & oxelæo, & œnelæo: docetq́ ibidem vſum crudi lithargyri.*

*Alij lithargyri nunc crudi, nũc aqua roſarum loti, vnc. tres: aceti vnciam vnam & dimidiam: olei roſati q. ſ. terunt in mortario ſine cera, vt vnguentũ de ceruſa. Vtrunq; coquendo etiam fit cum pauca cera, vt ſolidius & tenacius euadat, ſed minus tunc refrigerat. Prodeſt ſcabiei, & cutis vlceribus. Vt vnguẽtum ceruſæ primum. Vtrunq; triphar. Meſuæ eſt in vſu: illud expertum: hoc coctum quidã vocant.*

VNguentum pſωricum Alexandri, pſωram, id eſt, ſcabiem ſanat, impetiginem à pituita ſalſa, cutis aſperitatem, & alia cutis vitia terget: recipit ceruſæ, lithargyri pſωrici, aloës, croci, cadmiæ argentariæ, argenti viui extincti, ana portionẽ æqualem cum oleo oleandri, & aceto quantum ſ. Fiat ſicut vnguentum de ceruſa.

*Oleander Dioſco. dicitur nereon, alijs rhododendron. Latinis ſoſandrium. Pſωricum Dioſco. fit ex chalciteos partibus duabus: cadmiæ parte vna, tritis cum aceto, Galeno autem ex chalciteos partibus duabus: lithargyri parte vna. Meſuæ verò aliter.*

PSωricum medicamen compoſitum ad fiſtulas, cancros, ſcabiem ſiccam, lepram, carnis putridæ incrementum: recipit lithargyri albi, chalcanthi, ana partem vnam: æruginis partem dimidiam: terantur die vno in ſole æſtiuo cum aceto acerrimo paulatim affundendo. Deinde in vaſe vitreo probè obſtructo condantur ſub fimo diebus quadraginta.

VNguentum vlcera ſanans antiqua, dyſepulotica, recipit aloës, myrrhæ, ana partes æquales: tere cum ſucco abſinthij, chelidonij, plantaginis, ad mellis conſiſtentiam: ex linamento adhibe.

*Hoc ſine oleo & cera fit: in vſu non eſt, tamen eſt efficax, & paratu facile. Efficacius multò reddit Meſues cap. de aloë, ſi paucus ſanguis draconis miſceatur.*

VNguentum ad ſcabiem expertũ: axungiæ vncias quinq; olei laurini, argenti viui, ceræ puræ, maſtiches, thuris albi, ana vncias duas: ſalis communis vncias octo: ſucci plantaginis & fumariæ q.ſ. Ceram & axungiam nouam membranis purgatam, & oleum laurinum cum ſuccis coque ſimul in vaſe ſtannato donec liqueſcant, tunc adde pul. ſalis maſtiches & thuris: cùm percoctum erit, & ab igne ablatum, adde argẽtum viuum ſaliua extinctum, & pauco olei laurini, ſpatha diu miſce. Illinitur veſpere ad dies octo.

*Suſpectum eſt ob argentũ viuum, præſertim prope partes principes: hoc ſi ſuſtuleris, tutum erit, neque inefficax.*

## Vnguentum citreum.

*Recip. chryſocollæ vncias duas: caphuræ drachmã vnã: corallij albi vnciam ſemis: amenti dulcis vnciam vnam: vmbilici marini, tragacanthi, amyli, ana drach. tres: marmoris, cryſtalli, anthallis, dentalis olibani albi, nitri, ana drach. duas: ierſæ, ſerpentariæ, vnciã vnam: ceruſæ vncias ſex: tragacantho & vmbilico marino ſimul tritis, cætera deinde cum his terantur, cernãtur panno tenuiſsimo, axungiæ porci recentis ſine ſale libra vna ſemis, & ſepi caprini vncia vna ſemiſ. & axungiæ gallinæ vncia vna, ſimul in vaſe duplici liquatis & colatis: addantur ſemper mouendo rudicula pul. prædicti, præterquàm chryſocolla & caphura tunc addenda, cùm omnia ſimul feruebunt: quando ab igne tollenda, & ſemper agitãda, donec refrixerint. In vna libra pul. ſint libræ octo axungiæ colatæ. Succus acidus duorũ aut plurium citreorum malorum. Vnguenta hæc ſi laſsitu-*

*dinem*

dinem tollunt, μυράκοπα, & interdum abſolutè ἄκοπα vocantur Gale.lib.4.ſanit.tuendæ, quale hoc illi eſt celebre. Libr.4.ſan. Acopum ex abietis ſemine ad coquendum, aut per halitum digerendum, ſuccos in carne, & tota corporis mole congeſtos, crudos, vel acres, ad omnem laßitudinem, vel ſpontaneam vel alia ratione contractam: Abietis ſeminis exactè maturi (quale ſeptembri menſe in Italia colligitur) contuſi, vt citiùs oleum ſua vi & qualitate inficiat, modium Italicum quolibet anni tempore (nihil enim in ea re eſt diſcriminis) inijce in olei relaxantis (quale in Italia eſt Sabinum, alibi vetus) heminas Italicas, ſeu libras quinque & viginti, maceretur dies minimùm quadraginta vel potiùs tres, quatuor, & etiam multò plures menſes. Tunc ſemen expreſſum abijce, oleum linteo percola. Ei vtpote iam parciori miſce ceræ libras quatuor: reſinæ abietinæ, reſinæ pineæ, ana vncias quatuor, vel harum deſiderio terebinthinæ. Coques verò commodiùs in vaſe duplici, aut igni lento prunarum non multarum. Acopum ſeu myracopum διὰ τῆς αἰγείρου τῶν ἀνθῶν, ex populi nigræ floribus, ad eadem efficax. Ex floribus populi adhuc conniuentibus, ſed modicè tritis, modius Italicus immittitur in libras quindecim aut viginti olei Sabini, aut alterius tenuis citra adſtrictionem: moue quotidie, potiſsimùm cùm ſol feruebit, & in domo calida repone: celeriùs ita vis & qualitas populi in oleum migrabit. Poſt duos aut ternos menſes floribus expreßis & abiectis, oleum habes digerens per halitum ſine morſu vllo, non minùs quàm abietinum. Addere potes ceram & reſinam quantam abietino. Si verò oleum expreſſum eſt craßius, & qui eo vſurus eſt, liquidiore medicamento delectatur, quinta vel etiam ſexta ceræ pars ſuffecerit. Si verò ſeminis abietis & florum populi macerationem expectare non potes, oleum cum ſeminibus vel flori-

*bus contuſis mistum inijce in aquæ vel vini (ſi affectus adeſt podagricus vel articularis) partem quartam vel quintam, ne iniecta torreantur, aut oleum vſtionem odore referat. Percoque igni lento, donec aqua aut vinum totum coquendo vaneſcat. Quidam curioſius id parantes in vaſe duplici coquunt. Succos non craſſos, nec lentos in cute & carne reſidentes diſsipat, vt oleum chamæmeli, anethi, roriſmarini per ſe vel cum cera & reſina.*

## SECTIO VNDECIMA, DE CERATIS.

*

*CERATVM à cera dicitur, qua forma Græcis κηρώτη vel κηρέλαιον, à cera & oleo: quibus cera miſcetur, vt det materiã, quæ minus promptè diffluat. Quod etiam Gal. innuebat lib. 4. ſan. tuend. cùm ſuccos non craſſos, nec lentos ad cutim reſidentes digerit oleo ſampſychino, præſertim hyeme & regione frigida, per ſe, vel cum cera & reſina; præſertim cùm ſuper vnctum corpus manere diutiùs ſtudes: quòd ſi liquidius vis, auge oleum, minue ceram, & alia corpus & materiam præbentia. Cùm in ceratis ſcribitur ceræ quantum ſufficit, oleum ſit quadruplum ad ceram: vt ſi recipiat olei vnc. duas, miſce ceræ vnc. dimidiam. Si verò ſcribatur ceræ parum, ſit eius ſexta, aut ſeptima, aut octaua pars ad oleum, vt linimentum ſit liquidum veriùs quàm ceratum: idque magis & minùs pro Medici ſcopis. Quò enim plus habent ceræ, eò ſolidiora ſunt: quò minùs, tantò liquidiora: niſi aut longa coctio, aut ſuccorum largior mistio, ceræ modo duram reddat compoſitionem. Sit ob id liquidiusneceratũ, cùm ſicca multùm, & multa ſint miſcenda.*

Cera

CEratum œſypatum Gal. emollit & digerit tumores duros hepatis, ſplenis, vteri, neruorum, iuncturarum, & aliarum partium, éſtque anodynum: recipit ceræ flauæ vncias tres: olei chamæmeli & irini ana vncias ſex: maſtiches vnciam vnam ſpicæ nardi drach. duas & dimid. croci drachmam vnã & dimidiam: terebinthinæ vnciam vnam: reſinæ vnc. ſemiſ. œſypi drachmas octoginta. Oeſypus verò ſic extrahitur: lanæ ouium ſuccidæ, libræ circiter ſexaginta aquâ calidâ horis octo merguntur, ſemel ferueſiunt, exprimũtur: colatum reliquum igni lento in vaſe ſtannato percoquitur ſemper ad mellis fluxilis craſsitiẽ, fundũ mouendo latâ rudicula ligneâ, ne vratur.

*Ceratum quod ex œſypo fit, notum omnibus medicamẽtum libr. 4. meth. Vſus cerati eius & ſimilium rectus fuerit, ſiue parti affricetur, ſiue tela exceptum imponatur per horam vnam ante paſtus: & calidum ſit hyeme, æſtate tepidum, tamen id in vſu non eſt. Paulò aliter œſypum colligit Dioſcorid. lib. 2.*

CEratum œſypi ex Philagrio eadem potens, croci drach. quinque: bdellij, maſtiches, hammoniaci, aloës, ſtyracis liquidi, ana drach. ſeptem: ceræ flauæ libr. vnam: terebinthinæ vnc. vnam & ſemiſſ. medullæ cruris vaccini, adipis anſeris, ana drach. quindecim: œſypi libram vnam & dimid. olei nardini. q. ſ. Bdellium, hammoniacum, aloë diſſoluantur in aqua, in qua fœnugræcum & chamæmelum ſunt macerata, & cum aliis miſceantur in vnguentum. Poſt Philagrium addiderunt ſucci ſcillæ vncias tres: ſepi vitulini drachm. quindecim: thuris vnciam vnam: & in alio rectiùs ceræ quartaria tria.

*Potentius eſt priore ad emolliendas duritias ex morbo Hiſpanico, etiam valentioribus quibuſdam interdum adiectis, & ſi neceſſe eſt, etiam vulgari cinnabrio, quod argento viuo & ſulphure ſimul vſtis conſtat.*

CEratum œſypatum ex Paulo idem pollens, recipit hammoniaci drachmas decem: bdellij drachmas quinque: ſtyracis liquidi, vel myrrhæ ſtactis drachmas quatuor: croci ſeſquidr. aloës, maſtiches, thuris ana drachmas duas & dimidiã: ceræ drachmas tres: ſepi & medullæ vituli ana drachmas duas: œſypi drachmas quadraginta: olei irini. q. ſ.

*Apud Pau.lib.7.alia huic multum diuerſa legitur cerati huius deſcriptio.*

* CEratum ſantalinum phlegmonas & intemperaturas omnes calidas ventriculi hepatis, & partium aliarum potentiſsimè extinguit: recipit roſarum drach. duodecim: ſantalorum rub. drachm. decem ſantali albi & citrini ana drachm. ſex: boli Armenicæ drach. ſeptem: ſpodij drachmas quatuor: caphuræ drach. duas: ceræ albæ drachmas triginta: ol. roſati libram vnam: miſce: cera & olei ſi lauentur, fiet præſtantius.

*Vſu frequentiſs. eſt hoc ceratum apud quoſdam nomine vnguenti, minus tamen refrigerat, quàm titulo pollicetur: opinor quòd quæ pro ſantalis miſcentur, ligna ſunt calida, & caphura & ſpondium parũ frigeant: mirum ni etiã caleant, quòd vtrumq; multas partes calidas habeat, & illa ſit arte ſuppoſititia. Sunt qui id vt ſequens cerat. Galen. refrigerans parãt, liquãdo ſcilicet ceram cum oleo in vaſe duplici: deinde vbi refrigeratum eſt, aquâ frigidâ manibus aut rudiculâ diu agitant: poſteà dictos pulueros miſcent.*

CErat. Galeni valentiùs refrigerat, febribus ardentibus & cephalalgiæ calenti, & cum pulſu dolorifico ſaluberrimum: fit ex ceræ albæ vncia vna: olei roſati ex omphacino facti vncias † quatuor: aquæ fontis frigidiſs. q. ſ. ad multùm diúque lauandum & ſubigendum ceratum, quod tandem ex aceto albo, pauco, claro, ſimiliter ſubigendum eſt.

*† vel tribus*
*Gal. lib.10. meth.*

*Ceratum album ſæpe dicitur quibuſdam vnguentum: fiat autem omnino in vaſe duplici, & ſit recens. Eo Galen. eryſipelata & phlegmonas pudendorum initio mitigabat, & ſic parabat libro 10. method. Medicamentum omnium quæ humectant & refrigerant ſimpliſs. quo etiam ad eryſipelata & phlegmonas pudendorum vtor initio priuſquam depaſcens aliqua putredo appareat. Ceræ optimæ Albæ Ponticæ, vel ex Atticis extractæ fauis, elota vnciã vnam: olei omphacini, id eſt, crudi citra ſalem: tenuis (quale Sabinum eſt) vncias tres, vel vncias quatuor, vt humidum*

Lib.10.met.

*dum ſit ceratum: cùm vti voles, liqua in vaſe duplici: deinde cùm modicè coiuit, refrigerando, mittendo vas in quo eſt cerat. in aquam frigidiſsimam: cùm admodùm erit refrigeratum, miſce in mortario paulatim tantum aquæ frigidiſsimæ, quantum in ſe molliendo poterit accipere: cui ſi addas aceti admodùm tenuis & clari, & albi paululùm, magis refrigerans & humectans medic. efficies: hactenus libr. 10. metho. De hoc Galen. libr. 10. meth. decimo, & lib. primo ſimpl. cap. ſexto: & libro ſexto ſanitat. tuẽ. Vbi aceti vice, ſubigendo manibus diu in mortario, miſcet ſuccum ſemperuiui, ſolani, cotyledonis, pſyllij, polygoni, tribuli, portulacæ, lactucæ, & ſimilium. Id autem ceratum vbi incaluit, tollendum eſt: nam calfactum recalfacit. Ego inter duas telas extenſum intemperaturis partium calidis tepidum applico: horâ pòſt dimidiâ aufero: aliquandiu pòſt parti reddo, ſi opus eſt: quotidie autem nouum nouæ telæ impono, priore nimis ſiccato. Sic enim dum libet, tollitur & redditur, nec pars inuncta ægro tædium adfert.*

CErat. Gal. ſtomachicum, ventriculum & hepar roborat: horum dolorem à frigido lenit, appetentiam excitat, coctionem iuuat: recipit roſarum, maſtiches, ana drach. viginti: foliorum ſiccorum abſinthij drac. quindecim: ſpicæ nardi dra. decem, trita tenuiſſ. ceræ vnc. quatuor: olei. roſati lib. vnam & ſemiſ. liquentur hæc igni, & aqua roſarum diu lauentur: iterũ liquentur & lauentur vino veteri & auſtero, & ſucco cydoniorum, & aceto pauco: pòſt miſceantur reliqua, & fiat ceratum. *Hæ lotiones liquidius reddunt ceratum.*

*Ceratum hoc ſtomachicum apud Gal. nondum legi: ſed id eſt, quo aſsiduè vtor, inquit Gale. initio lib. 8. c. ph. p. & lib. octauo methodi, & poſt eum Paulus: recipit autem vnguẽti nardini optimi, ceræ Põticæ amaræ, vel alterius Ponticæ, vel Tyrrhenicæ (quæ alba eſt ablutione) vel alterius odoræ & pinguis, ſed lotæ, ana vnc. Romanam vnam, ſeu drach. octo: æſtate verò ceræ tantùm drachm. ſeptem:*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0409-1

*liqua in vaſe duplici: refrigerato deinde et raſo adde aloës, maſtiches, pulueris molliſsimi ana drach. vnam, vel paulò amplius: non tamen vltra ſeſquidrach. Quòd ſi maiore eſt adſtrictione opus, cùm ſcilicet tanta eſt imbecillitas, vt ne cibum quidem continere poßit, auge maſtichen ad ſeſquidrachm. vel adde omphacij tantundem, vel abſinthij ſuccum, vel vtrũque: & præter hæc interdum hypocyſthidem, & œnanthen, id eſt, vitium ſylueſtrium germen cum floribus, & ſuccum rhois. Sed dum ceratum conficis, hæc miſcenda ante aloën & maſtichen, túncque ceræ & nardini vnguenti pondus pro reliquorum portione augendum, vt ſi quatuor ex alijs drach. colligantur, cerati nardini vnc. ſint quatuor, ceræ quidem duæ, vng. nardini etiam duæ. Præſtantius fiet ſi ſpicati vnguent. vel foliati ſumptuoſorum Romæ medicamentorum aliquid addas. Potes etiam loco nardini maſtichinum vel melinum optimum & recens miſcere.* Lib. 8. met. *Quòd ſi ventriculus intus vritur, ita vt affectus phlegmonæ ſimilis in eo conſiſtere videatur, fiat ceratum ex oleo melino cum œnanthe vel hypocyſthide, vel balauſtijs, vel φοινίκων, id eſt, palmularum carne, & alijs quæ ventriculum refrigerare & firmare ſunt idonea. Ad rem verò præſentem commodißimum ſemper diliges, intentus dictis ſcopis. Meſ. autem in ſuo, pro aloë roſas folia verò abſinthij, pro ſucco: ſpicam nardi cum oleo roſato, pro vnguento nardino ponit: horum tamen doſi vt maſtiches immodica. Poteſt tamen parari ad robur ſtomachi in febribus, aut ipſius phlegmone. Quod ex Gal. citat Nicolaus, emplaſtri formam habet: & ſimplicia permulta non eſſe Galeni acutè declarant.*

CEratum diapente, ſpaſmum, & neruorum iuncturarúmque tumores duros & nodoſos lenit: accipit ceræ flauæ vnc. tres, ſtyracis liquidi drac. tres: terebinthinæ vnc. vnã muccaginis †ichthyocollæ, vel gummi hederæ, ol. irini. q. ſ.

†Zanath.

*Rariſſ. vſu. Ceratum erit hoc veterum, ſi plus olei accipias: recentiorum, ſi minus.*

CEratum Alexandri, ventriculum & ventrem reliquum inferiorem roborat, ab hisque duritiem diſsipat: recipit comarum abſinthij, thuris, ana drachmas decem: hammoniaci, ſtyracis calamitæ, ana drac. duodecim: ſpicæ nardi drach. tres, ceræ vnc. quatuor: ol. chamæmelini. q. ſ. Hammoniacum & thus vino horis vigintiquatuor macerentur: ol. & cera liquentur igni: reliqua trita & creta inſpergantur.

*Mediolani in vſu eſt frequenti, dignum quod etiam alibi vſurpetur: Cera ex oleo liquata, hammoniacum vino vigintiquatuor horis maceratum, & ad mellis craßitiem coctum, per ſe miſcetur: deinde pul. tenuiſ. adduntur. Quòd ſi ſtyrax & thus pinguia & mollia ſunt, etiam diſſoluenda.*

ALterum eiuſdem valenter ſchirrhos diſsipat, articulorum & neruorum omnium dolores & affectus diuturnos à frigido natos, & contractiones, & paralyſin, & torturam: recipit caſtorij, euphorbij, piperis longi & nigri, ana vnciam vnam: hammo. opop. gal. ana vnciam vnam, & ſemiſ. medullæ cruris cerui & vaccæ, ana vnc. duas: terebinth. vncia ſex: ſtyracis liquidi vnciam vnam: adipis gallinæ & anatis, & anſeris, & porci, ana vnciam vnam & dimid. ceræ libram vnam ol. veteris, nardini, irini, laurini, chamæmelini, leucoij lutei, olei naptici ana vnc. octo: ol. balſami vnc. quatuor: vini veteris. q. ſ. ad macerandum medic. ſicca. Efficacius fit, ſi addas œſypi vncias quatuor. *De naphtha Dioſcori. de aſphalto.*

*Eſt efficaciſſ. & magno ſucceſſu in vſum venerit ad diſſipandum tumores duros & articulorum dolores, præcipuè à lue Hiſpanica.*

CEratum Andromachi, ventriculum frigidum roborat ne excrementa aliarum partium tam promptè recipiat, affectus neruorum & iũcturarum frigidos, vt duritiem, dolores, tumores, quos diſſoluit, ſi digeri ſunt habiles: aut coquit, & ſuppurat, ſi maturari poſſunt. Recipit ſtyracis vnciæ ſemiſſem: maſtiches vnciam vnam & ſemiſſem: folij, ſpicæ nardi ana drachmas tres & ſemiſſ. euphorbij drachma tres: cynnamomi drachmas ſex: ceræ albæ drachmas viginti: ol. balanini

vncias octo:ol.balſami drachmas quindecim: Fiat ceratum.

*Hactenus cerata in Antido. Meſ. id autem ex ſuo Grabadin, cap. de ſpaſmo.*

Ceratum de euphorbio ad ſpaſmum, recipit olei cinnamomi, aut ol. antiqui lib. vnam. ceræ flauæ vncias duas: euphorbij recentis vnciam vnam: fiat ceratum pro parte conuulſa mirabile.

Li.2.c.ph.p. *Quod autem eſt Gal. ceratum dieuphorbiu, recipit ceræ vnc. tres, euphorbij vnc. vnam: ol. Sabini, vel alterius ex oliuis maturis lib. vnam: fiat ceratū ſimpliciſſimum ad dolorem capitis à frigore, ad veterem hemicraniam, iſchiadem à cauſa frigida, non calida.*

## Ceratum ad hernias ex pelle arietina, D. Arnaldi de villa noua.

*Recip. Lithargyri, auri, opij. ſedenegi. ſang. draconis, boli Arme. maſtich. hammoniaci, mumiæ, galbani, thuris, coſti, lūbricorum terreſtrium, ana drac. ſemiſ. picis naualis, picis Græcæ, id eſt, colophoniæ, ceræ albæ, ceræ rubr. ana drachmam vnam: radicum ſoldaginis maioris, radicum ſoldaginis mediæ, radicū ſoldaginis minoris, ana drachmas tres.*

***

# DE EMPLASTRIS, SECTIO DVODECIMA.

EΜπλαστον φάρμακον ἀπὸ τοῦ ἐμπλάττειν, Li.1.c.ph.g. id eſt, fingendo & formando: ς literam ex etymo non habet: ς tamen aſſumpto etiã οὐ ἔμπλαστρος, vt κέντριον ἀκεντῶν μηλωτρὶς à μήλη et οὖς ὠτὸς dicitur Gal. et Paul.7. ſuæ tempeſtatis hominibus propè omnibus vſum prævalentem & conſuetudinẽ ſequentibus, cum iam tũ & lingua Attica permultum à proprietate ſua deſciuiſſet. Medicamenta emplaſtris debita, ſunt terreſtria: vt metallica, lapides terræ ſpecies, flores, cinis, conchæ. Plantarum partes, vt oleamẽta, lachrymæ, ſucci, liquores. Semina verò & herbarũ folia, & radices paucas recipiunt: tamen empl. ex lini ſemine, et ab herbis βοτανικὸν et farinas ſatis frequẽtes: Coquantur empl. quouſq; manus nõ amplius inquinent. Empla. & metallica, vt lithargyrũ ceruſam recipiunt. Idem. Prius hæc oleo & aceto, ſucco, aqua, vel alio liquore adſcripto ſine igni nutriãtur, & craſſeſcãt in mortario, vel ſartaginis fundo, ſphærico, ſpatha, vel piſtillo continẽter mota. Si ad hæc pinguia alia empl. debẽtur hæc ipſa piſtillo calido vel in lebete ſuper ignẽ lentũ ſpatula ſemper mota, ne vaſis fundo metallica hæreãt, probè ad iuſtã vſq; craſsitiẽ metallicis ita nutritis miſceãtur. Quòd ſi gũmis quoq; opus eſt, liquabilia liquentur, ſolubilia ſoluantur, puluerabilia pulueretur, vt ſuis locis patebit: & poſtrema decoquendis alijs miſceãtur ſpatha ſemper mota poſtremò etiã ponãtur et flores, herbæ: radices. Flos croci manu emplaſtro miſceatur migdalias & offas formantibus. Sunt tamen quædam metallica, & terrea lapideáque in fine miſcenda, vt æs vſtum, cin-

*nabriũ vulgare, ærugo, flos, æris, ſquamma æris, ſulfur auri pigmentũ, magnes bolus Armenia, terra ſigillata. Coquatur autẽ omne emplaſtrum ad aceti, vini, aquæ ſuccorum, vel aliorum liquorum conſumptionem. Succi craſsi & ſiccati aliquo liquore ſoluti imponantur poſtremi, cùm ſcilicet emplaſtrum frigere incipit. Succi autem virides in emplaſtra de Ianua temperentur oleo: deinde gummis liquatis ambo miſceantur & coque igni. Herbæ virides in emplaſtro gratia Dei & alio macerentur vino. Gummi liquata eodem vino coquantur ad vini conſumptionem. Emplaſtra molliuiſſe, & ſubegiſſe licet cum pul. vel liquoribus: vt oleo apoſtolicon, ceroneum, oxycrocinum, diuinum, contra rupturam, & diachylon: vt ſuccis, empl. de Ianua: vt lacte: empl. gratia Dei. Sanguis humanus & viſcum quernum in empla. contra rupturam miſceantur piſtillo calido, & coquatur viſcum in decocto pellis veruecinæ recenti non depilatæ, nec calce codîtæ.*

**Diachylon album & commune.** *Lithargyros ſi lauetur, albius emplaſtrum fiet. Oleum itẽ ablutione albeſcit. †Ex lapide duriſsi. vel æreo mortario.*

EMp. diachylon, ſcirrhos hepatis, lienis, ventriculi, & aliarum partium, ipſas etiam chœradas & durities reliquas emollit, & iuuat. Recipit muccaginis, ſem. fœnigræci, ſem. lini, rad. althææ ana lib. vnam: lithargyri plumbo & ſcoria purgati tenuiſsimè triti, lib. vnam & dim. ol. antiqui clari libras tres. Lithargyrum & oleum diu & multùm in mortario† lapideo piſtillo ferreo ſubigantur & miſceantur: pòſt igni lento coq;, ſpathâ ſemper agitando, donec liquetur lithargyrum & craſſeſcat. Exime igni, paulatim frigeſcat: poſteà his ſuccos per ſe parum coctos affunde, permiſce & recoque igni ad iuſtam craſsitiem. Valentius reſoluit & maturat, ſi addatur puluis ireos: magis item anodynon, ſi muccago meliloti præſertim ſeminis acceſſerit. Præſtantius quoque fiet, ſi loco olei communis irinum & chamæmelinum acceperit.

*Id emplaſtr. vſu eſt frequentiſsimum: pul. ireos vncia vna in lib. vnam. maſſæ emplaſtri addi poteſt, vulgoq́; id diachylon ireatum vocatur. χυλὸς hoc loco cũ Gal. eſt ſuccus*

*is, quem*

*is, quem à mucci narium aut viſci ſimilitudine muccaginẽ aut viſcaginem vocare poßis potiùs, quàm cum vulgo mucilaginem: & nos ita vocabimus fuga ambiguitatis, cum ſuccus nobis vt χυλὸς Galeno etiam ſit, qui ex tuſis herbis exprimitur, quo ſignificato nobis pòſt accipietur. Scirrhos albos & nigros mollit ac digerit, reliquias furunculi duras dißipat, vlcera etiam duritiei coniuncta glutinat.*

*Muccagines in emplaſtro diachylo hodie non coquuntur. Eſt id emplaſtrum Auicennæ propè ad verbum. Deſcribitur & à Galeno ſecundum Democritum. Alterum eſt διὰ χυλῶν Pauli ex lithargyri lib. 6. olei æſtate lib. 7. hyeme. 8. ſeminis fœnigræci ſextario dimidio, ſeminis althææ lib. tribus: hæc duo in aquæ ſextarijs viginti bulliant, donec lib. quatuor remaneant: adde oleum, & coque donec ampullæ ceſſent, inſperge lithargyrum, & coque igni lento.*

EMplaſtrum diachylon magnum, ſcirrhos emollit & digerit, & inflationes. Recipit lithargyri putris, triti, creti, libram vnam: olei irini, chamæmelini, anethini, ana vncias octo: muccaginis ficuum pinguium, vuarũ paſſarum, ichthyocollæ, ſeminum lini, & fœnigræci, ſuccorum ireos & ſcillæ, œſypi, ana drach. duodecim & ſemiſſem: terebinthinæ vnc. tres: reſinæ pini & ceræ flauæ ana vncias duas: miſce vt prius, donec craſſeſcat.

*His ſi acceſſerit bdellij, ſagapeni, hammoniaci ana vncia vna, diachylon gummatum vulgus appellat. Aliquando eſt in vſu, frequentiùs tamẽ eius loco emplaſtrum de muccaginibus, ex muccaginis ſeminum althææ, lini, fœnigræci, corticis medij vlmi, ana vnc. quatuor & dimid. olei chamæmelini, lilij, anethini, ana vnc. vna & ſemiſſ. hammoniaci, galbani, opopanacis. ſagapeni, ana vnc. dimidia: croci drac. duabus: terebinthinæ vnc. duabus: ceræ nouæ vnc. viginti. fiat emplaſtrum. Paulus ab hoc, ſimplicibus & eorum quantitate ac modo componendi plurimũ variat: nam*

*miſcet lithargyri lib. ſex: [Oribaſius duas] olei, ſi æſtas eſt, lib. ſeptem: ſi hyems, lib. nouem: fœnigræci, lini ſeminis ana ſemiſextarium: [Oribaſius ſextarium] althææ, [Oribaſius althææ radicis] libras tres: althæa & ſemina in† viginti aquæ ſextarijs coquantur, quouſque inde muccaginis libræ quatuor exprimantur, & miſcentur oleo, ſimulq́ue coquuntur, dum bullire, & ampullas tollere deſierit, id eſt, ad muccaginis conſumptionem. Pòſt hæc argenti ſpuma tenuiſsimè trita inſpergitur, omniaq́ue ſimul igne non acri excoquuntur, vſque dum digitos intinctos non inquinet. Διὰ χυλῶν Galenus ex Democrito ſcribit & ex Menecrate, ex lithargyri libris duabus: axungiæ antiquæ lib. quatuor: olei antiqui, lib. quindecim. Addit aliquando lib. vnam radicis althææ. Ab vtroque ſimplicibus & eorum quãtitate variat Alexander, componendi modo cum Paulo conſentit. Lithargyri triti lib. quatuor olei cõmunis lib. ſeptem: ceræ lib. vna: reſinæ piceæ vnc. ſex: muccaginis, ſeminis pſyllij libræ tres: quam ſic extrahes, in aqua fontis ſextarios ſex immitte: pſyllij triti vnc. tres, macera viginti quatuor horis, poſtridie igni lento coque ad craſsitudinem, calidiſsimã cola (nam mox à frigore concreſcit ac dureſcit) eius libras tres immitte cacabo, calfac, rurſus cola: lithargyrum tenuiſsimè tritum miſce, continenter moue: igni lento percoque, donec digitos adhæſu non inquient: ſublato ab igne cacabo ceram, & reſinam inijcies, & vbi digitos non contaminabit, tũc pilæ infundito, rudicula mollito. Sed in componẽdi modo olei mentio non fit.*

Manard. althææ ſeminis legit.
†Gal. in ſextarijs aquæ octo.

EMplaſtrum *διὰ χυλῶν* paruum, tumores calidos digerit & maturat: recipit lithargyri vncias ſex: olei veteris clari libram vnam: muccaginis pſyllij vnc. quatuor: muccaginis ſemi. hyoſcyami ſeſcunciam: muccaginis ſem. lini & rad. maluæ ana vncias duas. Fiat vt primum. Eſt frequentiſsimum vſu, & efficaciſsimum ad mulcendam intemperiem calidã, quod per ſe

ſe pſyllium & hyoſcyamus præſtant: & ſiccandum digerendumq́;, quod cætera ſimplicia præſtant.

EMplaſtrum de baccis lauri, ventriculi, inteſtinorum, hepatis, renum, veſicæ, vteri, & partium aliarum dolorem à flatibus aut intemperie frigida ortũ placat. Recipit autẽ thuris, maſtiches, myrrhæ ana vnciam vnam: baccarum lauri vnc. duas, cyperi, coſti, ana vnciam dimidiam: mellis colati quantũ ad ea cõprehendẽda ſufficit. Si autem cyperi ſeſcunciam miſceas, & ſtercus capræ aut vaccæ ſiccum ad pondus omniũ, ad hydropem fit mirabile.

*In colico dolore à flatu & pituita ſalubriter calidũ ventri imponitur vacuata plenitudine, & clyſtere quoque injcitur vncia vna ad ſeſcunciam, cum cæteris eodem pertinentibus, inflationem quanuis, id eſt, à flatu tenſionem & tumorem eadem ratione iuuat. Mel calidum, id eſt, liquatum alij legunt pro colatum, ipſumq́; largius addendum eſt, ſi ſtercora miſces, quantũ ſcilicet omnibus capiendis erit ſatis. In vſu eſt vbique, ſed vſu frequentius eſt electarium de baccis lauri, ex foliorum rutæ ſiccorum drach. decem: ſeminis ameos, cari, dauci, melanthij, cumini libyſtici, baccarum lauri, piperis nigri & longi amygda. amararum, origani, acori, caſtorij ana drachmis duabus: opopanacis drach. tribus: ſagapeni drachmis quatuor: quæ trita melle cocto ad pondus omnium excipiuntur. Diuerſum ab his malagma* Li. 9. c. ph. p.
*διὰ δαφνίδων, id eſt, ex baccis lauri, nitro rubro, hammoniaco, cera, reſina picea, pice brutia.*

EMplaſtrum ventriculum & hepar calfaciens & roborãs, recipit ligni aloës, abſinthij, gummi Arabici, maſtiches, cyperi, coſti, zingiberis ana vnciam ſemiſſem: calami aromatici, thuris, aloës ana drach. tres: caryophyllorum, macis, nucis, moſchatæ, galliæ moſchatæ, cinnamomi, ſpicæ nardi, ſchœnu anthûs, ana drach. vnam & ſemiſſem: excipe miua aromatica, & tempore vtendi cùm panno intenderis, ſuffies ligno aloës.

*In vſu crebro non eſt: tamẽ fuerit efficaciſſimum in ventriculi & hepatis intemperie frigida, aëre præſertim frigido.*

*gido. Nam calidis natura & æſtate eſt nocẽtiſsimum: Alij eius loco vtuntur cerato ſtomachico prius deſcripto: alij aliã neſcio quam ſequuntur deſcriptionem.*

EMplaſtrum de gallia, ventrem totum inferiorem roborat adſtringendo & calfaciendo: quare lienterias, diarrhœas, dyſenterias iuuat à cauſa frigida productas.

Recipit autem galliæ moſchatæ, ſchœnu anthûs ana drach. vnam & ſemis: ramich, rhois, acaciæ, hypocyſthidos, ladani, gallarum non perforatarum, calami aromatici, roſarum & ſeminis earum, ſantalorum alborum & rubrorum, maſtiches, xylaloës, caryophyllorum, ſpicæ nardi, thuris, coſti, myrrhæ, cyperi, abſinthij, ana drachmas duas: terantur accuratè omnia: deinde panis biſcocti drachmæ tres: dactyli ſicci duodecim: viginquatuor horis macerentur in ſucci foliorum myrti & lauri, & aquæ roſarum, & vini auſteri, ana vncia vna & dimidia. Hæc læuiga, & excipe miuæ aromatizatæ vnciis tribus vel quatuor, & additis gummis Arabici aſſati drachm. ſeptem coquantur igni lento ad mellis craſsitudinem. Quibus in mortario diu permiſce puluerem prædictum, donec totum fiat viſcoſum: tempore vtendi ſuffitur ligno aloës panno illitum.

*Rarum vſu præter quàm in Gallia, vbi repertum quibuſdam videtur, & inde vocatum: alijs autem à trochiſcis galliæ moſchatæ quos recipit. Ramich compoſitio quædam eſt in trochiſcos reducta. Si ſuccum foliorum menthæ pro myrti, vt quidam codices habent, miſceas, calidius non multò minus adſtringens medicamentum euadet. Læuigare autẽ, vt Græci λεαίνειν, eſt ſicca in puluerem tenuiſsimum: humida autem curioſè terere & frangere: qualia hîc malè interpres terere iubet tanquàm in puluerem. Nam in puluerem abire non poſſunt, niſi ſiccata, aut largæ ſicciorum copiæ permiſta.*

EMplaſtrum alterum de gallia ad affectus eoſdem, ſed à cauſa calida profectos: recipit galliæ, ramich, foliorum & ſeminis roſarum, rhoïs, ſantali albi & rubri, ſpodij, ſanguinis draconis, electri, balauſtij, capitum granatorum, hypocyſthidos, acaciæ, corticum mandragoræ, ana drach. duas: caphuræ dra

drachmæ ſemiſſem: tere omnia tenuiter: ad hæc polentæ, baccarum myrti, gummi Arabici aſſati, tenuiſsimè tritorum, ana vnc. dimidiam: macera in ſucci vuarum agreſtium vnc. vna: ſucci capreolorum, vitis agreſtis vnc. duabus: ſucci extremitatum myrti & aceti, ana † vnc. quatuor: quibus adde miuæ acidæ vnc. duas vel tres, & coque igni lento ad glutinoſam craſſitiem. Tunc pulueres prædictos his diligenter miſce. Ex hoc portio alutæ illita tempore vtendi ſuffiatur xylaloë. *Alij vnc. vna.

*Rariſsimum hic vſu eſt, quòd opinor in his regionibus frigidis & victu non modò largiore, ſed etiam ob cœli inclementiam crudiore vtentibus, venter, intemperie frigida ferè laboret, haud temerè calida: qua ratione & hyeme pituitam in nobis augeri ex Hippocratis placito demonſtrat Galenus lib. de natura humana: etiam ſi ventres vt hyeme, ſic in regione frigida ſint calido innato calidiſsimi.*

*Tamen ob componendi magnam difficultatem ad artis ſuæ ſpecimen candidatis: perſæpe ipſum archipharmaci imperant.*

EMplaſtrum relatum ad Andromachum, podagram, gonagram, iſchiadem, & reliquos articulorum dolores antiquos, ac eorum tumores & laterum, ſcirrhumque ſplenis & hydropem iuuat. Recipit autem ſepi arietum, picis, ana drach. octodecim: gummi pini vnc. octo: ſandarachæ, auripigmenti, aluminis ſciſsilis, calcis viuæ, ana drachmas tres: hammoniaci vnc. duas hammoniacũ ſuper ignem diſſoluatur vino rubro, eiq́; adde olei libras duas, & reliqua probè puluerata.

*Auic. 5. can. idem deſcribitur. Auripigmentum rubrum eſt ſandaracha Dioſcorid. & Gale. rarum. Citrinum verò ſpeciatim auripigmentum ſeu arſenicum naturale, nõ factitium. Arſenicum album addit Auic. in doloribus à lue Hiſpanica eſt efficax.*

EMplaſtrum alterum Andromachi cauſticũ, recipit aquæ ardentis (quæ eſt aqua ſaponis) libras quatuor: ſeminis orizæ & frumenti excorticati ana vnc. ſeptem: macera in vaſe vitreo

vitreo bene obſtructo,donec granis diſſolutis totũ fiat muccoſum:ſerua,ſed diebus ſingulis ligneo baculo moue,& obtura:exceptum cortice auellanæ vel arundinis, vel ſera pertuſa, & parti admotum tribus horis,aut eo plus cauterij vice vlcerat,& vrit.

*In cauſticorum vſu partis natura diligenter expendenda eſt,ne altiùs aut latius quàm opus eſt, vis cauterij recepta vel effuſa,illæſas partes aut ſenſu exquiſito præditas, aut vaſa magna attingat. Expende item præter cauterij vires,etiam carnis habitudinem. Nam dura,denſa,ſenſu obtuſo prædita,qualis ferè foſſoribus,nautis,agricolis,baiulis ineſt, valentior ferre poteſt:contraria etiam mitioribus valde offenditur in corporibus delicatis,candidis mollibus: qualia puerorum,ſpadonum,mulierum, & quorundã virorum. Medicamenta verò cauſtica quæ ſolida ſunt, vt ex calce viua & fæce vini vſta, vt agunt tardius, tamen agunt diutiùs,ſi longa actione eſt opus:& minùs promptè diffluunt. Aqua ardens hodie fit alumine,ſale petræ chalciti deſtillatis, vt ars chymiſtarum docet:alij alia miſcent.*

*Triticum & oriza putredine acrimoniam acquirunt, ſeu eſſentiæ tenuitatem,ſed cùm ſint mitiora,aquæ ardentis vehementiam nonnihil obtundunt. Hæc enim ſi legitima eſt,etiam laminas tenues auri,argenti,& aliorũ metallorum paucis diebus in calcem deurendo diſſoluit.*

EMplaſtrum ſinapinum Democriti ad podagram,gonagram,iſchiadem, ipſamq; arthritidem, oſtocopon,hemicraniam obliuionẽ,lethargũ,ſi à cauſa frigida proficiſcuntur: ſinapi cum aceto tritum diu miſcendũ cum æquali portione pinguiũ ficuũ aqua calente horis vigintiquatuor maceratarũ, & ita expreſſarum,vt nihil in his humoris ſit reliquum.Si valentiùs vis,duplum ſinapi miſceto,ſi imbecillius, etiam triplũ ficuum.Admotum parti tollatur,priuſquàm vlceret:niſi etiã vlcerandi eſt neceſsitas,vt materia profundior foras trahatur, & vacuetur. Penuria ſinapis,ſtercus caprinum pridie aceto maceratum(quod etiam ad hydropem,& ſplenis duritiem & dolo

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0420-8
DFG

dolorem eſt efficax.) Adduntur interdum ſtercus columborum agreſtium, enulæ radix, ſemen naſturtij, baccæ lauri. Tuncq́; non ſoli hydropi & tumori ſplenis confert: ſed etiam reliquorum viſcerum affectibus frigidis & flatulentis.

*Efficax fuerit hic ſinapiſmus, & φοινιγμός, id eſt, rubrificatio in affectibus pituitoſis & profundis, vt iſchiade, iam tamen declinante. Cùm enim potenter attrahant, non modò ex parte, ſed ad partem periculoſa ſunt hæc remedia in corpore plethorico aut cacochymo, ante exquiſitam vacuationem. Eiuſmodi remediorum per ſinapi, thapſiam, vel eius loco ſemen naſturtij in vetuſtis & frigidis, & profundis, & contumacibus affectibus, frequens eſt vſus apud Galenum in meth. & lib. comp. ph. p. Stercore columborum agreſtium etiã in ventris affectibus longis crebrò ſe vſum ait Aëtius. Efficax idem eſt paralyſi, lethargicis & ſoporoſis affectibus, epilepſiæ, vertigini, maniæ, capiti admotũ: aſthmati, orthopnϾæ, tuſsi antiquæ, catarrho antiquo, thoraci. Valentiùs multò vlcerat ſinapi tritum, & per ſe admotum, vt Galen. docet lib. 3. temper. quàm aceto fractum & obtuſum. Ablato autem ſinapiſmo, partem ablue: ſi dolet multùm ob ampullas, cremorem, vel ſuccũ mal. vel fœnigræci ex linteo impone, ſuperdato ſplenio ex cerato roſaceo cum ceruſa. In paralyticis autem quia non ſentiunt, crebrò pars tergenda, & obſeruandum ſinapiſmi effectum, ne plus quàm oporteat, in partem agat.*

EMplaſtrum ex fermento deſcriptum à Democrito. Fermentum eſt multorum emplaſtrorum, & aliorum inſignium remediorum materia: idq́; quo eſt vetuſtius, eo præſtantius. Fermenti & mellis portio æqualis: viſci querni pars ſexta: hammoniaci in aqua fœnigræci aut lacte arboris mori, & pauca fæce olei veteris diſſoluti pars octaua miſcẽtur: fitq́; emplaſtrum ſpinas & ſurculos extrahens, ac etiam oſſa fracti cranij, meningibus infixa etiam profundiùs. Vel fermenti pars vna: ſucci menthæ & abſinthij ana pars dimidia: aceti, aut

(Margin numbers: 1 beside the first line of this paragraph; 2 beside "cranij, meningibus infixa etiam profundiùs. Vel fermenti".)



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0421-4

ſucci vuarum agreſtium,aut extremitatũ vitis,aut cydoniorũ pars quarta:macis,caryophyllorum,ligni aloës, maſtiches,ſpicæ foliorum roſarum, abſinthij ſicci pars octaua drachmæ vnius:miſce,igni coque in emplaſtrum, quod ventriculum & hepar admotum apertè iuuat.
3 Vel fermenti adhuc acidi pars vna:ſucci intybi,aut ſolani, aut vuarum agreſtium, aut cacuminum vitis,& aceti ana pars dimidia:farinæ hordei pars tertia:trium ſantalorum,foliorum roſarum, ſpodij, ſauſel,id eſt,auellanę Indicę,trochiſci diaglauciu,boli Armeni ana pars ſexta:ſucci portulacæ,& muccaginis pſyllij quantum ad comprehendenda hæc ſufficit.Emplaſtrum id hepatis & aliorum viſcerum phlegmonas mirè compeſcit.
4 Vel fermenti,mellis,olei,lactis muliebris,vitelli ouorum pares portiones:coquit & maturat phlegmonas,abſceſſusq́ue rumpit his. Si bdelliũ & hordei farina miſcetur,ſpinas extrahit:idq́; valentiùs, ſi his diſſoluta galbani pars dimidia iungatur. Valentiùs item facit nitri naturalis ſexta pars,ſtercoris columbini & gallinacei ana pars quarta.
5 Vel fermentum ex aceto & ſale coctum, hepatis & lienis affectibus multis eſt ſaluberrimum. Nam ficuum hammoniaci,bdellij portio æqualis,fermẽti præſertim aceto diſſoluti pars dimidia:foliorum rutæ & fructus tamaricis,& nitri ana pars quarta,ſimul bene miſta, lienis tumorẽ admota mirè diſsipant.Quòd ſi excrementa viſcerum ſiccanda ſunt,fermentum ſulphur,ſal, cinis, ſarmentorum vitis miſta & admota id præſtabunt:idque valentiùs,aſphalto addito: valentiſsimè autem euphorbio. Hæc Democritus, & prætereà non pauca de facultate fermenti veteribus expertiſsima: quæ omnia narrare prolixum fuerit.

*Horum effectorum partem plurimam fermentum per ſe efficit, vt etiam ſpicula ex oßibus euellat: valentius autem hæc præſtat, miſtis his quæ vel calorem eius remittunt, vel intendunt,aliáſque facultates. Ad rũpendos autẽ abſceſſus, id eſt,phlegmonas ſuppuratas: vel etiã abſceſſuũ genus alterũ in his,qui ferrũ metuunt,aut quibus ferrũ nõ eſt tutũ,ob neruos aut vaſa inſignia propinqua: vel iſto vti potes, vel eo quod Paulus ſcribit ex fermento,axũgia,ſale, reſina,pice,cera,aphronitro,hãmoniaco,melle,ſapone.*

Em

EMplaſtrum filij Zachariæ, iuncturarum tophos ac nodos duros mollit, diſſoluit, & craſſa lentáq; pulmonis & thoracis excrementa expectorare magis habilia reddit. Recipit ceræ flauæ, medullæ cruris vaccæ, adipis anatis & gallinæ, muccaginis ſeminis lini pares portiones: olei lini q. ſufficit: valentiùs facit addita muccago althææ & fœnigræci pari portione, & oleum leucoij lutei loco olei lini, vel cum eo. Efficacius quoque reddes, ſi œſypum & ichthyocollæ muccaginem addideris.

*Id emplaſtrum ad ſcirrhos omnes partium omnium emolliendos mirabile, ſi omnia hæc acceperit. Nam prius eſt imbecillius, præſertim ſi multa eſt durities, & corpus durum ac denſum.*

EMplaſtrum diaphœnicon ventriculum & hepar firmat: ob id lienteriam & dyſenteriam hepaticam adiuuat. Dactyli ſicci quadraginta, panis biſcocti drachmæ quinq;: biduo macerentur vino odoro: pòſt cum dactylis tere permultùm carnis cydoniorum in vino coctorum vnc. vnam: deinde miſce ceratum ex ceræ vnc. duabus, & olei roſati & nardini, ana vnc. quatuor factum: tundendóq; in mortario permiſce. Poſtremò maſtiches, thuris, abſinthij Romani ſicci, ana drac. duæ, & ſemis, aloës, ligni aloës, macis, calami aromatici, ſpicæ nardi, myrrhæ, acaciæ, galliæ, ramich, ana drach. vna: ladani drach. duæ, tundendo iterũ perfectè miſceantur. Vtendi tẽpore ſuffiatur, xylaloë, priuſquàm parti admoueatur. Satius autẽ fuerit maſtichen & ladanum ceræ & olei prius miſcere: poſteà vt dictum eſt, emplaſtrum facere. *Empla. diaph. calidum.*

*Thomas de Garbo cydonia in vino auſtero infra modũ cocta miſcet, & gallam quercus, non galliã. Si autem ſeruatum duruerit, molliendum oleo de ſpica, vel maſtichino, vel cydoniorum, pro morbi natura.* Ἔμπλαστρον φάρμακον διὰ χαλκίτεως *Galeni, ab his maximè diuerſum eſt, vt diximus in vnguentis.* *Li.1.c.ph.g.*

EMplaſtrum diaphœnicon Alexandri, ventrem totum inferiorem, ne aliarum partium recrementa ſuſcipiat, roborat, coctionem iuuat: ob hæc vomitum, cholerã morbum, lienteriam, dyſenteriam hepaticam iuuat: recipit dactylorum maturitati propinquorum vnc. quinq;: panis biſcocti vnciam *Emplaſtrũ diaph. frigidum.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0423-5 DFG

vnam,carnis cydoniorum in vino auſtero coctorum vnc.vnã & dimidiam:ſtyracis,maſtiches,ladani ana ſemunciã: acaciæ, omphacij,florum labruſcæ,roſarum,ſantalorũ,citreorũ myrrhæ:xylaloës,ramich,ana ſemunciam:ceræ vnc.quatuor: olei roſ.vnc.quindecim:vini auſteri.q.ſ.ad infundendũ infundenda. Suffi xylaloë vtendi tempore.

*Emplaſtrum hoc & ſequens in Alexandro Tralliano nõ lego,ſed lib.quarto in podagra emplaſtrum phœnicinũ ex palmularum vncijs decem coquendo diſſolutis in olei vncijs octo æſtate:hyeme vndecim.*

EMplaſtrum Alexandri ex alliis,ventriculi & reliquorum viſcerum affectus à flatu aut pituita cruda,craſſa, & lenta natos,abſceſsúmq; ventriculi & hydropem incipientem iuuat:accipit ſpicarũ allij mundatarum vnc.tres & dimid.ſtyracis,bdellij,aloës ana vnc.tres:terebinthinæ vnc.quatuor: axũgiæ porcinæ recentis,adipis anſeris ana vnc.quinq;:maſtiches, thuris,ana drach.vnam & dimid. euphorbij vnc.vnam & dimid.croci vnc.dimid.ceræ flauæ vnc.duodecim:ol. nardini & vini odoriferi,quantum ſufficit.

*Emollit,ac diſcutit,éſtq; anodynũ:coctionem adiuuat,roborat partes præſertim frigida intemperie laborantes.*

EMpl.Ariſtarchi,ventriculi & aliorum viſcerum intemperiem frigidam,flatus,humorem frigidum & inde natos affectus hydropem,inflationem,laterum tenſionem dolorificam,corrigit.Recipit ceræ flauæ vnc.vnã:terebinthinæ vnc. ſex:axungiæ porcinæ recentis,adipis anſeris, medullæ cruris vaccæ,ana vnc.quatuor:bdellij,myrrhæ,thuris,ſtyracis, opopanacis,aloës,maſtiches,ana vnc.vnam & dimid,hammoniaci vnc.tres:colophoniæ vnc.ſeptem:aluminis vnc.vnam:ſpicæ nardi,drach.ſex:folij calami aromatici, euphorbij, baccarum lauri,ana drach.ſeptem:olei balſami lib.vnam: ole.nardini & vini odori.q.ſ.

*Interpres Meſuæ multis in vſu id affirmat,cocta ſcilicet iam materia,& magna ex parte vacuata,Mediolanẽſibus ſcilicet.Nam Ticini quæ vrbs eſt vicina,vſu eſt rarius.Hîc prorſus inuſitatum eſt,quanquam ſit ad molliendum & digerendum quàm præcedens valentius.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0424-1
DFG

EMplaſtrum Oribaſij ad tumores etiam duros hepatis, lienis, chœradas: recipit lithargyri vnc. dimid. ceræ vnc. vnã: reſinæ vnc. quinq;: hammoniaci vnc. tres: ladani vnc. duas: ariſtolochiæ, thuris, galbani, caſſuthæ, ana vnc. vnam & dimidiã aloës vnc. vnam: olei antiqui, & aceti ſcyllitici q. ſ.

*Oribaſij eſſe non videtur, quòd eius tempore caſſuthæ vox fuerit ignorata: aut error ſubeſt.*

EMpla. alterum Oribaſij idem pollẽs, recipit hammoniaci in aceto ſcyllino duos dies macerati vnc. duas: læuiga per ſe: poſteà, tere cum cerato ex ceræ flauæ vnc. duabus olei chamæmelini & irini, ana vnc. quatuor, croci drach. quinque. Si pro aceto ſcyllite ſuccum apij habeat, ſpinæ ex linteolo impoſitum, rigori febrili confert.

*Quia hic ſuccus digerit potentiùs, acetum, ſcyll. magis incîdit, tenuat, mollit, vtrunque in vſu eſſe deſijt.*

EMplaſt. de meliloto, mollit duritiem omnem ventriculi, hepatis, lienis, viſcerum, & reliquorum. Recipit meliloti vnc. ſex: florum chamæmeli, comæ abſinthij, ſampſuchi, fœnigræci, baccarum lauri, rad. althææ, ana drach. tres: ſem. apij, ameos, cardamomi, ireos, cyperi, ſpicæ nardi, caſiæ, ana ſeſqui drach. hammoniaci drach. decem: ſtyracis, bdellij, ana drach. quinq;: terebinthinæ vnc. vnam & dimid. ficus pingues duodecim: ſepi caprini, reſinæ ana vnc. duas & dimi. ceræ vnc. ſex: olei ſampſuchini, & olei de ſpica q. ſ. aquæ, cui incocta ſunt fœnumgræcum, chamæmelum, melilotus, quanta erit ſatis exquiſita aliorum infuſioni. * *Aniſum quidã addunt.*

*Clementiùs emollit & reſoluit flatus, & alias materias ex ventriculo, hypochondrijs, & partibus alijs, quàm emp. Ariſtarchi: ob id eſt ab eo incipiendum, ſiue lenire dolorem, ſiue tenſum laxare, ſiue pleniùs diſcutere tibi eſt propoſitum. Id vbiq; vſu eſt frequentiſſ. Diuerſum ab hoc malagma Aſclepiadis eſt διὰ μελιλώτου apud Gal. Nardi Gallicæ, cyperi, myrrhæ, ana drach. decem: ameos, cardamomi, croci, terebinthinæ ana drach. octo: meliloti, hammoniaci, ana drac. 40. cypheos ſacrati drach. ſexdecim: ceræ mina vna: vini odoriferi hemina vna, ad ſtomachicos hepaticos* Lib. 8. c. ph. p. & 6. vi. de locum.

*viſcerum dolores. Aliud Andromachi διὰ μελιλώτου ibidem paulò poſt. Huic ſimile habet Paulus, ſed hammoniaco & aceto caret, põderibúsq́; variat. Vera melilotus deſideratur Minardo. Radicis althææ ſubſtantia miſcetur, non muccago. Ficus teruntur cum decoctione iſta, & colantur. Bdelliũ & hãmoniacum, vt ſtyrax, poſſunt pulverari, vel decoctionis iſtius vnc. duabus diſſolui, colari, coqui ad aquæ cõſumptionẽ. Huic decocto formatas iam offas parũper immittere ſolent. Olei vnc. dimi. ſufficit ad cõprehendẽda, ſed durius mox & friabile euadit. Vidi factũ cum duabus olei vncijs molliculum & tenerum, ſed adhuc fragile. Vidi etiã ex vncijs ſex admodum flexile, & ductile. Si primum ſequaris modum, vtendi tempore oleo eſt molliendum. Omnes tamen modi pro varijs ſcopis ſunt optimi, vt Gal.*

MIſtura vulnera ſanans, recipit caryophyllatæ, radicum artemiſiæ, pimpinellæ, chamæmeli, pentaphylli, foliorum violæ nigræ, herbæ venti, caulis rubri, cannabis, ſummitatum rubi. ana manip. vnum: rubiæ, põdus horum omnium: coque omnia vino ad dimidij conſumptionem cola, cum mellis tertia parte recoque: rurſus cola & ſerua.

*Hanc miſturam vetuſti Meſuæ codices nõ habent, vti nec quæ ſequuntur tria vnguenta, duo palmea, & tertium ad ſcabiem. Neque emplaſtrum eſt, ſed potio, cuius exemplo aliæ coquuntur, quæ vulnera recentia & etiam peſsima ad deſperata vlcera ſolæ ſanant. Caryophyllata noſtra, eſſe videtur leucoium veterum. Cotyledon herba venti vulgò dicitur: alijs legitur herba vitri, id eſt, parietaria. Braſsica rubra commendatur in id, vel lege caulis rubri, vt braſſica & rubus intelligantur.*

*FINIS TERTII LIBRI*

IOANNIS MESVAE DE

ANTIDOTIS.

*

INT

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0426-3

DFG

# INTERPRETATIO VOCVM ALIQVOT IN MESVAE ANTIDOTARIO QVIBVSDAM OBSCVRARVM, ORDINE ABECEDARII.

***

A

ADIANTVM album, capillus veneris.

Adiantum nigrum, polytricon.

Aerugo in vnguento ceraſeos legendum & alibi paſsim, vt etiam apud Guidonem Cauliacum: non flos æris, qui alia res eſt.

Albateche in trochiſcis diaphyſſalidum, cucumer magnus, auguria dictus Man.

Alphi albi & nigri Græcis morphea, etiam Guidoni Cauliaco duplex.

Alteil, id eſt, roriſmarini flores, legitur in elect.

Alcanſi fortè pro alkei, id eſt, granatum ſylueſtre. Ob id balauſtium ſcripſiſſem, quod eſt flos granati ſylueſtris, vt cytinus domeſtici: niſi vt Plinio, ſic vulgò balauſtij nomen vtrique nunc eſſet commune. Alkilil mauult legere Manardus, quod Arabibus eſt granatum ſylueſtre.

Aluſulſumen in tryphera Galeno tributa ſeu radix, ſeu lignum piperis eſt cum Serapione & Auic. eius loco ponatur piper album: nam duo alia piperis genera iam recepit, vel ocymum: quidam textus hanc dictionem non habent.

Ambra Arabum ſeu Græcorum recentiorum ambar, quibuſdam Latinis ſuccinum Orientale dicitur: res eſt noua, minoris certè facienda virorum bonorum iudicio, quàm æſtimatur: an verò ſit ſtercus, aut ſemen piſcium, aut maris ſeu fungus, vel aliud quod mare in littora eructat, parum hodie eſt compertum: cal. ſic. 2. g.

Ambra cineritia, vulgò griſea expetitur.

Anacardi ex Siciliæ montibus ignitis afferuntur, calidi ſicci g. quarto. Ob id anacardina compoſitio ante ſex menſes non vtenda, vt anacardorum vis coquendo & fermentando in-

tereà obtundatur:in qua compoſitione caſtorium pro tundebeduſch,& melanthium pro burungi repoſuimus ex Serap. Auicen. Haly in ſua compoſitio anacar.quanuis burungi excorticati ſcribat Raſis ad Almanſ. in lumbricis: ſemina enim melanthij quanuis rarò excorticentur, poſſunt tamen excorticari. Si autem malis meliſſophyllum, vel eryſimon, vel erucam agreſtem, cum Manardo ſupponere,parui refert, cum hæc omnia facultatibus conueniant.

Apozema thoracicum decoctio pectoralis.

Aqua mulſa ſeu mellita, Græcis hydromeli & melicraton dicitur.

B

BAlſami loco,recipe terebinthinæ lib.duas:ol.communis lib.3.ol.laurini vncias ſexdecim:cinnamomi vnc.duas euphorbij,caryophyll.baccarum lauri,gummi hederæ,ſagapeni,galbani,hammoniaci, opopanacis, ana vnc.vnam: thuris, maſtiches, ana drach.1.terenda terantur, & alambico deſtillentur igni lento,Gui.Pla.

Batina mora ſunt, quæ ex bato, hoc eſt rubo leguntur, non longè latéque ſerpenti, & ſpinis hamatis horrido: ſed altero minori ac mitiori mora parua, non nigra, ſed cærulea ferenti.

Been album & rubrum, radices olim ex Armenia delatæ, nunc in Italia etiam inuentæ:ſed vel aliæ, vel deteriores.

Bolus in trochiſcis Halicacabi miltos,ſinopica,lutum carpentariorum, vel pictorum quibuſdam putatur, macra Auicen.dicta.

Bugloſſum calidum pr.g.hum.ſecundo,corroborat, aſperitatem arteriæ & pulmonis lenit.

Bugloſſum domeſticum ſeu hortenſe,& ſatiuum Meſ.eſt borago:ſylueſtre verò ſeu erraticum,eſt bugloſſum vulgò dictum,vt cenſuit in Meſuen Manardus.

C

CAlaminthe agreſtis eſt montana, vulgare calamentum: vel, vt alijs placet, nepetha vulgaris:hortenſis autem ſeu domeſtica,eſt mentha.

Calaminthe fluuialis in diacalaminthe eſt verum menthaſtrum,non mentha aquatica,aut potiùs malè interpres pro pulegio vertit:calaminthe verò montana ſeu nepetha eſt

Ma

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0428-4 DFG

Manardo herba cataria.

Calamus aromaticus quem officinæ proferunt, licet radix potiùs videatur, & rei fortaſſe alterius, tamen à veri calami viribus haud ita multum recedit. Ob id eius loco vſurpari queat, modò non ſit teredinoſa & carioſa.

Calamus aromaticus deſideratur: eius loco radix quædam, non calami illius: nec Indica res videtur, quod vili vendatur, & ſæpe recens multum cernatur.

Caphura res noua, gummi Arabum valde frigidum putatur: quod autem omnibus in manu eſt factitium videtur, & calidum, ac incîdens: an verò Simeon caphuram nomine ambaris intellexerit, viderit Manardus: mihi enim ambram vt Actuarius & alij quidam neoterici Græci, videtur potiùs pinxiſſe. Eſt autem caphura frigida, ſicca, ordine tertio.

Cardamomum Græcorum quanquam hodie ignotum videatur: tamē quod cardamomum maius ſeu granum paradiſi, ſeu aliud, eo planius nec ignauius quod hodie afferri cœptum eſt, quod item minus produnt, viribus aromaticis inſignibus eſt præditum, vt veri loco eſſe poſsit, & fortaſſe in quatuor illa Plinij genera ex his aliquod incidere poterit etiam ſi Manardus triplex cardamomum ſe affirmet vidiſſe, quorum nullum putauit verum Cardamomum. Nam ob hiſtoriæ Dioſcoridis breuitatem, iudicium de his eſt difficile.

Cardamomum ſcilicet maius, quia præſtantius.

Cardamomi genera duo requirit in elect. lætificante, & alibi: quæ etiam ſi non ſint, ſemina ab officinis producta: tamen ignaua non ſunt, & pro cardamomis recipi poſſunt.

Cardamomi nomine quidam maius ſimul & minus recipi volunt.

Caſia, ſcilicet lignea, ſeu vulgare cinnamomum.

Caſia in purgantibus fiſtularis, nigra, cathartica intelligitur in alijs verò caſia Græcorum, quæ eſt vulgare cinnamomum, caſia lignea & aromatica officinis dicta: obſtructiones aperit, præſertim hepatis: menſes potenter mouet.

Caſſutha herba eſt amplexicaulis, quæ linum amplectitur, & ſuffocat: ob id vulgò podagra lini dicitur. Linodera Theophaſti videtur multum ſimilis vocato nunc epithymo.

Ceratia, ſeu xyloceratia, vulgò carrubiæ, Latinis ſiliquæ: ſunt ſiliquæ edules, ſaporis caſiæ, nigræ; dulces, magnitudine fa-

be in quibus ſemen minus quàm caſiæ. Ponderis granorum hordei† octo. Ob id ſæpe pro hoc pondere ſumitur.

† 4. alij.

Chamæpitys ſeu abiga, ſeu aiuga pro iua.

Cinnamomum adhuc deſideratur.

Cinnamomum craſsius vomitoriis medicamentis miſcendum quidam putant, quòd vomitorium his ſit, aliis autem tenue.

Cinnamomum tenuius, quia melius craſſo, quod darſeni Meſ. appellat, electario de cinnamomo, & de cydoniis, niſi cum Manardo per darſeni aſpalathum malis intelligere: quod tamen darſiſahan Arabes vocant, licet Auenzoar darſeni cinnamomum nigrum & odorum valde, & Auerrois 5. colliget canellam ſubtilem, dulcem & aromaticam.

Cinnamomum vulgare duplum compoſitionibus miſcēdum ob eius imbecillitatem: vero enim caremus.

Citrulus ſeu citreolus, eſt cucumeris ſpecies, citrum colore & forma æmulata.

Colleticum glutinans, vulgò coſolidans.

Conchæ teſtæ in elect. noſtro paruarum concharum coopercula, aut potius onyx odoratus, blatta Byzantia vulgò dicta.

Corallium rubrum eſt melius albo, & album cæteris: in Pachyno Siciliæ promontorio plurimum creſcit: ídque mari extractũ, aëre mox dureſcit: frig. primo gradu, ſic ſecundo: ſtomachum tota ſua ſubſtantia roborat, non ſumptum modò, ſed appenſu admotum: nauſeam quoque & vomitum, & hæmorrhagiam ſiſtit.

Cor item mirè roborat, ſpirituum reſolutionem in febribus prohibet.

Coſtus amarus tantùm Græcis eſt, Macro cum Serapione, & quibuſdam aliis Arabibus etiam dulcis, hodie ignoratus.

Crocus nobis Arabica voce zahafaran, parum corrupta ſafran dicitur.

Cubebæ nobis vſu frequentes baccæ ſunt aromaticæ: Serapioni autem oxymyrſines, id eſt, ruſci fructus Auicennæ carpeſia, id eſt, feſtucæ, quædam, de quibus in ſimplicibus.

Cydonia præſertim matura, odore valenti calorem aliquem declarant: ſunt tamen frigida humida primo grad.

Cydonium vel cotoneum acidũ ſeu immaturũ: dulce maturũ: dulcacidum medium: ſic in pleriſque fructuum generibus.

Cymi

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0430-4
DFG

Cyminum Carmanum pro Carmenum verti,id eſt,ex Carmania regione Perſidi proxima,ex qua per ſinum Perſicũ in Arabiam & Syriã prõptè cõuehi poterat,vt ex Aethiopia per mare rubrum.Cyminum autẽ Carmanum ſeu ex Carmania regione præfert Meſues,Galenus Aethiopicum. Ne autem putes Carmenum,vt malè eſt verſum,ſeſeli eſſe cum quibuſdam,quod adiectiua ſingularis numeri produ͂t.

D

DActylos fuluos ſeu rufos verti, quoties chari vocabantur, quòd ſuſpicio erat id verbum eſſe corruptum: κιῤῥὸν enim Græci & πυῤῥὸν vinum,& alia appellant,id eſt, igneum,rufum,pallidum,giluum,claretum,vulgò,& pailletum, & rufum dicitur.

Darſeni ſeu cinnamomum quidam electum cinnamomum intelligunt. Si verò vtrunque ſimul compoſitio poſtulet, tenue & craſſum miſcent,vt heil,ſeu cardamomum, ſcilicet malus:ſi vtrunque exprimitur,maius & minus eſt miſcendum.

Darſeni in electario aromatico moſchato , & alibi cinnamomum craſſum verti. Manardus eſſe mauult aſpalàthum, quem Arabes darſiſahan vocant,præſtantius eſt cinnamomum. Quòd ſi cinnamomum & darſeni ſcriptura poſtulet, vt in electario de cinnamomo , auge quantitatem,& pro craſſo tenue,ſeu præſtantius miſcere fuerit rectius.

Daucum malè corrumpit vulgus in bauciam:eius loco carpere poſsis paſtinacam hortenſem:ſed cùm imbecillior ſit,largior,iniicienda medicamentis.

Doronicum,radicula eſt aromatica,alba,odorata,etiã priſcis incognita:officinis hodie notiſsima.

E

EClegma linctus,loch.

Ἤλεκτρον,id eſt,ſuccinum,ſeu gutta ſuccina & ſucculenta,offici**n**is carabe,& cacabre,vulgò gallorum ambra, abſolutè dicitur:gummi pini Septentrionalis eſſe, hodie eſt certiſsimum:calidum primo gradu:ſiccum ſecundo : cor & ventriculum roborat Auicennæ : ob id cardiacis, & corde trementibus confert,nauſeam & vomitum ſedat,prauos in ventriculo humores gigni prohibet.

Epuloticum vel ſynuloticum, cicatricem generans.

Eupatorium eſt agrimonia : quod autem eupatorium vocabant,

bant, licet Græcis indictum videatur, tamen ſpecioſa, & ſapore amaro liberandis obſtructionibus idonea fuerit.

F

FAuſel fructus adſtringens, priſcis incognitus: auellana Inda vulgo dicitur.

Fauſel eſt auellana Indica Serapioni, nuci moſchatæ ſimilis, forma pyramidis, inſipida: eius deſideratæ loco miſcetur ſantalum rubrum, & coriandri recentis dimidium.

Flos roſarum eſt illud crocatum in apiculis mediã roſam implentibus, quibus ſiccatis nonnihil exiguum nigrum, ſemini ſimile etiam apparet.

Folium abſolutè, & folium malabathri hodie parum cognita ſunt: eorum tamen loco mihi non diſplicet prægrande id folium tribus ceu neruis per longum eius diſcurſantibus firmatum: eſt enim aroma odorum admodùm guſtu, & acre.

Fragmenta pretioſa, ſcilicet ſaphiri, hyacinthi, ſardinis, granati, ſmaragdi.

G

GAlanga radix nunc notiſsima, apud Græcos nondum lecta.

Gallia, ſeu gallia moſchata, Gallia Sebellina, trochiſcorum nomina ſunt, quibus raro per ſe vtuntur, ſed in alias compoſitiones veniunt, lege in trochiſcis.

Galliaſimpliciter, & ſine addito pro trochiſcis galliæ moſchatæ: cur autem galliæ ſint dictæ, in trochiſcis leges.

Gluten alumbac in vnguento baſilico & aureo pro terebinthina.

Gluten verò alzana in diachylo ichthyocollam vertimus, id eſt, piſcium colam: quanquam ſunt qui viſcum quo capiũtur aues, ex viſco querno factum malint.

I

IRis pro lilio cœleſti.

L

LApidum quinq; pretioſorũ, ſaphiri hyacinthi, ſardinis, granati, ſmaragdi fragmenta, cor multùm iuuare creduntur: ob id cardiacis miſcentur. Vires autem roborandi ſtomachi in iaſpide viridi, ſi probauit Galenus, potuerunt Arabes horum quinque lapidum vires in cordis affectibus probaſſe, quos ob id poſteritas eſt ſequuta. Saphirus

rus Alberto melior ex cæruleo flauus ſeu cæruleus ex purpureo puluere aureo interſperſus,ſeu nubibus obſcuris & ſubrubris: ob id ſubobſcurus eſt melior perſpicuo. Hyacinthus Serapioni optimus eſt ruber: à fulgure & peſte ſeruare creditur, ſi vel ipſe geſtetur, vel quidpiam eo ſignatum. Sardis Alberto ruber, craſſus, tranſparens, paruus: cui ſi candor ceu vnguis miſcetur, ſardonyx dicitur: exhilarare & ingenium acuere creditur. Granatus eidem eſt ex genere carbunculorum, rubet modo balauſtij, trāſparet, cor exhilarat triſtitiam pellit. Smaragdus quo virentior, eo melior: exhilarat, libidinem arcet, hemitritæum iuuat, epilepſiæ reſiſtit. Hi ſingulatim terēdi ſunt ſuper lapidem Porphyrium, aqua roſata aut bugloſſi pauca identidem affuſa.

Lepidium pro ſeitarago Indo ſubſtituimus.

Lepra in Meſue videtur accipienda more Græcorum pro cutis vitio, & ſquammoſa ſcabie, vt pſωra pro furfuroſa. Nam paſsim vt Græci pſωræ iungit lepram, & in elect. ſecundo Hamech pſωram, lepram, & elephantiam recenſet, quæ eſt Græcis, quod vulgo lepra.

Leucacantha, id eſt, alba ſpina Græcorum, accipienda pro bedegar Arabum: non autem ſpongiola in Cynoſrhodo inuenta.

Lignum aloës, ſeu xylaloë, ſeu ἀγάλλοχον, ſit crudum: coctum enim nullarum eſt virium & inodorum: Arabibus enim id coquere odoris excipiendi gratia morem eſſe ſcribit Caſſius Felix, aquamque ab his in vſus multos ſeruari. Ob id Meſues ligni aloës crudi mētionem facit frequentem: quòd ſiquando crudum non addat, intellige. Lignum aloës crudum in igni diu durat incōſumptum, ob glutinoſam humiditatem, quam coquendo ſupernatantem ſeparant inſtitores & mox aquæ fundum petit.

Liguſticum Manardo radice ſola viſum, hodie agnoſci cœpit: ſed multò diuerſum ab eo, quod vulgus in eius locum ſubſtituit, licet viribus non differant, vt liguſticum Dioſco. & Smyrnium, quod vulgare leuiſticum legenti patebit.

Lingua auis in confectione teſticulorum vulpis, & alibi Serapio. intelligitur lingua paſſerum auicularū ſalaciſsimarum: recentiores ſemen fraxini foliaceum in linguæ ſpeciē figuratum, amarū, intelligunt, cui vim calculos in renibus frangendi etiam tribuunt.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0433-1 DFG

Lingua bouis Græco ſermone bugloſſa vocatur Manardo.

M

MAcis Arabum, & macer Græcorum, diuerſas res eſſe in ſimplicibus probauimus, etiam ſi Manardo & aliis quibuſdam idem cenſetur.

Macis nucis moſchatæ cortex medius inter externũ craſſum, cortici craſſo & viridi noſtrarum nucum ſimillimum: & corticem alterum nigrum, durum, cortici quoque ligneo noſtrarum nucum perſimilem, ſub quo eſt ipſa nux moſchata: ne cum multis putes idẽ eſſe, quod macer ſolius coloris & odoris affinitate turpiter hallucinatis, non aduertentibus macis corticem eſſe tenuiſsimum, admodùm calidum, nihil aut minimum adſtringentem: macer verò craſſum corticem, calido & frigido temperatum, admodum adſtringẽtem. Quæ.ſ.notæ tanquàm fideliſsimæ & valentiſsimæ à Gale. vbique plurimi fiunt, vt color & odor minimi.

Maior, id eſt, efficacior, vel pluribus ſimplicibus conſtans Meſuæ compoſitio dicta, Galeno compoſita vocaretur, vt minor ſimplex, vt diatrion pipereon ſimplex & compoſitum.

Margaritæ in conchis oſtreorum generi ſimilibus Plinio inueniuntur. Vidi & in conchis mytulorum maris interni, ſed paruas. Dos autem eorum omnis in candore, magnitudine, orbe & pondere: integræ item & perlucidæ perforatis, rufis, obſcuris ſunt meliores. Cardiacæ putantur à tota ſubſtantia, & ſanguinis prope cor putredinem prohibere, cordis intemperiei calidæ & hinc nato tremori prodeſſe, quia frigidę ſiccæ primo gradu: ob id febricitantium & imbecillorum remediis miſcentur.

Marmacur in diamoruſia marrubium eſt, vel meliſſophyllũ, quod marmacur eſſe quidã potiùs putant. Cùm verò plantæ hæ duæ ſint facultate proximæ Galeno, ſed marrubium frequentius & efficacius, id accipiendum eſt.

Marmacur in pul. altero ligni aloës, quidam nõ marrubium, ſed maioranam intelligunt: alij meliſſophyllon, vel cytratũ ocymum.

Maſtiche ſit alba, ampla, pura.

Medium granatum ſeu dulcacidum verti pro muzum, quòd id etiam pro μέσον, id eſt, medium putaui deprauatum. Nã inter acida & dulcia tantùm, quæ ſimul dulcia ſunt & acida,

da,ſunt media.

Mel aërium ſeu aëromeli cum multis mannam in Meſ.ſemper appellamus.

Mel tabarſet quidam mel roſidum intelligunt,ſeu mannam: cuius loco mel album aut ſaccharum bis coctũ poni poteſt.

Mel emblicarum in elect.de gemmis,& ligno aloës,eſt mel album, quo velut ſyrupo myrobalani emblicæ conditæ ſeruantur in ſimpl. Meſ.& in conditis ſectione prima. Aliis mel emblicarum myrobala.fit ex ipſarum pertritarũ vnc. duabus,in aquæ communis lib.duabus infuſis diebus octo, pòſt coctis ad dimidij conſumptionem, colatis panno lineo & valenter expreſsis: in expreſſo coque mellis boni libr.1. coque ad liquoris conſumptionem.

Mel Meſ.album ferè præfertur,vt etiam hodie Lugdunenſibus & Narbonenſibus: Galeno autẽ flauum probatur,nec alibi fit mentio,etiamſi ceram Ponticam natura albam nouerit,non ſolam Tyrrhenicam lotione albatam.

Mel,paſſulatum,id eſt,in quo bullierint vuæ paſſæ vſque ad liquationem, Manardo videtur in loch.de pino:aliis ſapa vuarum paſſarum eſt,vt in conditis diximus. Aliis mel vuatum,id eſt,paſſulatum ſic fit:vuarum paſſarum vnc.quatuor,ex aquæ puræ lib.vna coquãtur ad aquæ conſumptionem,valenter exprimantur. Huic expreſſo adde mellis deſpumati duplum:percoque quantum opus,vaſe vitreo repone:ſic mel myrtatum facere poſsis, vt docet Nicol. in Diacodio.

Mel vuatum id interdum vocamus paſſulatum , quòd paſſa ſint præter vuas pruna,& alia multa, nolui inde mutuari denominationem.

Mentha,hortenſis intelligitur,& ea ſiccata:tunc enim valentior & odoratior.

Μέσον,in fructibus præſertim corruptum òpinor in muzum, vt granata muſa pro μέσα, id eſt,media,nec ſcilicet acida, nec dulcia,ſed inter hæc media,ſeu acidodulcia, quãquam ſunt qui dulcia intelligant.

Μέσον quod Arabes muzum corruperunt,medium inter dulce & acidum,qualia pruna in diapruno requirunt.

Miua,& miua aromatica,& aromatizata,& cum ſpeciebus, eſt ſyrupus, vel condìtum ex ſucco cydoniorum: ob id etiã ſæpe dicitur miua cydoniorum,de qua in condìtis.

Melo

Melo Indus eſt viridis, oblongus, magnus, botheca vulgò dictus: aliis anguria, nunc hîc frequens.

Myrrha bona inuentu difficilis.

Myrrha ſtactæ, ſtyrax liquidus.

N

NAbath vel anabath in puluere baccarum myrti Serapio videtur intelligere ſorba, vel illis ſimiles fructus facultate, qualia ſunt meſpila.

Nabet verti in conditis, & in confectione alhaliſ, ſaccharum vulgò candum vocatum: alij potum ex ficis, dactylis, & ſaccharo eſſe volunt: alij aliud.

O

OEſypus corruptè cum Pauli exemplaribus hyſſopus humida.

Oleum balaninum, oleum de ben Meſuæ.

Oleum cicinum, ſeu ricininum, oleum de κerua.

Oleum amygdalinum, dulce.

Oleum ſeſaminum, ex ſemine ſeſami calidum hum.pr.gr. deſiit parari, quia ſeſaminum Italia olim largiſsimum, hodie deſideratur. Eius loco ſumatur oleum recens amygdalarũ dulcium, non rancidarum.

Oxyacantha eſt berberis.

Oxytriphyllon alleluia in diaphœnico vnguento ſecundo & viridi.

Ozymum, id eſt, baſilicum quoddam, vulgo caryophyllatum dicitur ab odore caryophylli: alterum ab odore citri citratũ eſt meliſſophyllum, calidum ſecũdo gradu, coctu difficile: ſed aliorum coctionẽ iuuat, obſtructum hepar aperit, naribus impoſitum, vel ſucco, vel aqua attractum, pituita purgat cerebrum, vt betonica: corroborat & cerebrum.

Ozymum autem caryophyllatum baſilicum ſemine flauo, aromatico, cardiaco, calido, foliis paruis magis quàm baſilicum, ſemine nigro, & foliis latioribus præditum quibuſdã videtur.

P

PEctines pro conchis ſuppoſui, quales à ſancto Michaële & ſancto Iacobo peregrini afferunt, idonei ad hæmorrhagiam Auicen, can.3.fen.21. Idem poſſunt teſtæ limacũ, purpurarum, buccinarum, Manardus in id probat magis ὄνυχας, id eſt, vngues odoratos, vulgò blattas Byzantias.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0436-8
DFG

Penidia vocem nobis incertæ originis cum vulgo retinemus, & alias quaſdam, quod pro his, licet Barbaris, tamen notis, nouas & obſcuras ſubſtituere non eſt, licet pleraſq; appellationes nouas dedimus, quòd propriè magis, & rei naturã perfectiùs exprimentes viderentur: *Δόσις* autem, id eſt, datio, quamuis Græca ſit vox, & vulgo medicorum vſu frequens: quia tamen Græcis in eam ſignificationem, pro medicamenti ſcilicet ſumendi quantitate non vſurpatur, nec Latinis, verbum dare malui eius loco ſubſtituere.

Petroſelinum verum ex Macedonia quia deſideratur, & vulgare hoc eſt imbecillius, dupletur vel eius loco ponatur oluſatrum.

Petroſelini veri loco ſemen oluſatri Manard.

Plantago longa in diaphœnico vnguento, vel maior eſt, vel lanceolata.

Polenta eſt farina hordei recentis torrefacti, ſauich Arabibus.

Poma dulcia frig. pr. gr. hum. ſecu. ſi odora ſunt.

Pyrethrum hyeme legitur, ſeruatur annis quinque: non ſit foraminulentum, nec dum frangitur, puluerem edat.

R

Raſura eboris frigida ſicca, cardiaca eſt, fœcundas ex ſterilibus mirè facit Auicennæ.

S

Saccharum Meſuæ albiſsimum probatur, vtitur & ſaccharo coctione candefacto, aut verius in cryſtalli modum per coctionem per ſe vel in ſyrupis glaciato.

Saccharum autem zucaram Arabum eſſe aliàs probauimus.

Saccharo autem Meſues, vt Græci veteres, raró vtitur, quod tum erat minus frequens: nunc contra ſaccharo, quia gratius, omnia dulcoramus, & ſiccando ſeruamus.

Saccharum recens cal. hum. primo gr. vetus ſic. pr.

Sanguis draconis Serapioni & Auicennæ & ſuccus herbæ achillij dictæ Dioſcoridi, Luſitanis huc larga copia deferẽtibus, eſt ſuccus quarundam arborum.

Santala noſtratia, & ex his elect. trium ſantalorum, ſumpta & admota, reuera calfaciunt, ne iis ceu refrigerantibus poſteà vtaris. Nam vera ſantala deſiderantur, cùm vulgaria ſint cedra verius.

Santala ſi qualia ſcribuntur ſunt, refrigerant quæ verò proferunt officinæ, calent.



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0437-4

Santala frig. 2.gr.ſicca.1.rubra frigidiora: omnia cardiaca, & aromatica,ſed flaua magis,quia odoratiora.

Sarcoticum,carnem generans,vulgò incarnans.

Sardis,ſeu Sardius lapis,vulgò corneolus dictus Manard.putatur.

Satyriorum teſticulos duos condîtos ſi vir ante coïtum ſumpſerit,marem generari,ſi fœcũda eſt mulier ſcribit ex Raſi Nicol.Florentinus lib.10.cap.de ſterilitate: vnico verò deuorato,fœtum naſci cum vnico teſte.

Sauich ἄλφιτα,polentæ.

Scammonium in malo cydonio,vel alio ſimiliter grato & adſtringente coctum(quod Galen.innuit lib.1.alim.) pomo, virium ſuauium multum impertit,ob idq; imbecillius manet,quale miſcet elect. Indi maiori, vbi pomum abſolutè ſcribitur,quod cydonium ſignificat Græcis μῆλον: vnde oleum μήλινον Gal. paſsim eſt cydoniorum, & emplaſtra μήλινα lib.2.cõp.ph.g.id eſt, rufa, & coloris mali cydonij, & διὰ μήλων pro διὰ κυδωνίων,vt in fine lib.6.ſan.tu. Crudum autem purgatorium magis eſt, vt ſi elect.Indum maius,& diaphœnicon ſcammonium ambo vel coctum, vel crudum accipiant,Indum eſt purgantius. Si verò in Indo ſcammonium ſit coctum in diaphœnico,crudum (vt Meſ. voluiſſe videtur)diaphœnicum eſt purgantius.Cùm ſcammonium abſolutè ſcribitur,vt in hiera Hermetis in elect. Indo minori,in diaphœnico: ſi valens vis medicamentum, crudum miſce,præſertim cùm frigidis, craſsis, adſtringentibus,gratis, vis eius obtunditur, vt dactylis in diaphœnico, prunis in diapruno,cydoniis in cydoniato Lugdunẽſi,ſucco roſarum in elect.ſucci roſarum. Neque per hæc adſtringẽtia,vis eius à longinquis attrahendi prohibetur, quia cum aromatum vapore & ſubſtantia vis quædam ſcammonij purgatrix ad illas perreptat.

Scariola pro ſeriola, ſonchi ſpecies minùs ſpinoſa Manardo videtur:aliis à ſeride, id eſt, cichorio nomen deprauatum. Vtut eſt, cum omnia hæc cichorij ſint differentiæ viribus affines,vnum pro reliquis capi poteſt.

Schœnu anthos,vel ſchœnanthum,vt chalcu anthos & chalcanthum(licet duo hæc differant)cuius flos ad nos non affertur,ſed herbæ palea.

Scolopendrium vulgò ceterach.

Seca

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0438-0 DFG

Secacul Serapioni & Auicennæ radices zingiberi ſimiles, conditæ ex India deferebantur diuerſæ ab eryngio: quod tamen eo loco capere malim, vtpote viribus cum ſecacul conueniens, quàm cum quibuſdam ſigillum beatæ Mariæ, cum aliis ſigilli Salomonis, ſeu polygonati radicẽ cerebro geniculatam, graueolẽtem, ſapore cotonei aut punici ſubadſtringentem, ſubacrem, cum faſtigioſa quadam amaritudine Dioſc. & Gal. Aliis eſt radix calcitrapæ ſtellaris herbæ. In tanta opinionum varietate, pro ſecacul Indica radice, radicem eryngij condirem, quam ſecacul à Sarracenis vocari docet Nicolaus Salernitanus in diazingibere: hæc enim etiamſi non ſit eadem, tamen eadem præſtat. Quæ verò ſiccitas non parua cum eſſentiæ tenuitate eryngio à Gal. tribuitur, hac præparatione facilè vincitur. Quin & nonnulli hanc radicem calidam primo gr. humidam ſecũdo dicunt, & à multis melle ſolo condita: ab aliis etiam cum aromatibus ad venerem excitandam ſumitur magno ſucceſſu, etiam ſi veterum nemo huius facultatis in eryngio meminerit.

*In tryphera Sarracenica pro ſecacul eryngium etiam ſcripſimus. In dracunculo aloës, vnc. vnam, mox colocyn. drac. 8.*

Seitargum Indum, verti lepidium: alij Iberidem eſſe malunt: ſed hæ viribus parum variant, vt etiam cardamum & cardamine pro his poni poſsint.

Semen roſarum quibuſdam videtur id lanoſum, quod in fructu eſt rubro oliuæ æmulo, qui roſis non collectis ſuccedit: qualis in cynoſbato & cynoſrhodo cernitur.

Sericum ſit crudum: ſunt enim qui vim eius cardiacã coquendo aut macerando extrahunt, & ſericum velut exanimatũ viribúſque deſtitutum vendunt.

Sericum minutim conciſum cum margaritis, vel aliis tritum, eſt efficacius cum Serap. quàm vſtum cum Meſ. calidum ſiccum primo gr. cor roborat tota ſua ſubſtantia: ſpiritum & ſanguinem purgat, clarúmque facit, & facultatem eorum in vnum cogit.

Serum lactis Galeno frig. humidum, quòd aquoſa eius ſubſtãtia largiſsima nitroſam ſuperat, qua calidum eſt: terget, aluum ſubducit etiam Gal. à qua Meſuæ calidum dicitur, ea autem ſi per noctem in aëre ſteterit, exhalat eidem. Id verò Meſ. appellat nunc aquam lactis vel ebutyrati, vel nõ ebutyrati, & à cauſa aliqua concreti: nunc aquam caſei, quæ per formæ aut fiſcellæ raritates diffluit.

Seſeli ſumptum & ſuffitum, ſteriles ob vteri intemperiem frigidam humidã etiam cũ materia, fœcundas facit: id quod bruta duce natura facientia nos docuerunt, Serap. Auic.

Spaſmus cynicus, id eſt oris tortura.

Spica nardi Inda, Romana verò Celtica. Spica abſolutè, ſpica nardi Indica ſeu aromatica ſignificatur: annos decem ſicco loco ſeruari poſſe affirmant.

Spina alba eſt bedegar, & ſpina Arabica eſt ſucaha: cùm verò his caremus, carduus benedictus, aut ſabina, aut ſimiles plantæ aperientes capiendæ.

Spodium Græcorum & Antiſpodium ſolum admouebatur: ebur verò vſtum quod ſpodium Arabibus quorundã ſententia eſt, etiam ſumitur, & deuoratur, ac ex radicibus cannarum, myrto, olea, lentiſco vſtis, antiſpodia, id eſt, quæ pro ſpodio ponuntur. Græcorum autem ſpodium, id eſt, cinerula, quod in pauimento fornacum ærariarum recidit albicans, pompholigi ſimile, ſed grauius & impurius intra corpus non recipiendum.

Strobili ſunt nuclei pinei Gal. in ſimpl.

Styrax calamites calamis afferri deſijt: ſiccus tamen affertur.

Styrax ſcilicet calamites tanquàm perfectior.

Styrax ruber vulgò eſt fæx ſtyracis liquidi, hoc eſt myrrhæ ſtactes.

Styrax verus lachryma eſt, humiditatem non remittens, niſi dum manibus tractatur.

Succinum ſeu electrum eſt carabe.

## T

TAmar Indi κιῤῥοὶ, id eſt, fului, quales ſunt ante maturitatem, per quã nigreſcunt: immaturi ergo intelligũtur.

Thymelæa ſeu coccum gnidium, mezereon.

Thymelæa verius eſſe mezereon, quàm chamelæa, & ſemen eius coccum gnidium ex Dioſcorid. & Meſ. collatis deprehendes.

Tortellæ de ſeni, panis bis coctus.

Tragacanthum album frigidis medicamẽtis miſcendum: rufum ceu vetuſtate calidius, calidis. Illud autẽ frigidũ humidum primo g. gummi autem Arabicum frigidum ſiccum.

Tuderi in tryphera Galeno tributa, his horminum, eſt aliis anagallis: Meſues mens habet eius loco behen album & rubrum.

V

VEnera in catapotiis de bdellio maioribus Meſ. vt Auic. & Serapioni, pectines interpretati ſumus, id eſt, conchas pectinatim ſtriatas & implexas, quales peregrini plerique è Sancto Michaële & locis maritimis pileo circunferunt, quas conchulas vocat catap. de bdellio à ſe inuentis Meſues.

Z

ZAzur in ſucco fructuum & alibi, eſt meſpili genus priùs in Dioſc. aronia dictum, quod in Italia azarolum dicitur, Gallis ignotus fructus: eius loco meſpilum noſtrũ pentacoccum viribus proximum ſumatur.

Zedoaria radix nunc vulgò nota, veteribus vel incognita, vel aliò nomine ſcripta.

Zizypha ſeu ſerica, vulgò iuiubæ Gal. damnantur libro ſecundo Alim. tamen ea paſſa neoterici efficacia in pulmonicis remediis experiuntur.

Zurumbet quibuſdam eſt zedoariæ ſpecies, vt in ſimpl. diximus: Serapioni eſt arbor: Auicennæ herba, in elect. de gemmis vtrunque petitur.

*FINIS.*

Lugduni,

EXCVDEBAT

PHILIBERTVS

ROLLETIVS.

***

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0442-1

DFG

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0443-7

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0444-2

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0445-8

1912044

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0446-4

Q

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0448-5

Jodoco dẽ dic: chorus
gustem. non habet. Col

Deus qui beatum
docum confeſſor
um eternitatis gloria ſ
maſti: cõcede nobis fa
lis tuis eius memoriam
lebrantibus: cunctorum
niã delictorum: et etern
atitudinis premiuz ſen
ternũ. P dñm. Sec. I
ſtre fragilitatis potētiſ
mediator deus omnipo
conferre depoſcimus: v
lius immolacionis ho
interuentu: tibi redd

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-26944-p0449-4